

This transcription of the Dicta of Robert Grosseteste from Oxford, Bodleian Library MS Bodley 798 (s.c. 2656), was begun by Edwin J. Westermann. He published a version of the first fifty Dicta in his Ph.D. dissertation, written under the direction of S. Harrison Thomson: "An edition, with introduction and notes, of Dicta I-L of Robert Grosseteste, Bishop of Lincoln, 1235-1253," (University of Colorado, Boulder, 1942). Dr. Westermann continued to revise and extend his work on the Dicta during his very full and distinguished career as a professor of History at the University of Missouri - Kansas City (1946 - 1987). By the early 1990's he had completed a revised typescript of Dicta 1-50, and made handwritten transcriptions of the remaining 97 Dicta (nos. 51-147). In the Summer of 1998, I visited Professor Westermann in his Kansas City apartment. He was anxious to see his work reach the light of day, and I agreed to "edit, tidy up, and clarify" his transcriptions, and to publish them for him, "in some suitable format." The work presented here is the fulfillment of that promise. Professor Westermann died on May 19, 2003, just a few days short of his 90<sup>th</sup> birthday, and only weeks before the completion of this working-edition of Grosseteste's Dicta. May he rest in peace, and in perfect enjoyment of the imperfect text provided here.

The Dicta of Robert Grosseteste survive in more than thirty manuscript copies. Ed Westermann's choice of a single manuscript to serve as the basis of his working edition was a fortunate one; MS Bodley 798 offers a complete and rather reliable copy of the Dicta. In the transcription presented here, abbreviations in the manuscript have been silently expanded. The orthography of the fourteenth-century scribe has generally been respected, although inconsistent use of u/v and c/t has been regularized, as have such common forms as set/sed. Capitalization, punctuation, and paragraph divisions follow modern conventions. Biblical and other sources are noted within square brackets. An authorial colophon, and a list of titles of individual dicta, presumably all part of Grosseteste's original composition, have been moved from the end of the treatise, where they are found in this manuscript, and inserted respectively at the beginning of the text and at the head of each Dictum.

Joseph Goering  
Department of History  
University of Toronto

1 June 2003

[Colophon]

[fol. 121rb]

In hoc libello sunt capitula 147, quorum quedam sunt brevia verba que dum in scolis morabar scripsi breviter et incomposito sermone ad memoriam; nec sunt de una materia, nec ad invicem continuata, quorum titulos posui ut facilius quod vellet lector possit inveniri. Spondentque plerumque plus aliquo tituli quam solvant capitula /121va/ lectori. Quedam vero sunt sermones quos eodem tempore ad clerum vel ad populum feci.

Dictum 1

De amore et contemptu temporalium, et vero dominio et falso temporalium

Amor multipliciter videtur dici. Consuevimus enim dicere amatorem pecunie qui multum desiderat ut pecunia sua sit. Amor itaque pecunie est appetitus possidendi pecunias. Aliter dicimur amare hominem cum eius bonum, et ut ei bene sit, desideramus, et odire dicimur eum cui malum, et ut ei male sit, optamus. Odium vero contrarium prius dicto amori est velle non possidere hec transitoria. Qui itaque immoderate inordinato amore priori amat temporalia, odit ea opposito odio amori secundo. Qui namque immoderate appetit possidere pecunias, vult eas servire sue libidinose voluntati. Sed create sunt ut serviant voluntati ordinate hominis Deo obedientis, et hoc est earum bene esse. Earum vero male esse est servire voluntati prave Deo inobedienti. Amator ergo immoderatus possidendi pecunias vult ipsas male esse, ergo eas odit. Qui autem contempnit hec transitoria, nichil de hiis cupiens nisi ut ministrent hominibus obedientibus Deo qui eorum indigent ministerio, vel ut ministrent inobedientibus indigentibus ut eorum ministerio moveantur ut convertantur ad obediendum Deo, qui, inquam, talis est, et sic contempnit hec transitoria, bene amat ea quia vult ea bene esse cum vult ea esse in opere finali propter quod facta sunt. Et qui talis est, omnium horum transitoriorum dominus est. De omnibus enim hiis completur sua voluntas, et de hiis fit quicquid vult de illis facere. Vult enim de hiis omnibus fieri quod Deus de illis vult fieri, et hoc quod Deus vult fieri de illis fit de illis.

Vult enim Deus quedam de hiis bonis transitoriis a quibusdam sibi obedientibus possideri quibus novit hec habita prodesse, et vult ea a quibusdam sibi obedientibus subtrahi quibus novit eorum carenciam prodesse. Vult enim quedam eorum a quibusdam sibi inobedientibus possideri quibus novit eorum possessionem prodesse ad conversionem, aut si noluerunt converti, quibus novit ea esse /1rb/ in iustum flagellum. Et vult ea a quibusdam sibi inobedientibus subtrahi quibus novit eorum carenciam prodesse ad conversionem, vel nolentibus converti esse in iustum flagellum. Et contemptorum horum transitoriorum hec iam dicta non aliquid vult de hiis transitoriis fieri.

Vult namque vir sanctus hec transitoria servire bonis sicut ad bonorum servicia facta sunt. Sed cum per pravitatem hominum non possunt hec mutabilia hunc finem apud quosdam consequi, habent hoc iuvamentum quod flagellant impios ad correptionem. Vult ad iustam condempnationem, et vult vir sanctus hoc iuvamentum de illis fieri, cum obstante pravitate hominum finem suum proprium non consequuntur. Non autem placet iusto malicia qua malus meretur flagellum, sed placet ei quod malus de cuius malicia dolet flagellatur. Nonne ergo vir sanctus bene dominatur hiis omnibus de quibus fit quicquid vult de ipsis fieri? Et si de illis sua completur voluntas in hiis non invenit tristitiam sed gaudium.

Contemptor itaque terrenorum verus est amator eorum et dominus, in omnibus gaudium inveniens, sicut dicit scriptura: [Luc. 19:26] "Omni habenti dabitur," et iterum: [Prov. 12:21] "Iustum non contristabit quicquid illi acciderit." Amator vero temporalium vult ea male esse et ita vere odit ea, et nullorum est dominus quantumque sit dives quia de nullo quod possidet sua completur voluntas. Vult enim in possessis beatitudinem invenire, quod est impossibile. Et cum vult res creatas

ut serviant homini obedienti Deo sue servire libidini, vult ordinem nature pervertere. Sed Deus nichil sinit inordinatum esse. Eas ergo res quarum ordinem cupit pervertere volendo eas sue servire libidini, Deus reducens ad ordinem convertet easdem in iustum flagellum eiusdem prave voluntatis. Quia qui cupit hec temporalia, aut habet ea, aut non habet. Si non habet illa, torquet eum anxietas desiderandi et sollicitudo adquirendi. Si autem habet ea, torquet timor amittendi et sollicitudo conservandi.

Odio ergo habenda sunt hec temporalia ut vere amentur, et plene possideantur, et in omnibus gaudium inveniatur. Amanda /1va/ non sunt, ne vere odio habeantur, et nulla possideantur, et in omnibus flagellum et tristitia reperiatur.

Amator vero temporalium assimilatur esurienti, qui querens saturari dulcedine suavissimi fructus intrat ortum in quo sunt arbores optimos fructus in cacuminibus ferentes, quorum fructuum umbre proiciuntur inferius super spinas, tribulos, et urticas. Ingressus autem in ortum, videns has umbras, inani manus apprehensione et oris morsu umbram nititur apprehendere et deglutire suamque esuriam inde saturare, reperitque in apprehendendo et mordendo pro suavitate dolores et puniciones. Sic omnes transitorie dulcedines et suavitates umbre sunt bonorum permanencium, que bona stabilia sunt, sicut in arboris cacumine fructus. Quia dum has transitorias suavitates sectamur, pro eis puniciones apprehendimus. Et si aliquid rationis in nobis vigeret, deberemus per umbram reminisci rei cuius est umbra, et excitari ad sectandam et apprehendendam rei solidam suavitatem, non umbre pungentem vanitatem.

Vera autem amoris diffinico est quam ponit Augustinus: [Augustinus, De Trinitate 8, 10; CCSL 50] "Amor est vita duo copulans vel copulare appetens, amantem scilicet et amatum." Per se autem amatum bonum nature est scilicet bonum vel apparens bonum. Amor autem eorum que propter aliquid amantur est desiderium ut ipsa eo modo sint ex quo modo essendi creditur pervenire bonum per se amatum. Unde amor eorum que propter aliquid amantur multipliciter dicitur, sicut patet cum dicimur amare pecunias, et cibos, et homines.

## Dictum 2

### De misericordia et elemosina

Misericordia est amor sive voluntas relevandi miserum a sua miseria. Et tunc est vera misericordia cum hec voluntas tam intensa fuerit quod compellat volentem suum velle in actum producere si possit, hoc est ut compellat eum a miseria sua relevare miserum si possit. Voluntatem autem talem relevandi hominem a miseria in homine viatore concomitantur dolor et compassio de miseri miseria. Unde a proprietate concomitante sic solet diffiniri: Misericordia est compassio miserie qua utique si possimus subvenire compellimur.

Prior ergo diffinico misericordie magis /1vb/ est substancialis, et convenit Deo et celestibus spiritibus. Secunda vero diffinico homini viatori convenit. Deo autem et supernis spiritibus non convenit dolor et compassio, quia non est in eis passio nisi metaphorice sumantur hec nomina et equivoce dicuntur de illis et de nobis.

Cum itaque misericordia sit amor relevandi miserum a sua miseria, sicut multiplicatur miseria sic multiplicatur dictus amor et sic multiplicatur misericordia. Miseria vero multiplicatur sicut multiplicatur bonum hominis, quia miseria nichil aliud est quam boni defectus vel privacio. Bonum vero hominis aut est bonum anime aut bonum corporis. Bonum anime duplex est: illuminacio sive aspectus anime, et rectitudo affectus. Duplex est ergo anime miseria, scilicet tenebrositas ignorancie, et voluntatis a rectitudine deviacio. Utrumque autem bonum anime unius nominis intencione solet complecti, scilicet in hoc nomine "sapencie," et utraque eius miseria in hoc nomine "stulticia." Unde totum bonum anime est sapencia, et tota eius miseria est stulticia.

Miserie vero corporales sunt defectus cibi, et hoc est esuries, aut defectus potus, et hoc sitis. Vel si vellemus istas duas miserias magis per se diffinire, diceremus eas esse defectus sacietatis appetitus calidi et sicci et frigidi et humidi. Omnis enim miseria est alicuius rei appetite privacio. Item miserie corporales sunt nuditas, hospicii defectus, egritudo, que est sanitatis privacio, et defectus libere potestatis sui corporis et suorum membrorum quod fit per incarcerationem. Omnes itaque numerate miserie septem sunt, una scilicet anime, que est stulticia et sapientie privacio, et sex corporum, quas sex Dominus ipse in evangelio Matthei evidenter enumeravit. [Mt. 25: 5-38] Septemplici igitur divisione comprehendi potest misericordia que erga vivos exercitur. Non enim loquimur nunc de illo opere misericordie, scilicet mortuorum sepultura, de quo Tobias laudatur, [Tob.1:19-20] que misericordia forte plus vivis superstitibus quam ipsis mortuis impenditur.

Prima ergo et precipua misericordia est amor relevandi stultum a stulticie miseria, ut per sapientiam illuminetur eius aspectus mentis ad veram fidem et scienciam, et rectificetur eius affectus ad iustitiam. Hec autem illuminacio aspectus et rectificacio affectus per verbum doctrine et predicacionis /2ra/ eveniunt, quapropter eximium opus misericordie est predicacio, quod non inmerito Dominus ipse in carne apparens elegit, et pastoribus ecclesie administrandis commisit. Sicut enim anima precellit corpus et bonum anime bonum corporis, sic et miseria anime deterior et miserabilior est miseria corporis, et relevacio a miseria anime, que predicacione peragitur, melior et expetibilior est relevacione a miseria corporis. Omnium ergo operum misericordie melius, nobilius, et expetibilius est predicacio.

Quid ergo ligat litteratorum animas quod tam tepide et enerviter et aut forte nec artem predicandi addiscunt nec predicare appetunt? Si essent puri et boni amatores opus quod inter cetera melius est vehemens amarent, et forcius ad illud niterentur si crederent se ad illud posse pertingere. Sed sunt plurimi litterati qui plus amant admirari vel ditari quam boni fieri, et propter hoc expetunt sciencias et accurrunt ad eas per quarum operationes credunt se quod cupiunt perficere posse. Alius accurrit ad medicinam, ut curando egrotos et velud iam mortuos suscitando mirabilis appareat vel dives efficiatur. Alius vero propter easdem causas addiscit alkymiam, qua possit de plumbo aurum facere, et hec terrestria et impura et tenebrosa corpora abluendo, sublimando, depurare et clarificare, et quasi in celestium corporum qualitates deducat. Alium vero delectat addiscere musicas modulaciones, quibus potest homines is quaslibet affecciones mentis commutare et plerumque a gravibus morbis eripere. Alium delectat philosophia, qua discit motus et vagos recursus syderum, et quo motore ferantur, et ut discant eciam vim ventorum, terrores fulgerum, iras bestiarum, naturas lapidum et plantarum. Sic ceteros delectant cetera, que mira sunt cognitu sed cognoscentibus et cognitores suos admirandos hominibus efficiunt.

Sed quem delectant hec et hiis similia admiranda addiscat theologiam, quia omnia talia ibi sciuntur melius et nobilius et expetibilius. /2rb/ Et omnes mutaciones quas facit natura, vel alicuius sciencie artifex, que dico mutaciones sunt a peiori in melius, faciet theologus opere predicacionis inproporcionaliter nobilius et expetibilius quam faciat illas natura vel alicuius sciencie artifex. In theologia namque cognoscit omnes mutaciones proporcionaliter quas facit natura vel ars, sive sint mutaciones a meliori in peius, sive a peiori in melius. Faciet autem illas solas mutaciones proporcionaliter que sunt a peiori in melius. Curabit namque ut medicus, immo super quam medicus, lepram heretice pravitatis, ydropisi cupiditatis, ciragram tenacitatis, podagram pigricie, et superacutas febres luxurie, et ut ad unum dicam, omnem morbum spiritualiter curabit, et curatos in sanitate conservabit. Commutabit quoque plumbeos pondere peccatorum et sordibus terrestribus impuros in auri mundiciam et splendorem, et de terrenitate ad celestem deducet qualitatem, facietque de terra celum, immo eciam de lapide deum. Homo enim non solum iumentis insipientibus per peccatum assimilatur, sed eciam lapidibus. Conversus vero ad Deum et per dileccionem factus conformis Deo et deiformis, [difformis MS] non solum recuperat esse hominem sed esse deum, non tamen substancialiter, quia unus solus est substancialiter Deus, creator omnium, sed denominative et nuncupative, sicut dicitur Pater: [Ps. 81:6] "Ego dixi, dii estis," etc.

Similiter ad modulacionem Davitice cithare demones fugabit [cf. 1 Reg. 16:23] et oppressos a gravissimis morbis eripiet, agnoscetque, et faciet omnia proporcionaliter que mutando in melius facit natura. Et si aliquis de duobus proporcionatis adinvicem nobiliter proporcionatorum limpide agnoscit, in ipsius nobiliorum limpida agnitione melius forte novit reliquum proporcionatorum quam noscatur reliquum in seipso. Unde cum omnes creature et omnes mutaciones in theologia habeant sua proporcionalia, nichil est alicuius sciencie quod in theologia plene agnita non agnoscat, et forte melius in ea quam in propria scientia.

Quicquid ergo est propter quod expetibilis est alia sciencia, in theologia vere apprehenditur. Hec est que vera mira facit agnoscere, vera mira facit operari, veras prestat divicias. /2va/ Ad hanc ergo festinandum est amatoribus veri boni ut per eam possint facere eximium opus misericordie, et similiter amatoribus mirorum quia hec est operatrix mirabilium verorum. Verumtamen non est ad eam ascendendum omissis gradibus, sed per gradus aliarum scienciarum ad illam festinandum.

Ad cetera vero opera misericordie debet nos movere persuasio Iesu Christi dicentis: [Mt. 25:40] "Quod uni ex minimis meis fecistis michi fecistis." Et ne hec persuasio superficietenus intelligatur, consideremus ex similitudine quadam huius persuasionis maiorem intelligenciam. Si quis vulnerat pedem alterius vere dicit lingua vulnerati vulneranti, "tu vulnerasti me." Similiter vere dicit sananti pedem vulneratum, "tu sanasti me." Quod ergo boni vel mali pedi infertur vere sibi lingua ascribitur et caput in quo est lingua. Hoc autem facere non posset nisi mediantibus nervis pes capiti coniungeretur. Si enim pedem abscisum quis percuteret, nullum caput nullaque lingua vere posset alicui dicere, "percussisti me."

Si ergo propter colligionem pedis ad linguam et ad caput, que per nervos fit, et per multa media faciliter dissolubilia, vere attribuit sibi caput quod pedi infertur, multo amplius vere sibi attribuit caput ipsum nostrum, Iesus Christus, quod membris suis infertur, que membra Christo capiti colligantur nervis caritatis quos neque mors, neque gladius, neque instancia, neque preterita, neque futura, neque aliqua alia creatura potest dirumpere, [cf. Rom. 8:38-39] quibusque nervis coniunguntur membra Christi Christo capiti sine omni distancia et mediorum interposicione.

Plane igitur verum est: [Mt. 25:40] "Quod uni ex minimis meis fecistis michi fecistis." Sed ex hoc videtur non aliis fore benefaciendum quam hiis qui sunt membra Christi, colligata ipsi nervis caritatis. Sed ad hoc dicimus quod et malis benefaciendum est Christo hac intencione ut beneficium prestitum prosit recipientibus ad hoc ut fiant membra Christi colligata illi vinculo caritatis. Qui enim benefacit illi qui malus est hac intencione et sub hac spe ut fiat bonus, magis proprie benefacit bono quam malo, et membro Christi benefacit cum etiam illi qui malus /2vb/ est hac intencione et spe tribuit ut membrum Christi fiat.

Alia quoque Christi persuasio debet nos multum movere ad opera misericordie facienda, qua promittit nobis centuplum recepturos. [cf. Mt. 19:29; Luc. 8:8] Sed potest infirmus aliquis huic verbo cito non credere, quia multos vidit multa dare pro Christo que numquam in hac vita eadem data recipient centuplata. Nec in futura vita illa recipient. Non enim in futura vita recipiet quis denarios, aut panes aut indumenta, qualia hic pro Christo distribuit. Non enim egebit quis talibus in illa celesti vita. Sed si interius consideretur ille sermo, quicquid hic dat aliquis pro Christo illuc idem centuplatum recipiet si in celestem patriam introierit. Si enim detur pauperi egentis lapillus vilis aut massa luti, nichil ei datur quia lapillus aut massa luti non potest suam indigenciam relevare. Pari ratione si daretur ei denarius et eo non posset suam indigenciam relevare, nichil ei daretur, immo pocius oneraretur et gravaretur. Similiter nichil est donum sed magis onus nisi eo posset indigencia eius cui prestatur relevari. Per se ergo et proprie datur indigencie et miserie relevacio. Si enim possimus sine hiis transitoriis miserorum miseriam relevare etiam ipsa relevacione a miseria preterita omnibus aliis circumscriptis magnum donum dedissemus. Prestitis autem omnibus transitoriis, si non possent aliquo modo eum cui prestantur a miseria sua relevare, nichil ei daretur, sed grave, ut dictum est, onus illi imponeretur.

In omnibus ergo operibus misericordie hoc solum datum est, scilicet a miseria et indigencia relevacio, et hoc recipiet unusquisque in patria, scilicet a miseria sua relevacionem, centuplo amplius, immo inestimabiliter amplius, quam hic eam tribuerat. Sed centuplatam dicitur eam recepturus quia recipiet eam perfectam et perpetuam. Centenarius namque, quia est secundus denarius et numerus cubitus, perfectionem et perpetuitatem signat. Dominus autem, more sapientis et eximii retributoris, hanc retribucionem centuplam nobis conservat usque ad tempus /3ra/ quo magis ea indigebimus et quo ordinacius et melius est ut nobis prestetur. Hoc autem tempus erit in exitu vite et in die iudicii. In hac tamen vita hanc centuplam retribucionem recipimus in certa spe quam in futura recipiemus in re.

Ad hoc quis erit segnis ad opera misericordie si consideret misericordias Domini? Cum enim Dominus Iesus Christus, O homo, te pascit in vitam eternam non pane corruptibili terrestri sed pane celesti qui dat vitam mundo, pane inquam cocto in clibano uteri virginalis, suo scilicet corpore integro, et tu eum non pascis in membris suis particula parva panis tui corruptibilis! Ipse te potat suo sanguine quem pro te effudit de suo latere, et tu ei denegabis calicem aque frigide! Ipse te vestiet in anima claritate vultus sui et in corpore resurrectione lumine sicut solari, et tu eum non vestis operimento veteris panniculi! Ipse te suscipiet hospicio celi latissimi, et tu eum non suscipis sub umbra parvi tigurri. Ut te egrotum visitaverit in hanc vallem lacrimarum de summis celorum descendit, et hic tuas infirmitates suscepit, et in corpore suo portavit ut te ab infirmitate omni curaret, et tu, ut in membris suis illum visites et saltem verbis consolatoriis ad domum vicinam non ibis! Ipse pro te liberando ab inferni carcere ad inferna descendit, ut et tu illum incarceratum in membris suis visites carcerem prope te positum super terram, non infernalibus tenebris horridum sed solis et diei illustratum lumine, non adibis!

Revolve, O homo, in recordacione tua has misericordias Domini, et earum recordacio accendat te ad miserendum illius in membris suis qui tam ineffabiliter misertus est tui. Igitur tuis bonis exterioribus eum releva a miseria qui seipsum impendit ut te relevaret a miseria. Sed ne opera tua exteriora fructu vite eterne careant, vide ut procedant de effectu misericordie interiori que, ut dictum est, amor est relevandi /3rb/ miserum a sua miseria..

Sed non est misericordia vera nisi sit ordinata. Tunc ordinata est tua misericordia cum eum quem magis debes amare magis vis a maiori sui miseria relevare. Licet autem quilibet quemlibet deberet amare sicut seipsum, tamen de ordine caritatis seipsum precipue debet quilibet amare, deinde patrem aut matrem, et consequenter ceteros prout consanguinitate vel affinitate vel beneficiis vel oratione sibi coniuncti sunt.

Qui ergo ordinatam habet misericordiam, primo et precipue sui ipsius miseretur et precipue amat relevare seipsum a sua maxima miseria, hoc est a miseria anime, a distorcione, scilicet, voluntatis et a tenebris ignorancie. Nulli ergo miseretur homo vere qui anime sue primo non miseretur. Sicut dicit Ecclesiasticus: [Eccus.14:5] "Qui sibi nequam est, cui bonus erit?"

Similiter qui ordinatam habet misericordiam in quolibet alio a se magis vellet relevare maiorem eius miseriam, et illa est anime miseria supradicta. Qui ergo vult plus relevare miseras corporales alicuius quam anime miseras si eas posset relevare, veram et ordinatam misericordiam convincitur non habere. Opera autem exteriora misericordie, ut pascere esurientem et cetera, [cf. Mt. 25:35] tunc sunt vere elemosine cum ab interiori misericordia vera et ordinata procedunt. Cum enim ab ea non procedunt, non dicuntur elemosine nisi sicut cadaver hominis mortui dicitur homo.

Proprie autem elemosine non sunt nisi ab effectu vere misericordie vivificentur. Unde ille homo elemosinam non facit qui anime sue primo non miseretur. Et si ergo vero nomine elemosine elemosinam facit, prius anime sue miseretur, et ita ipsi omnia munda sunt, sicut dicit scriptura: [Luc. 11:41] "Date elemosinam et ecce omnia munda sunt vobis."

## Dictum 3

Sermo ad sacerdotes de hoc versu, "Sacerdotes tui induantur iusticiam."

"Sacerdotes tui induantur iusticiam." [Ps. 131:9]

Versus iste generaliter competit universis fidelibus, qui per veram fidem et dilectionem membra sunt Iesu Christi et veri et summi sacerdotis. Adherentes namque nervis fidei et caritatis ipsi summo sacerdoti Iesu Christo in suprema vi mentis qua Christo vero /3va/ sacerdoti adherent, effecti unus spiritus cum eo, [cf. 1 Cor. 6:17] gerunt et ipsi sacerdocium, uncti carismatibus de plenitudine ipsius defluentibus, mactantes super aram fidei spirituales hostias, concupiscencias bestiales interficiendo, incensum quoque offerendo devotarum oracionum, et sacrificium spiritus contribulati. [cf. Ps. 50:19]

Hoc autem, scilicet omnes fideles qui sunt membra Christi, esse spiritualiter sacerdotes testatur legislator in Exodo, dum in persona Domini loquens dicit, [Ex. 19:6] "Mea est omnis terra, et vos eritis regnum sacerdotale et gens sancta." Et in canonica Petri [1 Petr. 2:9] ad universitatem fidelium dicitur: "Vos estis genus electum, regale sacerdocium," etc.

Licet autem versus iste generaliter et spiritualiter omnibus membris Christi competat, specialiter tamen nobis habentibus curam animarum, qui non solum spiritualiter sed etiam ad litteram sacerdotes sumus vel esse debemus. Non enim nobis debet sufficere ut induiti simus iusticia quali induitur plebs cure nostre commissa, sed oportet iusticiam nostram plus quam illorum habundare, [cf. Mt. 5:20] ut quemadmodum precellimus eos dignitate, simus etiam spectabiliores illis vestimentorum iusticie mundicia, cultu, factura, et preciositate.

De hac prerogativa vestium iusticie sacerdotibus competente vobis, qui sacerdotes estis, pauca suffragantibus oracionibus vestris loqui disposui, premonens in principio quod cum sitis qui vestiri debetis hac veste preciosa, ego non profiteor me harum vestium textorem aut datorem, aut eum qui illis vos vestiat. "Unus enim est, Dominus noster, Iesus Christus" [cf. 1 Cor. 8:6] qui eas texit, donat, et illis vos vestiat, qui canitis cum propheta dicentes, [Is. 61:10] "Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, qui induit me vestimentis salutis, et indumento iusticie circumdedit me." Sed sum in hodierno ministerio sicut puer gerulus istarum vestium, sublevans eas et expandens coram vobis, ut illas a Domino induamini. Aut si illas, ymmo quia illas, per Dei gratiam iam pridem induiti estis, ero vobis hodie sicut aptator illarum vestium circa vos, sursum trahens si quid nimis longum dependens /3vb/ terram tangens, protrahens quod nimis curtum inferiora non velat, nimis fluida succingens, nimis arta relaxans, indecenter rugosa extendens, indecenter extensa recrispans. Sed quia talis tam preciosarum vestium aptacio requirit in ministerio aptante manus mundas, agiles, et abiles, oculos limpidos vigilanter circumspicientes, orabit in principio pro me, vestium vestrarum hodierno aptatore, ut ille qui verus dator est et vestitor earum manus lingue mee hodie mundet, regat, et aptet, oculumque mentis clarificet, ut vestium iusticie quas geritis in eo ministerio circumspecta et decens circa vos aptacio graciosiores nos reddat in conspectu eius cui solum accepti sunt qui veste nupciali inveniuntur induiti. [cf. Mt. 22:11]

"Sacerdotes tui," etc.

Quia diffinico est rei implicite explicacio et involute evolutio et manifestacio, in primis iusticiam diffiniendo, quasi preciosam vestem vestram oculis vestris displicabo et manifestabo, ut visa explicite eius pulcritudine et preciositate, qui illam induiti estis, eius pulcritudine et preciositate delectati, eam vos ad arcus astringatis et curiosius mundam et immaculatam conservetis. Si qui vero eam nondum induiti sunt, rapti eius pulcritudine ad eam induendam ardentem et infatigabiliter anelent.

Solet autem iusticia hoc modo diffiniri: iusticia est voluntas reddendi unicuique quod suum est, [cf. Justinian, Institutes 1, 1, etc.] utpote superioribus filialem timorem, reverenciam, et obedienciam; paribus fidem, societatem, et honoris adinvicem prevencionem; inferioribus regimen, et disciplinam, et protectionem. Sed hec diffinico, licet in veste hac illud explicet quod sacerdotibus

cum reliquis est commune, debent tamen sacer<dotes> in participacione huius vestis cum reliquis a reliquis sic differre, quemadmodum accidit in magna domo magni patrisfamilias quod plurimi servientes veste unius coloris communiter induuntur. In ipsa tamen multitudine sic indutorum sunt quidam in quorum veste color communis /4ra/ omnibus relucet preciosior, factura figuratur pulcrior, et corpori aptacior, cultus habetur decencior. Sic sacerdotum obediencia debet esse humilior, reverencia devocior, timor amancior, societas fidelior, honoris adinvicem prevencio a simulacione remocior, gubernacio moderancior, disciplina sapiencior et prudencior, protectio invincibilis fortitudinis constancia strenuior. Hoc ergo modo quod in veste iusticie cum reliquis vobis est commune universalis nature participacione, debet sacerdotibus esse proprium superhabundanti intencione, et hec licet prerogativa intencionis in veste vestra sacerdotali non parvam explicet pulcritudinem et preciositatem.

Potest tamen adhuc eius pulcritudo magis explicari illa diffinicionem qua Anselmus illam diffinit, dicens quod: "Iusticia est rectitudo voluntatis servata propter se," [Anselm, De veritate 12; cf. RG ad Gal. 3, 15, CSL 130, 85] hoc est propter ipsam rectitudinem. Multociens enim servatur a multis voluntas recta, non tamen servatur amore rectitudinis. Utpote quandoque aliquis iudex aliquem qui deliquit et meruit puniri vult punire, et rectum et iustum est ut is qui deliquit puniatur, et ut iudex velit eum punire. Servat itaque iudex quo ad hoc rectitudinem voluntatis. Sed si velit punire delinquentem plus amore alicuius lucri quam zelo iusticie, servat rectitudinem voluntatis non propter rectitudinem sed propter lucrum, et ita non est vere iustus, quia non recte rectitudinem, nec iuste iusticiam, servat aut exequitur, contra hoc quod precipit legislator dicens, [Deut. 16:20] "Quod iustum est iuste exequamini," ut scilicet sit voluntas recta, opus rectum, et intencio recta.

Hec est ergo integra iusticia, ut servetur rectitudo voluntatis non alterius gracia aut amore nisi ipsius rectitudinis. Et dixi hanc diffinicionem evidenter explicare vestis vestre pulcritudinem quia, ut ostendit beatus Augustinus, omnis pulcritudo equalitate et rectitudine consistit, nec est aliud pulcritudo quam ipsa equalitas et rectitudo. [cf. Augustinus, Contra epistolam Manichaei, 26; CSEL 25, 226-227 (?)] Igitur et voluntas et intencio conformes rectitudini, conformes sunt ipsi pulcritudini. Ergo cum ipsa pulcritudo sit in se pulcherima, quid magis potest ornare animam aut decorare et pulcrum facere quam integra et plena conformitas ipsi pulcritudini, hoc est ipsi rectitudini? Pulcherimus ergo ornatus anime pulcherimumque indumentum /4rb/ eius est conformitas voluntatis et intencionis sue ipsi rectitudini. Hec autem conformitas voluntatis et intencionis sue rectitudini iusticia est.

"Sacerdotes igitur tui induantur iusticiam," [Ps. 131:9] nec induantur eam, Domine, semiabscisam et semicontextam sordibus et feditate. Qui enim voluntatem servant rectam et intencionem distortam, ut in exemplo supradicto tetigi, qui scilicet quod iustum est exequuntur iniuste, quasi in parte servant pulcritudinem vestis iusticie, ubi scilicet stat rectitudo voluntatis, in parte vero abscisa est ipsa pulcritudo et intexta est sordium feditas, ubi scilicet est intencionis distortio vel lucri vel alterius comodi temporalis appetitus, presertim cum hec omnia temporalia reputet Apostolus vilissima stercora. [cf. Phil. 3:8] Absit longe hec corruptio et hec sordium commaculacio ab indumento iusticie vestre immaculata pulcritudine iusticie.

Sacerdotes Deum induamini, ut conveniat vobis quod dicitur in Canticis, [Cant. 4:10] "Quam pulcre sunt mamme tue soror mea," et in eadem, "Pulcre sunt gene tue sicut turturis." Vos autem estis mamme ecclesie, quia parvulos ecclesie potatis lacte simplicis doctrine [cf. 1 Cor. 3:2] et consolacionis dulciflue. Vos eciam gene speciose candentes lilio castitatis, rubentes rosa martirii, quod apertum habetis in desiderio, occultum in carnis maceracione et proximorum compassione. Igitur pulcritudo vos ornet, que aliud non est quam inviolabilis conformitas voluntatis et intencionis ipsi rectitudini, ut velitis stabiliter illud quod rectum, non ob aliud nisi ob ipsius rectitudinis immaculatum amorem. Et hoc est iustum iuste velle, et integra, non abscisa iusticia qua induamini, ne appareat confusio nuditatis vestre, ut sitis de quibus dicitur, [Ps. 31:1] "Beati quorum remisse sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata," tecta, inquam, indumento iusticie.



Licet autem predicta diffinicio iusticie eius pulcritudinem et preciositatem simul evidenter et eleganter depromat, excellencius tamen eas videtur explicare diffinicio qua diffinivit iusticiam philosophus ille idemque catholicus, [=Dionysius? Celestial Hierarchy???] dicens quod iusticia est similitudo cum supernis divinisque substanciis supernas divinasque substancias angelos vocans. Est igitur iusticia similitudo cum angelis. /4va/ Et hec diffinicio precipue convenit vobis sacerdotibus, qui propter similitudinem vite vestre cum vita angelica eciam angeli vocamini, dicente Malachia propheta, [Mal. 2:7] "Labia sacerdotis custodiunt scienciam, et legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est." Et Iohannes in Apocalypsis [cf. Apoc. 1-3] per septem angelos septem ecclesiarum quibus scribit universitatem prelatorum designat.

Similitudo itaque cum angelis est iusticia qua oportet nos nominatos angelos vestiri et ornari. Et ut huius indumenti nostri pulcritudo et preciositas planius explicentur aspectui vestro, consideretis attentius [autencius MS] quales sunt angeli, et in quibus oportet nos et vos assimilari eis.

Sunt itaque angeli substancie incorporee [incorporie MS] intellective, irrepercuta acie intelligencie ineffabilem pulcritudinem Trinitatis contemplantes. Ipsaque sapiencia et verbum Patris est eis liber vite et speculum eternitatis in quo intelligibiliter legunt et limpide conspiciunt inmensam Patris potenciam per quam venerantur, innumerabilem Filii sapienciam qua illustrantur, suavissimam Spiritus bonitatem quam amplexantur. Ibidemque conspiciunt quid ad Deum superiorem illis, quid ad sibi pares, quid ad inferiores illis sit agendum. In illum a quo ad hec videnda illustrantur, superfervido amore rapiuntur, et in eius visione dilectione suavissima delectantur omnes operationes suas secundum regulas quas in libro vite legunt, regulariter dirigunt, tranquillissimam pacem servant adinvicem, de bonis alterius fraterne congratulantur, nostram curam dum in hac misera peregrinatione sumus solicite, prudenter et fortiter agunt, tenebras ignorancie nostre illustrando, et sic nos occulte interius instruendo, affectiones nostras ad bonum excitando, opera nostra dirigendo, insidias et insultus aeriarum potestatum et malignorum hominum a nobis propellendo, profectui nostro congaudent, defectui vero nostro non modicum condolent.

Hee et alie quamplurime istis similes sunt proprietates angelice in quibus oportet nos illis assimilari si voluerimus eorum societati uniri. Verumptamen cum non possumus in hac vita fragili /4vb/ eis assimilari similitudine perfectionis, oportet tamen assimilari similitudine imitacionis. Dum enim in hac vita mortali seu morte vitali detinemur, minores sumus angelis, nec cum eis possumus a pari contendere, sed multum a longe vestigia imitari. "Cum ergo mortale hoc induerit immortalitatem et corruptibile incorruptionem," [1 Cor. 15:53-54] equales angelis efficiemur. In hac autem mortalitate, dum "corpus quod corrumpitur aggravat animam," [Sap. 9:15] et carnis affectus obnubilat mentis aspectum, non possumus revelata facie, sicut faciunt angeli, ineffabilem pulcritudinem Trinitatis contemplari. Nec possumus in libro vite, sicut ipsi aperte legunt, legere quicquid perficit mentis nostre contemplacionem, et quicquid regit nostram actionem. Oportet enim nos angelos a longe imitando nichil avidius appetere, nichil dulcius habere, quam Trinitatis potenciam, sapienciam, bonitatem, licet in enigmate, contemplari.

Angeli simul et in ministerium mittuntur, et revelata facie Deum contemplantur, nec efficit eorum actio ut interpellata vel minus limpida sit eorum contemplacio. Nos vero cum simul non possimus et in contemplacione persistere et exteriora administrare, habeamus contemplacionem Dei dulciorem, dilectiorem et delectabiliorem, exteriorum vero necessariam administracionem [h]onorosiozem. Nec unquam separemur a dulcedine contemplacionis nisi cum abstrahit nos inde nostri aut proximorum iusta necessitas, aut pia utilitas. Cum autem altera istarum nos vocat, licet malle in dulcedine contemplacionis immorari, non in pigro tamen egrediamur, stimulatim proximorum compassione ad exteriores necessarias et pias actiones, illas prudenter et strenue peragendo, peractisque ad dulcedinem contemplacionis inhianter redeundo. Sic perficiemus pro modulo nostro vicissim quod angeli non vicissim sed simul peragunt. Sic erimus per vices Maria et Martha, Maria contemplan-do, Martha ministrando. [cf. Luc. 10:38-42] Sicque per vices erimus cum

Moyse in monte loquentes cum Domino, et in valle, que supra audivimus a Domino narrantes populo pro libro vite quem hic aperte non possumus legere sicut angeli legunt.[cf. Ex. 24-32] /5ra/

Datur nobis liber duorum testamentorum, in quo debemus assidue legere, et que illustrant mentis nostre contemplacionem, et que nostram regant actionem. Ab huius libri lectione et speculi inspectione nichil nos evellat nisi, ut supra dictum est, proximorum vel nostri iusta necessitas aut pia utilitas, recolentes illud quod in tipo nostri dictum est Ezechieli [Ez. 3:1] et Iohanni in Apocalypsi, [Apoc. 10:9] scilicet ut comederent volumen vel librum sibi ostensum. Quid est autem librum edere, nisi illum avide legere, lectumque intelligere? Ipsa namque sciencia est sicut cibus anime que cum addicitur quasi sicut cibus deglutitur. Cum ergo diligitur ad exemplandam illam in opere, ipso ardore dilectionis quasi calore naturali cibum in stomacho digeritur, et in anime vegetacionem trahitur.

Ad insinuandam autem assiduitatem intencionis nostre in libris Scripture legendis, preceptum est in Exodo 25 [Ex. 25:13-15] ut vectes ab anulis arche numquam extrahantur. Quid est enim vectes arche ab anulis non extrahi, nisi sacerdotes, qui vehunt ecclesiam, a quattuor evangelicis libris non separari? [cf. Gregorius Magnus, Regula pastoralis 2, 11 (26)] Si autem pertesi lectionis scienciam scripture repellamus, audiemus illud propheticum: "Quia tu scienciam repulisti, repellam te ne sacerdocio fungaris mihi," [Micah quarto MS] [Os. 4:6] et illud Isaia 56, [Is. 56:10-11] "Speculatores tui omnes ceci, nescierunt universi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes sompnia. Canes impudentissimi, nescierunt saturitatem, ipsi pastores ignoraverunt intelligenciam." Et iterum Ysias dicit, [Is. 42:24-25] "Non audierunt legem et effudit Dominus super eum indignacionem furoris sui."

Ecce que sequuntur nos si repellamus scienciam Scripture: repulsio a funzione sacerdocii, cecitas oculi, os mutum, visio et amor vanorum, impudencia et ignorancia ipsius, eciam ire et indignacionis Domini super nos effusio. Vitantes ergo ista, et angelis pro modulo nostro assimilati, Scripture inhereamus, et secundum regulas ibi perspectas omnem actionem nostram dirigamus, tranquillam pacem adinvicem servemus, de /5rb/ bonis alterius fratris congratulemur, subditorum nostrorum curam sollicite, prudenter et fortiter agamus, luce verbi predicationis tenebras ignorancie eorum illustrando, et eiusdem verbi igne affectus accendendo, et secundum eiusdem normam opera dirigendo, "scuto fidei et gladio spiritus, quod est verbum Dei" [Eph. 16:17] insultus aeriarum potestatum et malignorum hominum ab eis propellendo, eorum profectui congaudendo, de defectu vero vehementer condolendo. Et in hac cura gerenda sollicitudinem generet subditorum amor et Dei pavor. "Si enim," ut ait Ieronymus, "habueris pavorem, sollicitus eris; si sollicitus fueris leo caulas ovium tuarum introire non poterit." [Hieronymus, Epistula 78, 26; PL 55, 71]

Prudenciam autem generet Scripturarum frequens, ymmo assidua, inspectio, et artis regendarum animarum ibidem scripture ad opus applicacio. Indefessam vero fortitudinem faciat superhabundantis premii promissio. Nobis etenim, si in ministerio nostro digne sudaverimus, promittitur aureola, [auriola MS] hoc est corona super coronam, id est preter premium quo premiabimur pro meritis propriis premium superadditum pro meritis subditorum nostra cura salvatorum. [cf. Ex. 25:25; Glosses ibidem; 4Sentences; etc.]

Excitare eciam debet nos, qui angeli nominamur, ad subditorum curam strenue et impigre peragendum hoc, quod angeli scribuntur et depinguntur alati. Quid enim in alis nisi velox discursus ad officium sibi iniunctum strenue peragendum signatur? Alati ergo et nos sumus si perfecimus quod nobis precipit Salomon, dicens, [Prov. 6:3-4] "Discurre, festina, suscita amicum tuum; ne dederis sompnium oculis tuis, nec dormitent palpebre tue." Ad condescensum vero per compassionem proximorum infirmitati, conformando nos quantum possumus, salva honestate et veritate, eorum exterioribus, ut eos conformemus nostris interioribus, excitare nos debet hoc, quod angeli frequenter hominibus in forma humana apparuerunt, ut in forma configurata humane fragilitati quasi familiariores fragilibus se ostendentes, eos quibus apparebant securiores et confidenciares factos ad celestem configuracionem apcius invitarent. Sic nos, si infirmis infirmi, Iudeis Iudei, gentibus gentes, et ut ad unum dicam, omnibus omnia fiamus cum Apostolo, [cf. 1 Cor.

9:20-22] /5va/ ut omnes lucrifaciamus. Quid aliud quam formam fragilitatis eorum induimus? imitantes illud Petri dicentis, [1 Petr. 5:3] “Non dominantes in clero, sed forma facta gregi ex animo.”

Quanta enim vigilancia sollicitudinis, quantaque circumspectione prudencie, quanta fortitudinis constancia oportet nos armari in tuendo gregem nobis commissam, ex similitudine licet prospicere. Ymaginetur enim unusquisque nostrum populum sue cure commissum sicut civitatem unam, custodiam suam sicut civitatis murum, corpus uniuscuiusque sue cure tradite sicut atrium unum in civitate, supremam partem rationis in unoquoque subditorum sicut patremfamilias et dominum unius atri, inferiores vires anime sicut familiam, corpus uniuscuiusque nostrum qui sumus prelati sicut palacium domini et rectoris civitatis, rationem nostram supremam sicut civitatis dominum et rectorem, defectum custodie nostre sicut ruinam muri civitatis, incircumspectionem custodie nostre sicut ruinam in muro, malignos spiritus et vicia et homines facinerosos sicut hostes vigilantissimos et callidissimos, fortes et pugne peritos et crudelissimos civitates nostras obsidentes, qui, quacumque in muro fuerit ruina vel rima, catervatim irruunt, atria inmunita occupant, patremfamilias cum familia atrocissime iugulant, predam diripiunt, et occupatis atriis habitant, non egressuri nisi in manu validissima expulsi.

Si ita unusquisque nostrum ymaginetur se in tali et tanto periculo constitutum, quis non perspicue videt quanta quilibet nostrum eget sollicitudine, prudencia, et fortitudine ad conservandum salutem civitatis sue? Ymmo forte multi nostrum possunt terrore [errore MS] concuti et timore, rigescere cum videant murum civitatis sue per custodie defectum, per incircumspectionem ruinosum, cum videant hostes subintrasse, plurimorum cedens exercuisse, atria plurima occupasse, nec occupata nisi vi repellantur relicturos, seque ad expellendum debiles, imprudentes, et ignaros. Nec forte est aliquis nostrum in cuius civitatis muro non sunt ruine magne, ruine plurime, per quas ingressi hostes plurimos de civibus nostris occiderunt. Et quis igitur nostrum, nisi miser et lacrimabilis, temperat se a lacrimis? Quis nisi aut paralisi voluptatum /5vb/ penitus dissolutus, aut duricia aut insensibilitate lapideus, non viriliter nititur hostes ingressos expellere, ruinas muri reparare, rimas obturare, hostes eicere et longius effugare? Quis ad hec perficienda non invocet angelorum validissima presidia?

Immo nos angeli ad hec agenda angelorum invocemus presidia. Hecque eorum fulti presidio strenue peragamus, ut ipsorum similes effecti vera iusticia, hoc est similitudine angelica, velud veste sacerdotali induamur. Ne sit vestis iusticie nostre per rigiditatem nimis stricta, nec per remissionem nimis laxa et fluida, nec terram tangat dum iusticiam facimus intuitu terrenorum, nec nimis sit curta dum eam si extendimus ad causas pauperum et querelas depressorum, non sit alicubi indecenter extensa per superficialem planiciem similationis, nec indecenter rugosa per subdolam implicationem fraudulente deceptionis, sed sit circa nos sic decenter aptata, candida et immaculata, ut in sponsi nupciis veste nupciali et sacerdotali induti epulemur, et conregnemus cum eo per infinita seculorum secula. Amen.

#### Dictum 4

Quomodo perpetue voluntati et culpe veniali[s] debetur pena perpetua

Mali vellent prava que agunt recta et iusta esse, nec esse digna punicione, vellentque se perpetuo posse eadem prava impune agere. Huic perpetuitati prave voluntatis per se debetur perpetuitas pene. Itaque si hec perpetuitas cadat super veniale, utpote si vellet quis perpetuo ociosa loqui, huic etiam perpetuitati debetur perpetuitas pene.

Qui autem summe et propter se amat Deum, per se odit quod per se a Deo separat. Hoc autem est malum culpe. Per se ergo odit omnem culpam. Igitur vult omnem finiri. Licet itaque quandoque consenciat in perpetranda venialem culpam, semper tamen odit eam in quantum culpa est, et vellet eam finiri. Nullus ergo qui est in caritate vellet perpetuo esse in aliquo veniali,

neque vellet aliam culpam etiam venialem esse bonam et iustam, ut in ea posset perpetuo impune versari. Nullus enim qui est in caritate habet perpetuitatem alicuius prave voluntatis cui debeat perpetuitas pene. Qui autem est in mortali, malum culpe per se non odit. Non ergo /6ra/ aliam culpam, eo quod culpa est, vult finiri. Ymmo potius omnem culpam, ex parte ea qua voluptuosa est, vellet perpetuo esse, et in eius voluptate perpetuo versari. Igitur venialia que facit, ex parte ea qua sunt voluptuosa, vellet esse perpetua et se posse perpetuo ea impune agere.

Pro omni itaque veniali culpa, eo quod ipsius habet perpetuam voluntatem qui est extra caritatem, debetur tali perpetua pena. Et forte voluntas faciendi perpetuo etiam peccatum veniale est culpa mortalis, et forte placencia, de qua dicitur: "Nullum peccatum est ita veniale quin fiat mortale dum placet." [Augustinus, in Decretum Gratiani, D.25 c. 3 d.p.] Hec enim placencia ut preostensum est, non potest esse cum caritate.

Ad distinctionem autem culpe venialis et mortalis et intelligenciam, ponamus exemplum sapientis patrisfamilias qui in domo sua quedam sic statuit ut, qui de servientibus suis contra illa fecerit, eiciatur de domo et de familia sua; quedam vero sic statuit ut, qui contra illa venerit, non ob hoc eiciatur de domo et de familia sua, sed penam aliam subeat, manens adhuc de familia et in ministerio domus. Sic Deus in sua magna domo quedam sic statuit ut nulli liceat illis statutis contravenire, et qui contraverit iam non sit de eius familia; quedam sic statuit ut licet aliquis de familia sua contra ista veniat, non ob hoc eiciatur de domo sed remanens de familia in domo transitorie punietur. Contraria itaque primo modo statutis voco illicita et prohibita; contraria secundo modo statutis voco dissuasa. Prohibita itaque mortalia sunt, dissuasa venialia. Ponatur quod aliquis de domo patrisfamilias non vult cessare a perpetrando dissuasa, nec patienter sustinere penam institutam rei dissuase cum fiat. Nonne talis dignus est de domo eici? Nonne etiam hoc est unum de prohibitis a sapiente patrefamilias ne quis de familia sua dissuasorum faciendorum habeat pertinacem voluntatem? Ad hoc itaque exemplum equitas exigit, ut qui de domo Dei dissuasa vellet perpetuo agere si posset impune, maxime cum voluntas completa in idem genus peccati reputetur cum facto, perpetuo puniatur pro hac voluntate perpetua.

Sequitur /6rb/ etiam quod in hoc quod habet perpetuam voluntatem faciendi perpetuo dissuasa incidat non solum in hoc quod faciat dissuasa sed prohibita. Talis enim voluntas secundum predictum exemplum sub prohibicione cadit.

Item, cum veniali unius hore vel diei debeatur pena transitoria, veniali si fieret perpetuo debeatur pena perpetua. Sed voluntas plena faciendi prohibitum et dissuasum, licet desit facultas faciendi, reputatur in peccatum. Voluntatem autem plenam voco que faceret vultum si haberet facultatem et impunitatem. Igitur voluntas talis faciendi dissuasum perpetuo idem genus pene perpetue merebitur, licet forte non tam intensum, quod genus pene perpetue meretur ipsa actio perpetua dissuasi.

Patet ergo quod qui est in mortali faciendo illud quod est de genere venialium iuste meretur perpetuam penam propter perpetuitatem sue prave voluntatis, etc.

## Dictum 5

### De temerario iudicio aliorum et discreto iudicio sui

Iudicia de hiis que possunt et bene et male fieri secundum diversas intenciones facientis, interpretans ea in peiorem partem de progenie est illius regis magni, "qui est rex super omnes filios superbie." [Iob 41:25]

Hanc temerariam iudicacionem offert iste rex cotidie cuilibet nostrum ducend<or>um in uxorem. Et sicut mos est tradentibus mulieres nuptui earum deformitates si que sunt quantum possunt velare et palliare, sic iste rex hanc temerariam iudicacionem quam nobis tradere vult in uxorem, quia multas habet deformitates, quantum potest palleat, et eius turpitudines occultat, ne a

nobis propter suas turpitudines recusetur. Sed si a nobis, cum nobis offertur hec turpis meretrix, propter fucatam palliacionem eius non potest perspicue eius turpitude discerni ut propter eam repellatur a nobis, perspiciamus interim de qua turpi et vili progenie propagata sit hec que nobis offertur, ut, sicut plerumque consuevit fieri hec meretrix, etsi non tunc propter se tamen propter vilitatem et turpitudinem originis sue, merito recusetur et repellatur.

Habet namque sororem pessimam dampnatam cuius dentes nigri et acutissimi velut canini extra os in longum valde protenduntur. Hec autem quicquid videt in menbris hominum pulcrum et decens, et velud /6va/ rabida avidissime mordendo diminuit, dehonestat, et corrodit. Mater autem huius meretricis squalet tabe livida tota, medullitus putrida, numquam gaudet nisi de tristibus, de letis semper tristatur et murmurat. Avia autem eius tanta turgescit inflacione quod oculos eius ad nasum cooperuit et occultavit tumor faciei, nec patet os eius nisi cum spiritus ingens in amplosa verba prorumpit. Nec relinquit hec turba turpis suam progeniem, sed comitatur eam comes inseparabilis. Nec quamdiu iudicacionem temerariam uxorem habes hanc turbam pessimam de domo tua eicere non poteris. Si itaque hanc temerariam iudicacionem propter se nondum vis repellere, saltem repelle eam ne tam turpi comitatu domus tua dehonestetur.

Ut autem pateat tibi evidenter de qua progenie est hec oriunda, scias sororem eius esse caninam et corrosivam detractionem. Matrem eius invidiam tabescentem et putridam, de qua scribitur, [Prov. 14:30] "Putredo ossium invidia," que vix tenet lacrimas cum nil lacrimabile videt. Avia vero eius est turgida et inflata superbia, que mentis aspectum vel discrecionem, velud oculum et nasum cooperiendo obnubilat.

Superbia namque est amor excellencie proprie, cumque superbus non possit alios precellere quantum velit per proprium crementum supra alios, vellet saltem alios excellere per ipsorum humiliacionem et decrementum. Unde ex amore excellencie proprie, qui est superbia, nascitur libido depressionis aliene, que est invidia. Cum autem vult alios deprimere et plerumque non possit hoc rei effectum facere, vult saltem eo quo potest modo illud efficere, scilicet quos non potest rei effectum deprimere deprimat saltem sermone.

Cum itaque manifesta bona sermone diminuit detractio est. Cum autem invertit in peius que secundum occultam intencionem vane possunt fieri, temeraria iudicacio est, et hec temeraria iudicacio, si non conniventibus oculis perspiciatur, apparebit non minus male dentata sorore sua. Habet enim et ipsa /6vb/ dentes nigros recurvos in longum valde prominentes quibus hominum interiora viscera extrahit et dilaniat. Repellatur itaque hec turpissima vetula [vellua MS] ne eam in uxorem ducamus propter sui ipsius et propter generis sui turpitudinem vilitatem et crudelitatem.

Sed cum sentit rex ille qui eam nobis in uxorem tradere voluit ipsam esse repulsam, nosque velle in uxorem ducere aliam virginem de familia regis humilium et de genere illius regine que caritas nuncupatur oriundam, statim rex ille, rex superbiorum, qui idem ipse prestigiator astutissimus, seipsum arte sua prestigiatoria transformat in unum de familia regis humilium, scilicet in angelum lucis, [cf. 2 Cor. 11:14] ipsamque meretricem quam vult nobis tradere transformat in speciem unius virginis de regina caritate oriunde, scilicet in speciem pie conquestionis aliene miserie, que a multis suscipitur sic transformata que repellatur oblata in specie propria, ut qui volunt talia dicere. Iste per ypocrisim ieiunat, vel orat, vel pro vana gloria elemosinas dat, dicantque plurimi taliter "Heu! Quam magnus dolor de isto qui vicio ypocrisis aut vane glorie coinquinatur."

Sed si vis hanc fucatam conquestionem a conquestione caritativa discernere, considera diligenter si in secreto cordis fratris miseriam plus et libencius deploras quam eam deplorandam per conquestionem aliis denunciis. Verus enim et caritativus dolor est qui testimonium foris non querit.

Hanc itaque meretricem, cum in figuram alienam transformatur, caucius et diligencius oportet nos cavere, que si non sit manifesta nos decipit periculosius. Non itaque temerario iudicio alienam vitam diiudicemus, sed ut monet Apostolus, [cf. 1 Cor. 11:31] nosmetipsos diiudicemus et non diiudicabimur iudicio condemnationis ad penam. Ut autem nosmetipsos recte diiudicemus, iste est ad iudicium et in iudicio progressus rectus. Oportet ut in civitate mentis nostre conveniat totus

populus omnium virium anime, eligantque sibi et constituent invicem iudicem in illo populo sapientissimum, potentissimum, in quo magis sit veritas /7ra/ et qui plus detestetur avariciam. Maxime autem talis est in illo populo superior pars rationis. Superior itaque pars rationis iudiciariam dignitatem et potestatem in illo populo obtineat. Cum autem omnis iudex secundum legem aliquam iudicet, iudex iste secundum legem sacre scripture iudicabit, que lex vere et exquisite discernit quid bonum quid malum, quid honestum quid inhonestum, que premia congruant bonis et que pene malis.

Iudici autem tribunal competit quo suffultus a veritate et rectitudine iudicii nusquam declinet. Quatuor autem sunt que a rectitudine et veritate iudicii iudicem flectunt, scilicet gaudium, tristitia, spes, et timor. Quod testatur philosophus [Boethius, Consolatio philosophiae, 1, metr. 7, 5] dicens: "Tu quoque si vis / lumine claro / cernere verum, / tramite recto / carpere callem / gaudia pelle, / pelle timorem / spemque fugato / nec dolor assit, nubila mens est / vincitque frenis / hec ubi regnant." Si ergo iudex fulciatur quadruplici inflexibilitate ab hiis quatuor affectionibus, a veritate et rectitudine iudicii nusquam declinabit. Quatuor igitur inflexibilitates ab hiis quatuor affectionibus sunt sicut quatuor columpne angulares erecte in tribunali. Que autem, velud ligna transversata in tribunali has quatuor columpnas coniungunt, sunt mutue naturales consecuciones quibus hee quatuor inflexibilitates mutuo ad se invicem consequuntur.

Sequitur enim qui inflexibilis est a spe, inflexibilis est a timore et a gaudio et a tristitia, et qui inflexibilis est a timore inflexibilis etiam est a spe et gaudio et a tristitia. Similiter ad unam quamque istarum inflexibilitatum sequuntur relique tres.

Populus autem convocandus ad iudicium coram predicto iudice est universitas voluntatum et operum voluntariorum. Voluntatum inquam si desit facultas in opera progrediendum. Apparitores autem, qui populum istum citant et cogunt ad iudicium, sunt recordacio, contuicio, expectacio. Recordacio namque cogit comparere coram iudice populum voluntatum et operum preteritorum, contuicio presencium, expectacio voluntatum et operum iam in deliberacione /7rb/ et proposito futurorum.

Preter populum autem quem isti tres apparitores possunt cogere ad iudicium est populus in quibusdam abditis latens qui ad vocacionem alicuius istorum trium apparitorum nec venire dignatur. Immo, si queritur ab aliquo illorum, respondetur plerumque querenti quod talis populus quem querit non est in illa patria. Iste autem populus sic latens et occultus sunt amores prosperitatum diu habitarum et amores prosperitatum desperatarum. [desperitarum MS] Sepe namque accidit quod is qui aliquam prosperitatem diu habuit quasi eam iam fastiditus videtur sibi eam non amare, et quod ea facillime posset carere. Si autem eidem auferatur diu habita prosperitas amor prius occultus statim de latibulo suo lugubris et amens irrumpit. Ablacio namque prosperitatis habite latentem amorem de latibulo suo compellit egredi et se depromere. Hec itaque ablacio prosperitatis habite quartus est apparitor, sed quia violentus est populo nimis odiosus et plerumque ipsi iudici non multum gratus.

Similiter quandoque videtur homini quod prosperitatem quam non sperat nichil cupit, sed si assit prosperitatis non sperate oblacio plerumque amor qui latebat exilit de latibulo suo gaudens et tripudians. Hec itaque oblacio quintus est apparitor. Sed hunc apparitorem non semper ad manus habet iudex; vagus enim est nimis, nunc huc nunc illud indiscrete discurrit.

Iudex enim supradictus horum apparitorum ministerio quantum poterit de populo sibi subdito faciet comparere, ut ex officio suo de moribus subditorum inquirat. Statutis ergo coram se pro singulis voluntatibus, inquirat primo diligenter quid unaquaque voluntas velit et amat. Hoc quoque vere inquisito, iudicet per legem suam utrum illud quod amatur sit amandum necne. Quod si invenerit illud simplex non amandum, adhuc discernat utrum per legem suam sit prohibitum districte, aut dissuasum tantum, donec sic inveniatur utrum illius amor sit venialis aut mortalis.

Si vero illud quod amatur sit amandum, inquirat ulterius utrum a tali voluntate sit amandum. Verbi gracia, esto quod amatum sit uxorem ducere illud simpliciter secundum legem /7va/ suam,

scilicet divinam, licitum est et amandum. Sed non a cuiuslibet voluntate amandum, utpote a voluntate claustralis aut exeuntis infra sacros ordines. Si autem a voluntate proposita sit amandum, inquirat ulterius iudex utrum fine recto amet illud voluntas statuta coram se in iudicio. Similiter inquirat iudex utrum voluntas amet illud secundum circumstantias congruas temporis, loci, modi, et adminiculorum. Et non solum querat has circumstantias circa res licitas amatas, sed etiam circa amores illicitorum. Hee enim inordinate reatum aggravent et penam.

Similiter de unoquoque opere voluntario inquirat iste iudex utrum licitum sit an non. Et circa ipsum opus inquirat circumstantias finis, temporis et loci, modi, adminiculorum, et persone, que circumstantie per hunc versum vocantur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando, [cf. Grosseteste, *Ecclesia sancta celebrat*, #26, ed. McEvoy, RTAM 47 (1980)]

Quibus omnibus diligenter perquisitis, quem putas de populo sibi subdito inveniet iste iudex purum et mundum, qui et si forte non peccaverit in facto, saltem in circumstantia [non] peccaverit. Rarus aut nullus plene purus invenietur: [Is. 64:6] "Omnes enim iusticie nostre tanquam pannus menstruate." Quod si etiam aliquis fuerit, vel unus, in populo huius iudicis mundus, hoc ipsum latebit ipsum iudicem; non est enim tam acute discutionis ut hoc possit perspicue perscrutari.

Quid ergo iste iudex faciet qui totum vel fere totum populum sibi subditum simpliciter aut ex parte aliqua invenit reum? Numquid totum condempnabit ad penam? Sed tantam habet cognationem iste iudex cum populo suo quod non potest puniri populus iudice non compaciente.

Quid igitur? Dissimulabit iudicium? Aut contra iusticiam populum absolvet, quod si faciat acerimum habebit accusatorem coram superiori iudice qui illum convincet. Quid igitur faciet iste iudex, qui etiam si seipsum discuciat, inveniet se minus prudenter, et nimis [minus MS] negligenter populum sibi subditum instruxisse, minus rigide corripuisse, minus viriliter eius impetus refrenasse, nimis [minus MS] enormiter se eius erroribus concensisse?

Quid igitur, inquam, faciet iste miserabilis iudex cum populo suo infirmo? Non est alia via qua ulcionem effugiat, nisi ad supremum /7vb/ iudicem confugiat prius adiens eius misericordiam quam iusticiam. Utaturque ibi sola constitutione deprecativa, concedens factum et qualitatem facti, rogansque misericordiam, et dicens cum David, [Ps. 50:1] "Miserere mei, Deus," etc. Quod si fecerit in spiritu contrito et humiliato, audiet illam iocundam vocem quam audivit David, ad quam, inquam, vocem reminiscunt mortui, scilicet hanc vocem, [2 Reg. 12:13] "Transtuli a te peccatum tuum." Sicque fiet ut cum nosmetipsos diiudicaverimus, tandem adepta venia a superiori iudicis misericordia, ab eius iusticia ad penam non iudicabimur.

## Dictum 6

### De mendacio

Secundum Augustinum, [Augustinus, *De mendacio* 3, 3; CSEL 41, 415] "Mendacium est cum quis aliud habet in animo, aliud in verbis vel quibuslibet significacionibus enunciat. Unde etiam duplex cor dicitur esse menciens, id est duplex cogitacio: Una rei quam veram esse, vel scit, vel reputat; altera eius rei quam pro ista profert, sciens esse falsam vel putans." Et propter hanc duplicitem peccat omnis menciens.

Culpa enim est ipsa in animo menciens fallendi cupiditas, sive fallit sive non. Hanc duplicitem sequitur inconstancia. Unde Iacobus, [Iac. 1:8] "Vir duplex animo inconstans est," etc. Que nimirum clam sequitur, "quod putat vel scit esse verum." [cf. Augustinus, *De mendacio* 3, 3] Palam vero ne deprehensus confundatur, sequitur quod extra asserit, et ita neutrius oppositorum viam constanter ambulat, sed ab hac in illam et econverso, crebro et hesitanter dissilit. Unde in neutra via successus invenit, sicut scriptum est, [Ecclus. 3:28] "Cor ingrediens duas vias non habebit successus." Immo etiam in eadem scriptura sequitur, [Ecclus. 3:28] "Pravum cor in illis

scandalizabitur.” Scandalum autem non est sine ve. Unde Ecclesiasticus, [Ecclus. 2:14] “Ve, duplici corde, et labiis sceleratis, et peccatori terram ingredienti duabus viis.” Ne igitur duabus viis scandalizemini, et ve incurratis: “Purificate corda vestra duplices animo,” sicut monet Apostolus Iacobus. [Iac. 4:8] Et ne ignores medicinam purificantem, subiungit. [Iac. 4:9] “Miseri estote, lugete et plorate; risus vester in luctum convertatur, et gaudium in merorem.”

Secundum autem predictam mendacii diffinitionem patet quod falsum dicens potest non mentiri cum putat falsum, scilicet quod asserit, esse verum, et verum eiam dicens potest mentiri cum putat falsum esse quod asserit.

Item, quod /8ra/ omne mendacium sit peccatum patet ex eo quod menciens non utitur sermone recto fine. Omne autem quod non recto fine fit, peccatum est, sicut dicit Augustinus. [cf. Augustinus, De mendacio, 3, 3; cf. RG in De decem mandatis, 8, 6 (p.82)] Finis autem rectus sermonis est, ut qui loquitur formet intelligenciam et credulitatem alterius quod in sua intelligencia et credulitate formatur, ut is ad quem sermo dirigitur veritate illustretur qua se credit is qui loquitur illustrari. Ubi autem est recti finis privacio et ordinis, quid nisi vanitas, error, et confusio? Unde Psalmista, [Ps. 5:10] “Quoniam non est in ore eorum veritas; cor eorum vanum est.” Et Ecclesiasticus, [Eccus. 20:27] “Pocior est fur quam assiduitas viri mendacis,” etc.

Item, omne mendacium ideo est peccatum quia is qui mentitur de seipso perhibet falsum testimonium. Verbum enim oris exterius testificatur verbo mentis interius; immo ipsa mens per verbum oris de se testimonium perhibet. Mendax ergo animus sui ipsius est testis falsus, contra hoc quod in Exodo scriptum est, [Ex. 20:16; cf. Mt. 19:18] “Non falsum testimonium dices.” Hic namque, ut dicit Augustinus, [cf. Augustinus, De mendacio 5, 6; CSEL 41, 420, et ibid. 17, 36; CSEL 41, 455 etc.] prohibetur mendacium, quia mendax, ut dictum est, de seipso dicit falsum testimonium. Non tamen intelligendum est quod in omni mendacio, eiam levi, sit transgressio legis decalogi. Quid autem magis detestandum quam sui ipsius testis falsus? Unde Ecclesiasticus, [=Prov. 13:5] “Verbum mendax iustus detestabitur.” Et in Parabolis viii, [Prov. 8:13] “Os bilingue detestor.”

Item, ideo peccatum est omne mendacium, quia mendax abnegat veritatem, que veritas, si Deus est, patet quod non est eius abnegacio sine peccato, quia non solum eius abnegacio peccatum est, sed eiam erubescere ipsum confiteri.

Si autem dicat quis menciens non negare veritatem nisi illam que est in enunciando, adhuc sequitur quod omne mendacium peccatum sit, quia inordinatum est peiora preferre pocioribus. Veritas autem enunciacionis eiam omnibus hiis transitoriis preferenda, quam postponit alicui transitorio is qui mentitur. Unde Augustinus in libro De mendacio, [Augustinus, De mendacio, 20, 41; CSEL 41, 461] “Si quisquam proponeret sic sibi amandam veritatem non tantum que in contemplando est, sed eiam in vero annunciando quod in suo quoque rerum genere verum est, et non aliter proferendam motu cordis sentenciam quam in animo concepta atque conspecta est, ut fidei veridicam pulcritudinem non solum auro et argento et gemmis et amenis prediis, [presidiis MS] sed eiam ipsi universi temporali vite omnique corporis bono preponeret, nescio utrum sapienter a quoquam /8rb/ errare videretur.” Quasi diceret Augustinus, credo quod non sapienter errare diceretur, immo vero non errare.

Item, peccant qui prestigio, vel aliquo modo, deludent visum corporalem, faciendo album apparere nigrum vel econverso, vel festucas apparere serpentes, vel aliquid huiusmodi. [cf. Grosseteste, De decem mandatis, 8, 7 (p. 82)] Ergo cum visus mentis melior sit visu corporis, eiusque deceptio peior, multo forcius peccat qui deludendo visum mentis facit de vero apparere falsum vel econverso. De talibus delusoribus dicitur, [Prov. 3:34] “Delusoribus ipse deludet, et mansuetis dabit gratiam.” Hoc est enim iudicium iustum, ut qui lucente illis veritate falli volunt, et occulta aliis luce veritatis fallere volunt et deludere ipsi econverso subtracta eis luce veritatis fallantur, aliosque fallere non possunt.

Item, mendax fingit se nuncium veritatis, et quid est hoc nisi cum “Sathana transfigurare se in angelum lucis?” [2 Cor. 11:14]



Item, mendax, quantum est de se, dat esse non enti. Sed hoc est proprium solius Dei, scilicet esse dare non enti. Mendax ergo, quantum est de se, se parificat potencie Dei. Et quid congruencius quam hanc potenciam ex corde usurpantem ab eadem potencia disperdi? Unde, [Ps. 5:7] “Perdes omnes qui loquuntur mendacium.”

Quid autem est mendacium nisi tenebrosus fingens se lucidum quod in tenebris videtur lucere, sed in luce patent eius tenebre. Est itaque mendacium sicut lignum putridum, quod in nocte se fingit lucidum, sed sub luce diei invenitur obscurum.

Item, cum veritas sit anime cibus, quod se fingit verum fingit se anime cibum. Qua propter mendacium bene comparatur pomis que nascuntur in Sodomis. Que dico poma nascuntur virencia sub tanta specie maturitatis ut videntibus edendi desiderium gignant, sed si carpas, fatiscunt et resolvuntur in cinerem, fumumque exalant quasi adhuc ardeant.

#### Dictum 7

Quomodo quinque sensus sunt porte, et qui populi ingrediuntur per illas

Quinque sensus porte sunt per quas intrat mors, ut dicit Ieremias. [cf. Ier. 9:21] Mors intravit per fenestras vestras aulam. Aula ad quam ducunt hee porte latitudo memorie est, que rerum omnium capax est. Populus intrans per has portas sunt species rerum sensibilium. Contra /8va/ hunc populum intrantem egreditur vivacitas sensuum, et intrantem populum excipit et introducit in communem sensum, quasi in vestibulum ante ostium, ubi ostiarius, quasi fanthasia, hunc populum excipit et in aulam memorie introducit.

Cum populo hoc intrante importune et imprudenter sepe se ingerit inimica et meretricalis turba illicitebrarum rerum sensibilium, quam obvia excipit libido sensuum, et cum introducta fornicatur et fornicando moritur.

Est alius populus verecundus qui ad has portas venit, scilicet utilitates rerum sensibilium, cui si [sibi MS] obvia sit sciencia huius vite regende, eum introducit, et cum hoc populo consilium iniit.

Est et quartus adhuc venerabilior populus, scilicet in ipsis speciebus sensibilibus vestigia creatorum, cui si obvia fuerit sciencia speculativa, eum introducit, celebratque canticum laudis et exultacionis.

#### Dictum 8

De respectu Dei

Respectus Dei est eius cognicio, et voluntas tollendi tenebras culpe et ignorancie et defectiones penalitatum, et dirigendi affectum, et illuminandi aspectum, directumque et illuminatum ne relabatur suscipiendi, superiusque promovendi, provectumque ad consummacionem in eadem perpetuo confirmandi.

Non inmerito tam crebro scriptura desideranter orat Dei respectum. Cum enim Deus sit sol iusticie, affectum dirigens, et sol intelligencie, aspectum illuminans, aspectus eius quasi radius solaris est, qui tenebras peccati et calligines de concupiscencia scaturientes dissipat. Unde Salomon in Parabolis, [Prov. 20:8] “Rex qui sedet in solio iudicii dissipat omne malum intuitu suo.” Hic idem radius nubem peccati, dicit Ieremie, Trenorum tercio, [Lam. 3:44] “Opposisti nubem, ne transeat oracio,” dissolvit, et diffluere facit in pluviam lacrimarum, sicut in Petro, nubem quam sibi opposuit Dominus negando, Dominus dissolvit in amaritudinem lacrimarum, eum dulciter respiciendo. [cf. Luc. 22]

Respexit enim Dominus Petrum et flevit amare. [Luc. 22:62] Post huius pluvie molestiam et nubis dissolutionem fovet hic radius terram complutam calore exultacionis. Unde in Thobie tercio,

[Tob. 3:22] "Post /8vb/ tempestatem tranquillam facis, et post lacrimas et fletum exultacionem infundis." Et in Psalmo, [Ps. 4:5-6] "Que dicitis etiam cordibus vestris et in cubilibus vestris compungimini. Sacrificate sacrificium iusticie." Hoc est "sacrificium spiritus contribulatus," [Ps. 50:19] statimque subiungit caloris huius radii fomentum: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Dedisti leticiam in corde meo. [Ps. 4:7] De hac terra predicto modo compluta, caloreque predicti radii confota, vis predicti radii facit sursum ascendere vaporem celestis desiderii. Unde Psalmista, predicti radii fomentum tangens, ait, [Ps. 33:16] "Oculi Domini super iustos," moxque subiungens vaporis celestis desiderii ascensum, ait, "Et aures eius ad preces eorum." [Ps. 33:16] Oratio enim celestis desiderii ascensus est, quasi dicat radio aspectus sui cor iusti tangit, et statim in precibus ascendit vapor celestis desiderii, quem exaudit.

Respectus hic etiam quasi solis radius lutosa concupiscencie siccat et resolidat, constricta gelu tristicie secularis, que mortem operatur, liquefacit, putores pellit, et mortificata hiberno frigore infidelitatis revirescere et reviviscere facit, arefacta aromatica fragrare facit.

#### Dictum 9

De hoc verbo, "Velociter currit sermo eius."

"Velociter currit sermo eius." [Ps. 147:15] Sermo interior in sermone exteriori velociter ab ore loquentis in aurem et in cor audientis percurrit. Sermo etiam intellectus, quo moventur affectus, ab ipsis affectibus motis quasi pedibus in opera velociter deportatur.

Item sermo predicacionis, intellectus ab animo auditoris defixo in terrena, per eorum illicitum amorem decurrit, trahens secum animum auditoris a terrenis ad celestia. Propter hos decursus sermonis predicacionis dicit Apostolus ad Galatos secundo, [Gal. 2:2] "Ne forte in vacuum currem, aut cucurrissem."

Sermo etiam Dei Patris eternus ipsis creaturarum motibus quasi pedibus currit, motibus inquam creacionis, propagacionis, generacionis, augmenti, et profectus, ceterisque mocionibus. Hiis enim motibus currit Verbum, quo sex diebus mundum creavit et ornavit. Unde Ambrosius in Exameron ait, libro vi cap. x, [Ambrosius, Exameron, 6, 3, 9; CSEL 32/1, 209] "Currit in constitutione mundi per omnem creaturam Verbum Dei, ut subito de terris omnia que statuit /9ra/ Deus animantium genera producantur et in futurum lege prescripta secundum genus suum similitudine que universa succedant, ut leo leonem generet, tigris tigridem, bos bovem, cignus cignum, aquila aquilam. Semel preceptum in perpetuum inolevit nature, et ideo ministerii sui obsequium prebere terra non desinit, ut prisce animantium species reparabili generis successione in novas reparentur etates."

Etiam nota quod sicut in corporalibus movens pedes ab ipsis pedibus deportatur, sic verbum intelligibile motivum est, sive soni, sive affectionum, sive etiam quantum attinet ad Verbum eternum omnium naturarum, ipsisque motis velud quibusdam pedibus motivum ipsum deportatur.

#### Dictum 10

De redempcione humani generis

Emptor est qui rem in hunc usum factam ut detur pro re alia donat. Filius vero Dei ideo factus est homo ut ipse homo daretur pro genere humano liberando. Ipse igitur qui se hominem ad hunc usum factum pro homine dedit, genus humanum emit et, quia emendo ad pristinam libertatem reduxit, non solum dicitur emisse, sed etiam redemisse, non quia iterato emit, sed quia ad iteratum libertatem emit, sicut resurgere dicitur non quia iterato ad vitam surgit, sed quia ad vitam iteratam surgit.

Emit autem Filius Dei humanum genus a diabolo, violento et iniquo tortore, et a Deo Patre, iusto punitore, quia dedit se hominem in manus diaboli qui per membra sua eum ut voluit occidit. Sed quia ipse diabolus precio accepto abusus est, et quia etiam tam precium quam appreciatum violente detinere voluit, iuste utrumque amisit. Non enim in acceptum precium potest accipiens facere licite quicquid libuerit. Ut si in accepto precio sit impressa regis ymago, non licet in dedecus regis precium ymagine eius figuratum conculcare aut confringere.

A Deo Patre etiam emit genus humanum, quia dedit se in honorem Dei Patris, ut Deus Pater captivitatem generis humani relaxaret. Ut autem hoc clarius intelligantur, ymaginem regem aliquem iustum cuius servus meruerit carcerem, et suo merito in carcerem detrudatur. Ymaginem etiam tortorem, qui servum dictum non amore iusticie sed invidia et torquendi libidine eum incarceratum torqueat. /9rb/ Ymaginem etiam tertium, qui regi donet iustum precium pro servi a captivitate liberatione, non ut servus non sit amplius sub regis dominio, sed ut non sit amplius in captivitate, sed ipsi regi serviens in libertate. Nonne iste tertius recte diceretur servum emisse a rege et redemisse, et illa emptione a captivitate liberasse et ad libertatem restituisset?

Sed esto quod violentus iste tortor vendicet sibi ius in incarcerato, nolique servum relaxatum a rege dimittere. Ille vero tertius emptor videlicet, volens ipsum tortorem prius convincere iusticia quam potencia, etiam illi offerat pro incarcerato iustum precium. Illeque tortor recipiat precium oblatum, licet non animo dimittendi incarceratum pro oblato et recepto precio, sed post receptionem velit utrumque detinere. Nonne recte iam dicere potest ille tertius tortori: 'Emi a te hunc incarceratum; tu enim precium iustum pro ipso tibi oblatum recepisti.' Item quia ille tortor precium recepit, etiam si ius aliquod habuisset, iam illud amisit. Et quia, ut dictum est, violenter utrumque libet precium oblatum et pro quo deferebatur retinere voluit, iusta potestate utrumque amittere debuit et amisit.

Emit itaque et redemit Filius Dei genus humanum a Deo Patre velud a iusto rege, et a diabolo velud a violento tortore, dans se hominem in precium. Redemitque inquam de maledicto legis et de captivitate inferni in libertatem gracie et glorie. Habemus itaque quis emit, quo precio, a quibus, de quo emendo liberavit, et ad quid restituit.

#### Dictum 11

De elemosina, super hoc verbo, "Qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet."

"Qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet." [2 Cor. 9:6] Semina autem elemosine largite sunt quia, sicut semina, de manu proiciuntur et ad horam dimittuntur, sed postea multipliciter recipiuntur. Terra autem in qua seminatur sunt bonorum distributorum receptores. Pauperes vero nudi et diversis miseriis contriti et confracti sunt sicut terra ab herbis nuda aratoremque confracta. Semina vero in tali terra iactata, si congruat temporis temperies, in bonam messem perficiunt. Temperies autem congrua est si, dum semina sunt in crescendo, dum sit pluviarum irroratio, dum aeris /9va/ serenitas, et solis irradiatio; tempore vero [vero] messonis et collectionis frugum sit aeris serenitas et solis fervor, nullaque ymbrum effusio. Pluviarum irroratio est pro delictis, pro quibus mundandis dantur elemosine, lacrimarum effusio, aeris serenitas et solis irradiatio etiam hilaritas spiritualis in dando. Serenitas et solis fervor in missione, sine ymbrum effusione, est apparente sole iusticie gaudium sine merore in eterna retributione. Hanc temporis congruenciam tangit scriptura cum dicit, [Ps. 125:5] "Qui seminant in lacrimis, in exultatione metent." Et Apostolus, [2 Cor. 9:7] "Hilarem datorem diligit Deus." Et in Apocalypsi, [Apoc. 7:17] "Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis sanctorum."

Cum autem fit distributio pro fama, est quasi seminaretur in urente vento, cuius flatu continuo sine pluviis et aeris serenitate seminum non germinaret. Cum autem distribuitur cum tristitia, est quasi seminaretur gelu, prohibente crementum. Sive sit temperies congrua cremento

sive non, terra semper suscipit semen iactum et in se recondit, sed intemperies eius cremento officit. Similiter pauperes recipiunt et recondunt bona sibi largita, sed non crescunt in spiritualem messem quam metere possit seminans sine temperie predicta.

Intencio vero largientis qua largitur pro mercede eterna est quasi vis germinativa in semine iacto, qua de terra pululat crescitque in altum. In summo itaque huius intencionis est consolacio centupla consolacioni largite. Et ita, quasi de uno grano iacto in terram centum grana reperiuntur in spica, sicut legitur de Ysaac, [Gen. 26:12] qui "seminavit in terra illa, et invenit in illo anno centuplum." Fiet vero messis cum de terra paupertatis non amplius crescet granum transitorie consolacionis in spica eterne retribucionis. Hoc erit cum "absorta fuerit mors in victoria," [1 Cor. 15:54] cum non amplius erit paupertas in qua seminetur. Tunc erit quasi spica a terra de qua crevit separacio.

Qui vero divitibus diviciarum amatoribus largiuntur seminant in terra spinis, carduis, et urticis plena. Qui autem non egentibus, nec tamen diviciarum /9vb/ amatoribus, largiri volunt sunt quasi qui in prato virente et florente seminare volunt. Qui vero histrionibus et meretricibus largiuntur sunt quasi qui seminant in voragine paludis tenebrose et fetentis. In hiis terris semina iacta non crescunt.

Quod per se seminatur in paupere consolacio est et a miseria relevacio, cui proporcionalem consolacionem et relevacionem a miseria recipiet in retribucione. Crescit ergo de grano iacto granum eiusdem generis, sicut ait Apostolus ad Galatos quinto, "Que seminaverit homo, hec et metet." [Gal. 6:7] Et ad Ephesios 6, "Unusquisque quod fecerit bonum, hoc percipiet a Domino." [Eph. 6:8] Omnia opera que facit homo ut ex hiis crescat in carne sua, voluptas carnalis qua fruatur in carne seminat. Semen iactum, opus quod facit, fruges quam expectat, voluptas carnis. Sed cum ipsa voluptas sit corruptio, eciam si proveniat voluptas expectata, metens ipsam voluptatem metet et corrupcionem, metitque consequenter corrupcionem aliam, scilicet dolorem in descisione voluptatis et in pena iuste consequente illicitam voluntatem. Si vero non proveniat expectata voluptas, metit dolorem in ausencia voluptatis sperate et penam debitam illicito appetitui voluptatis.

## Dictum 12 De fraude

Fraus palliata est in superficie omnibus formis consequentibus, a quibus potest credi consequenciam converti cum tamen non convertatur, utpote colore rubeo auro consequente et cum auro non convertente. Habetque fraus ipsa potestatem ut plerumque cum voluerit quas voluerit de hiis formis explicet et ostendat, et quas voluerit involvat et occultet, seque per hoc in formas diversas et adversas commutat innumberabiles et, velud Protheus, inopinate commutans vultus, nullo possit modo [nodo MS] teneri. Sub hiis formis consequentibus et signis non convertibilibus, loco soliditatis corporis habet vacuitatem et privacionem existencie rerum quarum formas consequentes et signa in superficie pretendit, quarumque existenciam subesse signis illis mentitur. /10ra/

In illis autem vacuitatibus et privacionibus existenciarum rerum quas superficietenus mentitur occulta sunt omnia genera periculorum in quibus periclitantur qui fraudis fallacem et fucatam superficiem quasi subesset corpus solidum pertractant. Hec autem pestis monstruosa astucias omnes novit, et artes malas quibus possunt signa fallacia induci et fieri, taliumque arcium omni ipsa est ministra sagax et infatigata, omnique talium arcium instrumenta manuum ipsius sunt gestamina.

## Dictum 13

Quomodo raptores sunt viri sanguinum

“Manus vestre pollute sunt sanguine, et digiti vestri pleni sunt iniquitate.” [Is. 59:3]

Alieni sanguinis iniuriosus effusor dicitur sanguinolentus habere manus. Sanguis enim effusus in manus effudentis est sicut effectus in causa; manus namque effudentis causa est effusi sanguinis. Sic quoque cum nutrimentum corporale causa sit sanguis in corpore quo vita hec transitoria sustinetur, qui pauperi subtrahit nutrimentum, subtrahit eidem sanguinem suum et vite huius sustentamentum. Quorum ergo manibus iniuste detinentur ea quibus vel quorum precio ali deberent indigentes, in eorum manibus sanguis ipsorum indigentum esse convincitur. Qui itaque sive vi, sive furto, sive fraude possidet quo pauperes ali deberent, pauperum sanguine manus habet pollutas, et qui de tali possessione comedit, bibit, et vescit, domos et muros edificat, sanguinem pauperum comedit et bibit, sanguine pauperum vestitur, in sanguine pauperum iacit suorum fundamenta edificiorum.

Audiant tales, [Gen. 9:6] “Qui effuderint humanum sanguinem effundetur sanguis ipsorum; ad ymaginem Dei quippe factus est homo.” Audiant et iterum, [Lev. 17:14] “Sanguinem universe carnis non comeditis quia anima carnis in sanguine est, et quicumque comedit illum interibit.” Quicumque enim supradicto modo sanguinem carnis pauperum comederit, si non penituerit, sine Domino morte eterna peribit. Audiant etiam qui vestiuntur sanguine pauperum quia, [Is. 9:5] “Vestimentum mixtum cum sanguine erit in combustionem et cibus ignis.” Audiant quoque edificatores in sanguine pauperum: /10rb/ “Ve qui edificat civitatem in sanguine et preparat urbem in iniquitate.” [Hab. 2:12]

Non sint itaque [Is. 59:3] “manus vestre pollute sanguine, nec digiti vestri iniquitate.” In digitis est manus divisio, qua propter per digitos intelliguntur operum divisiones et discreciones. Qui igitur in opere suo consideret et discernit qualiter agendum sit illud ad Deum, et qualiter ad parentes et coniunctos sibi consanguinitate, qualiter ad coniunctos sibi amicitia et societate, qualiter ad eos qui nec sunt amici nec inimici, et qualiter ad inimicos, illudque agit ad quemlibet eorum quemadmodum ratio recta discernit, per hanc quinquariam operis rectam discrecionem quasi manum in quinque digitos recte formatos habet divisam. Similiter habet rectos quinque digitos qui in opere suo considerat et discernit ad quem sit agendum, et cur, et quando, et ubi, et quomodo, si sequamur in actu hanc rationis rectam discrecionem.

Qui autem hanc operis discrecionem in opere suo non facit habet manum in digitos non partitam, sed concretis digitis totam continuam. Qui vero hanc partitionem ratione facit, sed in agendo eam non observat, omittendo aut contrarie agendo, habet quidem digitos, sed aut paraliticos, aut distortos. Digiti ergo polluti sunt iniquitate quando partitiones operum equitati sunt contrarie.

## Dictum 14

Sermo ad contemplativos de hoc verbo, “Fugit Mathathias in monte et filii eius.”

“Fugit Mathathias in montem et filii eius, et reliquerunt quecumque habebant in civitate.” [1 Mac. 2:28]

Mons frequenter in scriptura vite contemplative celsitudinem signat, filii opera et imitatores, civitas, mundum. Mathathias igitur, legis zelator, iniquorum exterminator, declinans seviciam persecutorum, relictis omnibus que in civitate habuit, cum filiis in montem fugit. Quando aliquis, ut legem Dei observet, iniquitatem exterminet, declinetque seviciam spiritualium hostium, carnis scilicet, mundi, et diaboli, relictis omnibus que in mundo habuit, cum bonis operibus ad vite contemplative celsitudinem confugit.

Et notandum in primis quod dicitur reliquerunt non “quedam,” sed “quecumque habebant in civitate,” quia quicumque aliquid de hiis que mundi sunt retinuerit /10va/ sibi, eiusdem retenti sarcina pregravatus hunc montem scandere nequit. Nec solum exteriores possessiones computande sunt inter ea que in mundo sunt que ab intransibus religionem relinquende sunt, sed etiam talium possessionum amor propriaque voluntas, que propria, scilicet voluntas, tanto difficilius abicitur quanto de limo nostro nascens in nobis profundius et firmiter radicatur. Oportet autem intrantem religionem eam relinquere penitus, ut omnino non sit sub sua, sed omnino sub superioris sui ordinata voluntate. Immo per hoc potius sit penitus sub sua voluntate, cum hec sola sit voluntas sua ut ipse sit omnino non sub sua sed sub aliena voluntate.

Propter hanc maxime proprie voluntatis abnegacionem comparati sunt religiosi in Canticis [Cant. 4:2] “gregi tonsarum.” Unde et beatus Bernardus, exponens illum locum dicit: [Bernardus, Sermones de diversis, 93, 2; Opera, 6/1, 351] “Monachi tonsis ovibus comparantur quia revera tonsi quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mundanum in proprietate relictum est.” Si sic fueris tonsus relinquendo scilicet quecumque habebas in civitate, poteris expedire cum Mathathia in montem religionis, seu vite contemplative celsitudinem, scandere.

Sed animadvertendum quod, qui montem scandit, pedem quem preponit reliquo pede et quem eundem prius fixerat figit celsius, corpus totum in antea extendit, poplicem tibi super quem innititur dum reliquum pedem levat non flectit, nec flectendo ipsum staturam suam incurtat, immo potius super articulos se subrigendo staturam suam in procerum quodammodo propellit. Anterior pars sua cum monte facit acutum angulum, posterior obtusum; non facile cadit, nisi forte in faciem, et ille casus tanto minus ledit quanto cadentis facies ante casum arduitati montis approximavit.

Econverso, qui per declinum descendit, pedem preponit reliquo pedi et eundem quem prius posuit inferius ponit, corpus totum reinclinat, poplicem tibi super quem nititur dum reliquum pedem movet flectit, et ipsa flectione staturam /10vb/ suam incurtat. Non super articulos se subrigit, sed super talum debitis invitens se trementem dimittit. Anterior pars sua cum monte obtusum, posterior acutum angulum facit. Non potens talum firmiter in lubrico figere, per lubricitatem facile retro cadit, et cum sic cadens supinus iaceat, non poterit se manuum apprehensione a descensu retinere, nec earum fulcramento erigere.

Ascendentis ergo laboriosiores, sed descendentes periculosiores sunt condiciones. Haut secus, immo consimiliter, se habet res in ascensu et descensu spirituali. Quod ut melius pateat sciendum quod pes anime affectio sive voluntas est recta, pes distortus voluntas distorta. Sicut enim pede movetur corpus, sic affectione vel voluntate animus.

Preterea, cum nichil volumus nisi quod bonum aut utile apprehendimus, ipsa unius capiti [cupiti MS] diversarum utilitatum discrecio est quasi pedis in plures articulos divisio. Ipsa vero boni summi apprehensio est quasi pedis post divisionem articularum concrecio.

Cum autem voluntas nostra commensuret se bono et utili, nec ultra se extendit, ubi deficit bonum in apprehensione et voluntate, ipsa defectio quasi tali est prefinicio. Via autem bona super quam incidit pes rectus quasi ex politis lapidibus strata est, videlicet ex declinationibus a malis et adhesionibus bonis operibus. Et quia ipsa voluntas sive amor reflectitur supra se seseque diligit, strata est et hec via quasi ex lapidibus preciosioribus ex ipsis, scilicet voluntatibus a malis declinandis et bona faciendis, et hee voluntates virtutes sunt. Hec autem via non se protendit per montis planiciem, sed sursum tendit per montis devexitatem.

Hec enim via est “pavimentum stratum lapide” quod vidit Ezechiel in montis illius devexitate qui templum habuit in sua summitate. [cf. Ezech. 40:17] Hec via quasi in sinistro habet declinationes a malo, quasi in dextero operationes bonas. Pes itaque sinister rectus est voluntas sive amor declinandi a malis, pes dexter voluntas faciendi bona. Et quia prius est declinare a malo quam facere bonum /11ra/ prius in hac via figitur pes sinister, et consequenter dexter.

Propria autem via, per quam religiosi in montem celsitudinis contemplationis est ascendendum, quasi ex decem magnis lapidibus est stratum. Primus enim lapis est relinquere mundum et mori mundo. Secundus lapis est vivere Deo. Cum enim vult quis relinquere mundum et mori mundo, quasi sinistram pedem super lapidem primum ponit. Cum consequenter vult vivere Deo, quasi dextram pedem sinistro prius fixo paulo antea et celsius super secundum lapidem ponit.

In hoc primo lapide insculpuntur et depinguntur omnes flores mundane glorie, sed marcescentes et morientes. Et marceditas eorum est illud cui firmiter et sine lesione pes primo fixus in hac via adheret. Voluntas enim relinquendi mundum vult omnem florem iocunditatis terrene glorie in se marcescere et mori. Omnis enim flos mundane glorie dum viret spinosus est et acerrime pungitivus, velud carduus aut paliurus, et is sub cuius pede, id est voluntate, viret, acerbissimas nimirum sentit punctiones, sed cum marcescit et moritur, perdit pungendi fortitudinem, nec ledit pedem calcantem.

In secundo lapide insculptus est et depictus omnis flos celestis et spiritualis iocunditatis vivaciter virens, verumtamen tanquam novellus necdum formatus et expansus in manifestationem sue pulcritudinis, nec tamen pulcritudinem suam omnino occultans, sed sicut in novellis et primo pululantibus floribus assolet fieri, occultando propalans seu propalando occultans. Hec itaque secundi lapidis insculptio insculptione primi tam aspectu iocundior quam tactu mollior. Is enim lapis, ut dictum est, est vivere Domino, cuius "iugum suave et onus leve." [Mt. 11:30]

Sed quia qui Domino vult vivere debet regulas et iusticiam secundum quas illi vivitur cognoscere, et secundum illas regi, nec de sua sapientia potest sumere, vel suam iusticiam statuere. Securissimum enim est ei relinquere ducatum et regimen proprium, et subdere se discipline et ducatum et regimini alieno ordinato et approbato. /11rb/ Qua propter tertius lapis, ad quem elevandus est pes sinister, est relictio proprii ducatus et regiminis, et quartus, ad quem consequenter est elevandus pes dexter, est subiectio discipline ordinate et approbate.

In tertio vero lapide inscriptus est omnis error vivendi evanescens et deficiens.

In quarto vero lapide inscripta est omnis ars vite regende, velud de subobscura et minus formata scriptura in apertissimam et fortissimam tandem prorumpens. In hoc lapide, tanquam in figuris grossioribus tamen apte formatis, scribuntur regule illius Benedicti, prudenter inscii et sapienter indocti. Et cum hiis, velud figuris subtilioribus, regule beati Augustini, prudenter scii et sapienter edocti.

Sed quia tamen "alius te cinget et ducet quo tu non vis," [Ioan. 21:18] solet murmur aliquod triste suscitare et pacientiam frequenter exterminare. Necessarium est ut pes sinister adhuc alicui elevetur, et quasi super quintum lapidem, super murmuris videlicet exterminacionem, viriliter defigatur, et consequenter pes dexter super pacientiam, quasi super sculptatam petram adamantinam.

In principio huius quinti lapidis litteris nigris et liventibus et fere oblitteratis scribuntur omnes interiectiones indignantis, ut "racha" [cf. Mt. 5:22] et similia. In media parte eiusdem lapidis litteris non nimis nigris tamen non oblitteratis scribuntur omnia apertarum querimoniarum genera. In ultima vero eiusdem lapidis parte, omnes contradictiones et contumelie. Hec omnia, inquam, in quinto lapide sunt scripta, sed evanescencia et abeuncia. Hanc enim habet differentiam a sinistris positorum lapidum sculptura seu pictura intelligibilis ad scripturas et picturas alias, id est corporales, quod in aliis non potest pingi motus aut sculpi, sed solum res mobiles aut stabiles. In his vero sculpuntur et pinguntur non solum res mobiles aut stabiles, sed ipsarum rerum recessus et mociones. Alioquin in structura huius vie laudabilis hii lapides non ponerentur nisi in hiis rerum vanarum et malarum in eius sculpturarum evanescencia et recessus simul insculperentur. In lapidibus enim quibus complantata est via iniquorum insculpte sunt /11va/ eedem res vane et male, sed non sunt in hiis evanescences et in recessione.

In sexto lapide insculpitur triumphus victoriae qua virtutum exercitus triumphat hostes nequicie, de hinc pacifica possessio rei per victoriam adeptam, tercio operum perfectio et integritas sine diminutione. Paciencia enim vincit maliciam. Sola est que conterit hostem, virtutesque regit. Paciencia sola triumphum militat innocuus et honeste consulit ire. "In paciencia vestra possidebitis animas vestras." [Luc. 21:19] "Pacencia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes." [Iac. 1:4]

Sed quia facile non sedatur murmur, nec portatur alienum imperium dum caro viget et rebellat spiritui, adhuc elevandus est pes sinister alcius quasi in gradum septimum, scilicet in non dare carni suavitates quas appetit. Et consequenter pes dexter adhuc alcius, velut in gradum octavum, in dare carni asperitates quas odit, ut secundum consilium Apostoli, [Col 3:5] "mortificet membra sua que sunt super terram."

In lapide huius septimi gradus insculpte sunt omnes figure et colores allicientes visum, omnes canori soni allicientes auditum, omnes odores allicientes olfactum, omnes sapes allicientes gustum, omnes tepores mollicies et levitates allicientes tactum, omnes etiam illicebre scienciarum curiositatis, et omnes illicebre superbe dominacionis. Omnes, inquam, hee illicebre ibi sunt descripte quasi turba multa ad partem aliquam ingredi nitens, et tamen a ianitore ad introitum non admissa.

In octavo autem lapide insculptum et depictum est ieiunium, extenuatum et pallens, et tamen inexhausti vigoris, et ad modum reverendi vultus iocundi et sereni. Ibidem etiam describitur disciplina verberum livens et rubens, textura cilicii aspera et pungens, vigilia nictitans, oratio protensis ad sidera palmis supplicans, et genuflectione crebra camelorum duriciam in genibus contraxit. Quia vero, mortificata carne, iam incipit nil terrenorum delectari, et purgato /11vb/ a noxio humore cupiditatis terrenorum mentis oculo, iam incipit aliquatenus Deus videri, quia: [Mt. 5:8] "Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt." Et Augustinus ait: [cf. Augustinus, Soliloquiorum libri, xxx; PL 32, 882; CSEL 89] "Crede michi, in qua hora nil terrenorum te delectat, in illa hora videbis Deum, quia inquam ita est."

Adhuc sinister pes aliquanto alcius est elevandus et quasi in nono lapide, id est nil terrenorum delectari, firmiter figendus. Sed quia hoc parum est, in nullo terrenorum delectari, pes dexter supra sinistrum quasi in decimo lapide, scilicet in Dei contemplacione et in contemplacionis huius delectacione, firmissime figendus.

In hoc nono lapide describitur quod in septimo supra describi dicebatur, sed turba tamen illa que ibi scribitur quasi ad ianuam aliam improbe intrare nitens sed a ianitore ad ingressum non admissa, hic describitur moriens vel penis mortua et evanida.

Decimus vero lapis luce fulget inaccessibili, cuius insculpcio est ineffabilis pulcritudo, de qua nescio quid narrem nisi quia ipsa est inenarrabilis. Eius enim nimis fulgor obtuitum reverberat lippientem et subtilitas effugit. In ipso enim describitur omnis flos, expansus et plene formatus, qui supra in secundo lapide dicitur describi pululans novellus, obvolutus.

O, si bene, immo quia bene contuemini viam istam, quia per illam inceditis, quam alacri corde dicitis, [Prov. 3:17] "Vie eius vie pulcre, et omnes semite eius pacifice." Huius vie pulcritudo bene perspecta viatorem eius non sinit fatigari. Hiis itaque decem gradibus pedibus bone voluntatis in montem, id est celsitudinem sancte religionis, ascenditur, ut qui religionis suscipit habitum primo velit mori mundo, deinde vivere Deo. Tercio velit non duci spiritu proprio; quarto velit duci regimine alieno. Quinto, ut velit ducenti quo non vult non obmurmurare. Sexto ut velit omne regulariter imperatum pacienter portare. Septimo, ut velit suavitates a carne appetitas ad ipsam non admittere. Octavo, ut velit asperitatibus quas odit eam discrete mortificare. Nono, ut velit in nullo terrenorum delectari; decimo, ut velit sola divinorum contemplacione suaviter perfrui.

Ecce /12ra/ qualiter in hac via alternant se vicissim duo pedes alternatim sese transcendendo, ut sinister semper se defigat in declinationibus a malo et dexter in operationibus bonis. Has ascensiones in corde suo disponunt sancti religiosi dum sunt in valle lacrimarum. Hiis



gradibus ascendunt de virtute in virtutem ut “videatur Deus Deorum in Syon,” [Ps. 83:8] hoc est in speculo, et summitate contemplationis.

Et quia sermonem iam in longum protraximus, proprietates reliquas ascendentis et descendentis non prosequimur.

Dictum 15

De sompno peccati et excitacione ab illo

Sompnus plerumque in scriptura peccatum signat, ut in illo Apostoli: [Rom. 13:11] “Hora est iam nos de sompno surgere.” Quem sompnum alibi exprimens dicit: [Eph. 5:14] “Surge qui dormis,” et illum exponens addit, “exurge a mortuis.” Hic enim sompnus mors est, id est peccatum, quod alibi manifeste vocat, cum dicit: [1 Tim. 5:6] “Vidua que in deliciis vivit mortua est.” Peccatum enim iure mors dicitur quia mors est separacio a vita, et peccatum nichil aliud est nisi a vita separacio, id est a Deo, qui per se vita est. Unde Ysaïas: [Is 59:2] “Iniquitates vestre diviserunt inter nos et Deum.” Et in Sapiencia: [Sap. 1:3] “Perverse cogitaciones separant a Deo.”

Sompnus itaque iste quo hortatur nos Apostolus surgere peccatum est. Nec immerito sompno comparatur peccatum quia sompnus est vinculum, et immobilitas sensuum. Sensus autem spirituales anime sunt memoria, et intelligencia, et dilectio Trinitatis, que supra ipsam est, et cognicio, et amor ordinatus sui et eius quod sibi par est, et cognicio regendi et administrandi ea que sub se sunt, amorque eadem recte regendi et administrandi. Hoc est, sensus spirituales anime sunt sapiencia et intellectus, sciencia, ars, et prudentia sive consilium. Et secundum Bernardum, quinque anime sensus sunt isti: [Bernardus, Sermones de diversis, 10, 2; Opera omnia 6/1, 122] “Amor pius, quo parentes diligimus, est sicut tactus; amor iocundus, quo diligimus socios, est quasi gustus; amor erga omnes homines iustus est sicut odoratus; amor violentus erga inimicos est sicut auditus; amor sanctus erga Deum sive devotus est sicut visus.” Horum autem sensuum vinculum et immobilitas ut non possint agere peccatum est, et ita peccatum sompnus est.

Expressius eciã patere potest peccati ad sompnum comparacio. Sompnus namque fit cum vapor resolutus /12rb/ a nutrimento ascendit ad cerebrum, et ibi in frigidatus redit et occupat primum instrumentum sentiendi ut non possit agere. In scriptura vero comedere dicimur omne quod summe amamus et in quo summe delectamur. Cibus itaque peccatorum sunt hec temporalia summe amata in quibus summe delectamur. Fantasmata autem horum amatorum usque ad racionem pertingentia, quasi vapores sunt a nutrimento resoluti, ad capud ascendentes, que cum illiciunt animam ad amandum ea quorum sunt fantasmata, quasi deorsum redeunt et gravant animam, occupantque eius predictos sensus ut non possint agere. Sic itaque crapulata et inebriata temporalibus consopitur. In sompno quoque est reversio caloris innati ad cor qui reverberatur ad vapores occupantes primum instrumentum sentiendi, sic ad fantasmata temporalium reverberatur amor ad amandum se.

Prima enim huius sompni causa est cum ad fantasmata sui ipsius reflectitur amor in se, et se superbe diligit, et per medium sui cadit in amorem inferiorum. Ab hoc sompno vult nos Apostolus expergisci. Sed forte dicit aliquis, multi hoc sompno graviter et profunde consopiantur, nec faciliter valent expergefieri nisi forte aliquibus violenter et aspere eorum sensus tangentibus. Que sunt itaque violenta et aspera que hoc sompno consopitos possunt excitare, vel debent? Audi que solent a sompno corporis excitare, et cognosce forciora a sompno anime excitativa. Stimulus ledens tactum et profunde consopitos a sompno corporis excitat, nec posset stimulus vel parum intra carnem penetrare sine dormientis excitacione.

Multe autem puniciones penalitatum ab extrinsecus venientium non solum cutem, sed eciã carnem penetrant, nec unam eius aliam particulam sed plerumque totam. Nec sistunt solum circa vitalia, sed multociens penetrant usque ad vitalia, ipsum cor perforant, et adhuc iacet

impergefactus qui stimulat. Namque penalitates quas in hac vita mortali seu morte vitali patimur, stimuli sunt Domini quibus pungit consopitos ut excitet, vel excitatos ne relabantur in sompnum exercitet. "Ipse enim percutit ut sanet," sicut ait /12va/ Legislatores [Deut. 32:39] et Propheta. [Is 19:22]

Exclamatio etiam fortis solet sopitos excitare, et maxime si persone reverende et tremende sit clamor. Audi qui et quanti in auribus tuis forti clamore personant! Paulus clamat: [Rom. 13:11] "Hora est iam nos de sompno surgere," et ingeminat: [Eph. 5:14] "Surge, qui dormis, et exurge a mortuis." Quod si iste excitator parve auctoritatis tibi videatur, audi et exaudi principem Apostolorum personantem: [1 Petr. 5:8] "Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester" etc.

Quod si isti quasi minores tibi despecti sunt, audi veteranos testamenti veteris! Audi Abraham cum clamat in auribus tuis forcius exemplo quam verbo, qui [Gen. 22:3] "de nocte consurgens, stravit asinum [azinum MS] suum," et "abiit in locum quem preciperat illi Deus." Non solum isti, sed etiam omnes illi antiqui exemplis clamant que in promptu sunt, et longum est ea enarrare. Ysaia quoque crebro ingeminat: [Is. 52:1-2] "Consurge, consurge, surge de pulvere. Surge illuminare Iherusalem quia venit lumen tuum." Et Ieremias clamat: [Lam. 2:19] "Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum." Ioel quoque impudenter adhuc torpentes velud stomachando obiurgatur, dicens: [Ioel 1:5] "Expergiscimini ebrii."

Quod si forte omnes hii videntur tibi non satis propinqui et familiares domino domus ut ad illorum voces surgere debeas, et si forte indigneris eis velud nimis aspere acclamantibus, audi paranymphum sponsi, qui plenus oleo dilectionis suaviter insusurret auri tue: [Apoc. 16:15] "Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet."

Quod si voces omnium horum utpote servorum adhuc vilipendis, saltem ipsius Domini vocem reverearis suaviter componentem et caute timorem incipientem: [Mt. 24:42] "Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit."

Solet etiam magnus fulgor oculis infusus a sompno excitare. Nec iste modus excitandi maxime hic commorantibus deest. Lux enim splendidissime conversationis huius congregationis oculos in longe positorum ferit.

Excitent itaque nos hec tria: Stimuli penalitatum, clamor tam validus tantorum excitantium, rutilus [rutulus MS] fulgor palam tam sancte conversantium. Quod si adhuc /12vb/ letali sompno pressus torpescis, excitet te et vigilantem faciat timor furis, id est mortis hora, qua hora nescis domum, id est carnis habitaculum, suffossuri, et timor et reverentia Domini, hora qua non putas venturi. Excitet te pena ad quam fur trahet si non invenerit vigilantem. Excitet te premium quod Dominus conferet si invenerit vigilantem. Audi premium: [Luc. 12:37] "Amen dico vobis, faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis." Fur est mors sive diabolus, qui mortis aculeo domum suffodit. Sed si vigilans fueris, suffosa domo tibi habitatore nocere non poterit.

Quis militans in castris obsessus ab hostibus vigilantissimis, dolosissimis, astutissimis, infatigatis, fortibus et atrocissimis audeat vel ad horam stertere? Nonne "vita nostra milicia est?" [Iob 7:1] Nonne cum filiis Israel in heremo in castris sumus? Nonne ab hostibus obsessi sumus? Hostis noster demon est cum angelis suis, cuius fortitudini non est fortitudo super terram que posset comparari, qui atrox sicut [1 Petr. 5:8] "leo rugiens circuit, querens quem devoret." De quo dicitur quod [Gen. 2:1] "serpens est callidior cunctis animantibus terre." Et de quo dicit Paulus: [2 Cor. 2:11] "Non ignoramus astucias eius." Hii sunt principes Dimetrii qui constituerunt supervenire nocte super Ionathan: [1 Mach. 12:27] "Cum autem occideret sol, precepit Ionathas suis vigilare et esse in armis, paratos ad pugnam tota nocte."

Ad hec quis audeat dormire si corporali motu in sompnis consequeretur suavia vel fugeret terribilia que putat se videre dum sompniat? Nonne clausis sensibus incideret in improvisa pericula? Forte credens se dormientem in lectum eburneum seipsum precipitaret in puteum. Sompnia autem sunt simulacra in sompnis visa que putantur res ipse quarum sunt simulacra. Ista vero transitoria

ymaginem habent beatitudinis aut miserie, sed non habent rem ipsam. Tam enim vera beatitudo quam vera miseria eterna est.

Predicto autem sompno oppressi in hiis transitoriis vident ymaginem miserie et beatitudinis et putant quod ymago sit res ipsa. Unde nichil vident nisi sompna, /13ra/ ipsaque sompna sequuntur aut fugiunt motu proprio et incidunt plurima pericula tam corporalia quam spiritualia. Quam multi sequentes divicias ut veram copiam, cum in hiis tamen sit vera egestas, aut naufragium, aut in latrones inciderunt, aut laboribus assiduis se exhausserunt sequentes umbram ipsamque rem fugientes! Quid aliud tibi videtur quam dormientem currere post simulacrum in sompnum visum, cum superbus currat ut apprehendat umbram celsitudinis, ambicio honoris, curiositas studii sapientie, ignorantia simplicitatis et innocencie, luxuria sacietatis et habundantie, effusio liberalitatis, avaricia vere possessionis. Si videres dormientem huc illucque discurrere ut apprehenderet vel fugeret simulacra in sompnis visa, nonne vehementer obstupesceres? Nonne velud proximum improvisis periculis doleres?

Ut igitur hanc devites periculi vicinitatem et insanie similitudinem, audi Apostolum clamantem: [Rom. 13:11] "Hora est iam nos de sompno surgere."

Alii vigilant ut alios occidant; tu non vigilas ut te ipsum a morte liberes. Ut vigilent homines, surgunt de nocte latrones; tu, ut teipsum serves, non expergisceris. Si hec a sompno te non excitent, scilicet stimulus, clamor, timor furis domi [? domini MS] et hostium obsidencium periculorum te latencium inter que discurrens sensibus consopitis, sompnus tuus inexcitabilis est. Cum tamen dicat Philosophus quod omnis sompnus est excitabilis, [chk. Aristotles, De somno et vigilia] ac per hoc nec iam sompno premeris sed potius morte. Vis noscere an sompno premeris? Dormientes non percipiunt transitum temporis. Si tu itaque transitum temporis non percipis, aut dormis, aut litargiam vel aliquam talem egritudinem pateris. Quid est enim transitum temporis non percipere, nisi finis apropinquacionem non considerare?

#### Dictum 16

De hoc verbo Iohannis, "Heri hora septima reliquit eum febris."

In Iohanne scriptum est: [Ioan. 4:52] "Heri hora septima reliquit eum febris." Hora septima est cum gracia septiformis spiritus illustrat hominem /13rb/ et peccata dimittit. Dies integer est quasi integri hominis, hoc est interioris et exterioris, totum gaudium. Et quia prius est quod animale est deinde spirituale, [cf. 1 Cor. 15:46] prior diei medietas est gaudium hominis exterioris, et sequens medietas gaudium hominis interioris. Cum itaque gaudeat homo exterior in mundialibus que sex dierum opere complentur, sexque partitum in hiis gaudium sene sunt hore antemeridiane.

Cum autem incipit postponere mundialia et in hiis Deum antepone, secundum vocem Apostoli, [cf. Phil. 3:1, 4:4] gaudens in Domino, iam incipit esse in hora septima. Gaudium itaque in Trinitate Deo, gaudium in Patre, gaudium in Filio, gaudium in Spiritu Sancto, gaudium de bono angeli, gaudium de bono hominis sunt quasi sex hore post meridiane. Sive itaque hoc modo sive aliquo modo possunt duodecim hore distingui non incongrue, ut credo. Totus dies sit gaudium tocius hominis, exterioris et interioris, cuius pars antemeridiana gaudium est tocius hominis exterioris, et pars postmeridiana gaudium est hominis interioris, cuius partis initium velud hora septima.

Sancti Spiritus peccata remittentis est gracia, gaudiique spiritualis initium in accipiente remissionem. In hac hora incipit debilitari vigor in operibus mundialibus et corpus relaxari in veram quietem cuius spes iam incipit. In hac hora incipiunt umbre ad orientem flecti quia hec transitoria que sunt vana et velud umbra incipiunt intelligi ad nichilum unde orta sunt reverti. Sole autem declinante, magis ac magis declinante umbre crescunt, quia mundana prosperitate decedente et vilescente transitoriorum vanitas maior esse agnoscitur. Sole occidente umbre rerum in umbram terre incurrunt, quia abeunte penitus mundano gaudio hec transitoria nichil penitus reputantur.

Febris autem calor est innaturalis a corde procedens suoque ledens effectu. Hoc est amor immoderatus mundialium qui a voluntate velud /13va/ a corde procedens in menbra se diffundit dum spiritus motivos et sensibiles movet, et per hos menbra ad assequendum immoderate cupita. Leditque sui operis effectu, aut se per flagicium, aut et alium per facinus. Timor autem qui comitatur amorem immoderatum transitorium, nonne est velud frigus et tremor febrilis? Et sicut in febribus non sentitur frigus nisi occasione caloris innaturalis, sic nec sentitur timor mundanus nisi occasione inordinati mundani amoris. In timore autem, licet sit animi constrictio et quasi anime in se contractio, ex eo quod anima naturaliter velud lux vult dilatari, insunt ipsi anime velud inclinaciones opposite quibus in diversa nitentibus velud tremore concutitur.

Item, cum inordinatum amorem temporalium comitentur hee quattuor affectiones, scilicet gaudium, dolor, spes, timor, gaudiumque dilatat animam, et dolor econtra constringat, spesque protendat animam, et timor econtra retrahat. Quid hec in diversa intenta? Nonne velud febrili tremore miseram animam horrende concutiunt?

Item, ymaginare corigiam mobili fugienti, in uno capite inviscatam et in alio adfixum aliquod connodatam, mobilique remocius fugiente soluto visco corigie in se contractionem et recursum. Sic anima, viscata amore temporalium, transitoriis fugientibus, eorum fugam spe sequens miserabiliter dilaniatur, et in eorum amissione dolore in se recurrit et contrahitur. Et sicut est videre quasi unicam extensionem eius magnam et unum eius recursum in uno habito et eius amissione, sic in eiusdem habiti partibus abeuntibus et sibi succedentibus quasi frequentissimas extensiones eius et recursus quibus misera velud tremore horribili quatitur. Cum autem amor inordinatus velud calor innaturalis se erexerit in tactu, qui tactus operatur terrestri quasi febris est ex terrei humoris corruptione. Dum vero in gustu, quasi febris est ex aquei humorum vicio. Dum vero in olfactu et auditu, quasi febris est ex corrupto humore aereo. Dum autem in visu velud febris est ex corrupto humore igneo.

“Regulus” [cf. Ioan. 4:46-54] autem est prelatus humilis, vel superior /13vb/ facies racionis. “Filius” est subditus prelato, vel vires anime inferiores. “Infirmatur febrī Capharnaum,” id est in agro et latitudine huius mundi, ubi divites habent consolacionem suam quibus dicitur: [Luc. 6:24] “Ve vobis divitibus, quia habetis hic consolacionem.” Capharnaum enim interpretatur ager vel villa consolacionis. Advenienti Christo, in sacramento altaris, occurrit predictus Regulus desiderio et devocione, oransque illi pro filio infirmo sepe exauditur.

## Dictum 17

### De contemptu mundi

Contempnenda sunt hec mundana propter eorum velocem transitum, quo fugiunt sequentes ne apprehendant ea, et quo eciam, si apprehendantur, a manibus tenencium elabuntur. Nec solum ea nos deserunt sua fuga, sed eciam si starent nos ea desereremus nostra.

Quid ergo insanie similis quam velle duo stabiliter iungi, quorum utrumque veloci fuga reliquum deserit? An forte eadem via, parique velocitate, currunt ambo, mundus scilicet et eius amator, ut simul currentes sese non deserant atque uterque currit in interitum. Interitus autem vel solius alterius eorum, vel utriusque amborum est divisio. Currunt ergo ambo ab invicem in divisionem. Quomodo itaque amborum cursu in divisionem diiungi possunt? Immo quanto velocius currunt, tanto cicius dividuntur.

Contempne itaque mundum, quia, ut ait Iohannis 2o: [1 Ioan. 2:17] “Et mundus transit et concupiscencia eius; qui eciam facit voluntatem Dei manet in eternum.” De hoc veloci transitu conqueruntur maledicti, euntes in ignem eternum, penitentiam sed infructuosam agentes, et pre angustia spiritus gementes, dicentes: [Sap. 5:8-15] “Quid nobis profuit superbia, aut quid diviciarum iactancia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuncius precurrens, et tanquam navis que pertransit fluctuantem aquam, cuius cum preterierit non est vestigium invenire,

nec semitam carine illius in fluctibus. Aut avis que transvolat in aere, nullum invenitur argumentum itineris illius, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, et scindens per vim itineris aerem; commotis alis /14ra/ transvolat, et post hoc nullum signum invenitur itineris illius avis. Aut tanquam sagitte misse in locum destinatum, divisus aer in se continuo reclusus est, ut ignoretur transitus illius. Sic et nos nati continuo desivimus esse, et virtutis quidem signum nullum valuimus ostendere. Talia dixerunt in inferno hii qui peccaverunt, quoniam spes impii tanquam lanugo que a vento tollitur, et tanquam spuma gracilis est que a procella dispergitur, et tanquam fumus qui a vento diffusus est, tanquam memoria hospitis unius diei pretereuntis.”

Ecce in hac memoria hospitis querimonia declaratur tam velox transitus mundalium [mundanalium MS] amatorum quam prosperitatis et glorie ipsorum amancium. De veloci transitu mundum transeuntem amancium dicit Iob: [Iob 14:5] “Breves dies hominis sunt.” Item: [Iob 14:1-2] “Homo, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velud umbra, et numquam in eodem statu permanet.” De isto eciam veloci transitu ait Ysaïas: [Is. 40:6-8] “Omnis caro fenum, et omnis gloria eius flos. Aruit fenum et decidit flos. Verbum autem Domini manet in eternum.” Hec verba exponens, beatus Ambrosius sic ait: [Ambrosius, Exameron, 3, 7; CSEL 32/1, 78] “Omnis caro fenum, et vere; viret enim gloria hominis in carne quasi fenum, que putatur esse sublimis exigua quasi herba est, prematura ut flos, caduca ut fenum germinans viriditatem in specie, non in fructu soliditatem, hilarioris vite quasi flos pretendens iocunditatem, breviori spacio occasura sicut herba feni, quod priusquam evelletur arescit.”

“Que enim firmitudo in carne, que salubritas potest esse diuturna? Hodie videas adolescentem validum, pubescentis etatis, virtute [viriditate=Ambr.] florentem, grata specie, suavique colore. Crastina die tibi facie et ore mutatus occurrit, et qui pridie lautissimus decore forme visus est gracia, alia die miserandus apparet, alicuius infirmitate egritudinis solutus, plerumque aut labor fatigat [fatigatos MS] aut inopia macerat, aut crudelitas vexat, aut vina corrumpunt, aut senectus /14rb/ debilitat, aut eviratos delicie reddunt, luxuria decolorat. Nonne verum est quia [1 Petr. 1:24] “aruit fenum et flos eius decidit.” Alius abavis atavisque nobilis et maiorum honestatus infulis, prosapie veteris clarus insignibus, amicis habundans, stipatusque clientibus, utrumque latius tectus, producens maximam ac reducens familiam, repente aliqua accidentis periculi mole turbatus, destituitur ab omnibus, a sodalibus relinquitur, et inpugnatur a proximis.”

“Ecce verum, quia sicut fenum vita hominum, priusquam evelletur, arescit. Est enim qui dudum ubertate affluens copiarum, liberalitatis fama per ora volitans singulorum, clarus honoribus, preeminens potestatibus, tribunalibus celsus, solio sublimis, beatus populis estimatus, dum preconium clamore deducitur, subita rerum conversione in eum carcerem rapitur, quo alios ipse intruserat, et inter reos suos imminentis pene luget erumpnam.”

“Quanta pridie caterva plaudencium et inaudiosa faventis populi frequens pompa deduxit, et nox una gloriose illius splendorem deductionis abolevit, ac repentinus lateris dolor effusis gaudiis luctuosam gravis successionem meroris admiscuit. Huiusmodi igitur gloria hominis sicut flos feni, que etiam cum defertur, nichil operis adiungit, in qua nullus fructus acquiritur et, cum ammittitur, evanescit.”

Ecce hiis verbis beati Ambrosii ostensum est sufficienter quam velociter transeunt in quibus homines gloriantur, scilicet flos etatis, vigor suavitatis, robur fortitudinis, species decoris, pompa potencie secularis, generis nobilitas, diviciarum ubertas, fame celebritas, honoris dignitas, et fortuna arridente applausus favoris. Si cum huiusmodi transitoriis torrente rapido non vis in preceps rapi, audi et aure audiendi audi: [Ioan. 2:17] “Qui facit voluntatem Dei manet in eternum.” Sicut et ipse manet in eternum ut te non rapiat hic fluviu in mari, audi et Augustinum, hec verba Iohannis exponentum, qui sic ait: [Augustinus, In Iohannis epistulam ad Parthos tractatus, 2; PL 35, 1994] “Quid vis? Utrum amare temporalia et transire cum tempore, aut mundum non /14va/ amare et in eternum vivere cum Deo? Rerum temporalium fluvius trahit, sed tanquam circa fluvium arbor nata est; Dominus noster Iesus Christus assumpsit carnem et resurrexit, ascendit in celum, voluit se

quodammodo circa fluvium plantare. Tene eum ut non rapiaris in preceptis. Tene lignum. Voluit te amor mundi? Tene Christum." Ecce salubre consilium beati Augustini, ut non rapiaris in mari temporalium fluvio apprehendens, adhere ligno iuxta fluvium plantato. [cf. Ps. 1:3]

Contempnenda quoque sunt hec transitoria, non solum quia adherentes sibi secum in mari penarum rapiunt, sed quia qualitercumque hiis adheretur incerta sunt, hoc est, nescitur qua hora amittantur. Unde Apostolus ait: [1 Tim. 6:17] "Precipe divitibus non sublime sapere, neque sperare in incerto diviciarum." Que enim certitudo tenendi ea que fur potest eripere, predo rapere, rubigo corrodere, tinea demoliri, putredo tabescere vel tabefacere, ignis absumere, aqua diluere, terre motus deicere, tempus tandem consumere? In hiis itaque sperandum non est, sed sicut consequenter ait Apostolus: [1 Tim. 6:17] "In Deo vivo qui dat nobis omnia habunde ad fruendum."

Contempnenda sunt iterum quia vana et fallacia sunt. Vana sunt quia cassa [calla MS] sunt a fine per hec intento. Fallacia sunt et mendacia quia non solvunt felicitatem quam promittunt. De eorum vanitate dicit Sapiens: [Eccle. 2:2] "Vanitas vanitatum" etc. Ieremias in Trenis 4: [Ieronimus Afer 4 MS] [Lam. 4:17] "Cum adhuc subsisteremus defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum." Et David in Psalmo tam eorum vanitatem quam mendacium tangit cum dicit: [Ps. 4:3] "Filii hominum, usquoque gravi corde. Ut quid diligitis vanitatem et queritis mendacium?" Et Osee: [Osee 12:1] "Effraim pascit ventum et sequitur estum. Tota die mendacium et vastitatem multiplicat." Quid enim magis vanum et fallax quam promittere sanitatem firmam mox egrotaturo, vitam longam cras morituro, diviciarum affluentiam cras mendicaturo, honoris preeminenciam cras /14vb/ incarcerando?

Contempnenda quoque sunt, quia amata affligunt, unde et in Evangelio spine vocantur. [cf. Luc. 8:14] Pungunt enim solitudine in acquirendo, timore in possidendo, dolore in amittendo. Sed hec ipsa respersio amaritudinum de rore misericordie Dei descendit; ut ubique extra ipsum inveniunt amaritudines eius, queramus dulcedinem. Unde Augustinus, Confessionum 2o: [primo MS] "Tu semper aderas misericorditer seviens et amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas iocunditates meas, ut ita quererem sine offensione iocundari, et ubi hoc possem, non invenirem quicquam preter te, qui fingis dolorem in precepto, et percutis ut sanes, et occidis ne moriamur abs te." [Augustinus, Confessiones 2, 2]

Contempnenda sunt hec temporalia, quia amata mentis aspectum obcecant, et affectum, ne possit evolare sursum, inviscant. Quod autem obcecant mentem per aversionem a lumine veritatis dicit Augustinus hiis verbis: "Nemo securus in hiis bonis que potest invitus amittere. Veritatem autem atque sapienciam nemo amittit invitus. Non enim locis separari ab ea quisquam potest, sed ea que <dicitur> a veritate atque sapiencia separacio, perversa voluntas est, qua inferiora diliguntur." [Augustinus, De libero arbitrio, 2, 14]

De cavendo hanc inviscacionem et obcecacionem dicit Augustinus: "Cavendum magno opere, dum hoc corpus agimus, ne sensibilibus visco pene vestre impediuntur, quibus integris perfectisque opus est, ut ad illam lucem ab hiis tenebris evolemus. Que se ne ostendere quidem dignatur in hac cavea inclusis, nisi tales fuerint ut ista effracta et dissoluta possint in auras suas evadere. Ita cum fueris talis ut nichil terrenorum te delectet, mihi crede, eodem momento, eodem puncto temporis videbis quod cupias." [Augustinus, Soliloquiorum libri, 1, 1; PL 32, 882] Non solum contempnenda, sed abhorrenda sunt temporalia hec, quia inde infirmitatem contraximus. Unde Augustinus, in libro De Trinitate 11o [secundo MS] ait: "Homo refugit ab intelligibilibus ad ista sensibilia, et ibi appetit requiem unde contraxit infirmitatem." [cf. Augustinus, De Trinitate 11, 1; CCSL 50]

Contempnenda quoque sunt, quia aliter hiis bene /15ra/ uti non possimus. Unde Augustinus in libro De bono coniugali: "Sic uti sunt perfecto animo bonis terrenis ad aliud necessariis, quo [quod MS] eis non obligarentur, et quo possent eciam eis non uti si non opus esset. Nec quisquam eis bene utitur, nisi qui et non uti potest. Multi enim facilius se abstinere ut non utantur quam temperant ut bene utantur. Nemo tamen potest sapienter uti nisi qui potest et continenter non uti. Ex hoc habitu et Paulus dicebat: 'Scio habundare et penuriam pati.' [Phil. 4:12] Penuriam quippe pati

quorumcumque hominum est, sed scire penuriam pati magnorum est. Sic et habundare quis non potest? Scire autem habundare non nisi eorum est quos habundancia non corrumpit." [Augustinus, De bono coniugali, 21, 25; CSEL 41, 219]

Contempnenda tandem sunt hec vana, quia illicite amata caritatem extinguunt, et sic amantem inimicum Deo constituunt. Unde Iohannes: [1 Ioan. 2:15] "Qui diligit mundum, non est caritas Patris in eo." Et Iacobus ait: [Iac. 4:4] "Amicitia huius mundi inimicitia est Dei. Quicumque voluerit amicus esse huius mundi, inimicus Dei constituitur."

Contempne itaque hec, ne eorum fluvio in mare rapiaris, ne hiis per spem innitendo subito subtractis labaris, ne de hiis confidens decipiaris, ne vanitatem pro soliditate amplexeris, ne spinis incubans transfigaris, ne eorum caligine obceceris, ne visco eorum oblitus in ymo detinearis, ut illis bene utaris, ne caritate in te extincta, inimicus Dei constituaris.

## Dictum 18

### De paciencia

Pacencia est animi a molestiis inflexibilitas. Paciens enim est quem molestie a voluntatis rectitudine non flectunt et a serenitate tranquillitatis animi non deiciunt.

Quid est autem pacencia nisi quoddam robur animi, et quasi os eius infringibile, seu scutum impenetrabile, aut murus adamantinus indissolubilis, immo ipsa invincibilitas ab omni vi adversa insuperabilis? Hanc autem dictam invincibilitatem seu inflexibilitatem nichil aliud puto esse nisi ipsam vehemenciam amoris rectitudinis voluntatis et tranquillitatis eiusdem.

Cum autem iusticia sit amor /15rb/ rectitudinis voluntatis servate propter se, [cf. Grosseteste, ad Galatas, 3, 15; CCCM 130, 85] iusticie intencio vel ipsa iusticia intensa in quantum a molestiis infringibilis et invincibilis est, pacencia est. Nec sic intelligendum est quod dixi, pacenciam esse amoris rectitudinem vel iusticie vehemenciam vel intencionem, quasi aliqua esset iusticia ita remissa quam non comitaretur pacencia. Sed intelligendum est omnem iusticiam esse amorem rectitudinis et vehementer intensum, qua intencione et vehemencia est omnis iustus ab omni molestia infringibilis.

Nullus enim frangitur molestiis nisi scuto paciencie sponte prius abiecto. Quod autem pacencia, qua homo adversis non frangitur sed ea spernit et irridet, sit affectus vehemencia, vel intencio, vel granditas, ex verbis Augustini primo libro Confessionum conici potest. Hiis enim verbis ibidem exclamat dicens: [Augustinus, Confessionum liber 1, 9; CCSL xxx] "Estne quisquam, Domine, tam magnus animus, pregrandi affectu tibi adherens? Estne quisquam, inquam, qui tibi pie coherendo ita sit affectus granditer, ut equuleos et ungulas atque huiusmodi varia tormenta pro quibus effugiendis tibi per universas terras supplicatur, ita parva estimet, et irridens [diligens Aug.] eos qui acerbissime formidant, quemadmodum parentes nostri irridebant tormenta quibus pueri a magistris affligebamur." [affligebantur MS]

Quod autem pacencia sit inflexibilitas vel immobilitas animi qua non mutatur animus a serenitate tranquillitatis spiritualis in tristitiam, nec flectitur a rectitudine voluntatis vi aliquarum molestiarum, haberi potest ex verbis Tobie secundo, ubi sic scribitur: [Tob. 2:12-14] "Hanc autem temptationem permisit Deus evenire illi, ut posteris daretur exemplum, sicut et sancti Iob. Nam cum ab infancia sua semper Deum timuerit et mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum quod plaga cecitatis eveniret ei, sed immobilis in Dei timore permansit."

Hec autem immobilitas, etiam inflexibilitas, inest vestre anime adhesionem qua adheret veritati inflexibili et immutabili. Potest enim omnis virtus describi comparacione ad opus quod egreditur a virtute et comparacione ad ipsum qui est virtus exemplaris. Et cum diffinitur comparacione ipsius virtutis exemplaris, /15va/ ponitur in eius diffinitione exemplar eius quod est in anima, utpote pacencia est adhesio ipsi inflexibilitati et immutabilitati supersubstantiali a qua fluit

in animam inflexibilitas a molestiis, et iusticia est adhesio ipsi supersubstantiali rectitudini a qua fluit in animam rectitudo, que est anime qualitas, et iusticia, et a qua qualitate egreditur operatio qua redditur unicuique quod suum est.

Potest itaque, ut videtur, virtus omnis describi tripliciter: Comparacione scilicet ad virtutem exemplarem, et exemplacione absoluta sue essencie, et comparacione ad opera que virtutibus peraguntur. Paciencia itaque, licet a paciendo dicatur, ipsa tamen vis activa, que sustinet animam ne ruat vel frangatur per molestiam passionum. Et quod opus perfectius quam animam sic roborare ut ita facile propellat omnes iniurias intentas? Quam facile murus adamantinus parvos lapillos in se iactos integre repellat? Iniuriis intentis plerumque anima virtutibus quasi quibusdam membris mutulatur. Contra hanc mutulacionem conservat anime integritatem paciencia.

Item, si paciencia est que servat animam in tribulacionibus non fractam, tribulacio autem saltem occasionaliter virtutes intendit, paciencia virtutes ceteras intendit et ducit ad perfectum. Est autem integritas anime in virtutum numero, perfectio autem in earundem intencione, sicut hominis exterioris integritas consistit in numero membrorum perfecte in eorundem debita magnitudine. Igitur ut ait Iacobus: [Iac. 1:4] "Habet paciencia opus perfectum" etc., ut simus perfecti virtutum magnitudine et integri earundem numero, in nullo deficientes scilicet nec in virtute aliqua, nec in alicuius virtutis magnitudine.

O quam magna estimanda est paciencia, que ut dictum est, est animi os infrangibile, scutum impenetrabile, murus adamantinus indissolubilis, vigor infatigabilis! Et quid tam necessarium, posito inter inimicorum iacula? Cum non solum omnia repellat iacula, sed etiam in actionibus quibus impetitur inimicus non sinit animum fatigari. Si autem aliquid conservaret pugnantem corporaliter non solum illesum ab inimico, sed etiam infatigatum /15vb/ in impetendo inimicum, nonne illi conservativo a fatigacione in opere merito ascriberetur operis perfectio?

Non solum, ergo, habet paciencia opus perfectum et integrum virtutum intencione et numero, sed etiam boni operis usque ad consummacionem productione facit animum non deficere nec in magnitudine, vel numero, vel duracione. Est etiam ideo non parum expetibilis paciencia, que pro levi et momentaneo malo perpesso meretur bonum oppositum, non transitorium, eterne glorie pondere pensandum. Quod ex verbis ipsius David in Regum secundo, capitulo 16, perpendi potest. Ait enim: [2 Reg. 16:11-12] "Dimitte eum ut maledicat iuxta preceptum Domini. Si forte respiciat Dominus afflictionem meam et reddat michi bonum pro maledictione hac hodierna." Et Ecclesiastici liber primo: [Ecclus. 1:29] "Usque in tempus sustinebit paciens, et postea redicio iocunditatis."

Sicut autem virga aliqua difficile flexibilis inflexibilior fit si virga alia et maxime forcior et inflexibilior ei colligetur, quemadmodum solet fieri in virgis petrariorum, ita paciencia cuiuscumque fit inflexibilior si amore assimilandi se paciencie sanctorum patrum, et maxime Iesu Christi, colligetur sibi eorundem paciencia. Maxime autem ad robur paciencie nostre Iesu Christi paciencia est colliganda quia, ut ait Augustinus in sexto Musice: [Augustinus, De musica, 6, xx; PL 32, 1166] "Plagam," mortalitatis et penalitatis nostre, "mirabili et ineffabili sacramento dignatus est assumere, cum hominem sine peccato, non sine peccatoris condicione, suscepit. Nam et nasci humanitus, et pati, et mori voluit, nichil horum merito, sed excellentissima bonitate, ut nos magis caveremus superbiam, qua dignissime in ista cecidimus, quam [contra MS] contumelias quas indignus excepit, et equo animo mortem debitam solveremus, si propter nos potuit etiam indebitam sustinere."

Corroborat etiam pacienciam nostram Iohannes Chrisostomus, in tractatu De eo quod nemo leditur nisi a semetipso, tam sanctorum patrum exemplis quam scripture testimoniis, ita inquit: [Chrysostomus ???] "Si ablate sint tibi facultates tue, dic 'nudus exivi de ventre matris mee, nudus et hinc abcedam.' Adde etiam illud Apostolicum, [1 Tim. 6:7] 'Nichil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre /16ra/ quid possimus.' Audisti maledictis te infamari apud homines et contumeliis dehonorari? Recordare et ante oculos pone verba Domini quibus ait: [Luc. 6:26] 'Ve vobis cum benedixerint vobis homines omnes,' et iterum: [Luc. 6:22-23] 'Gaudete et exultate cum eiecerint nomen vestrum tanquam malum apud homines.' Expulsus es et patria et domo? Recordare quod



[Hebr. 13:14] 'non habemus hic patriam manentem, sed futuram inquirimus.' Quid te putas ergo patriam perdidisse, qui in tota terra peregrinus es? Si egritudinem incurristi gravissimam, utere illo Apostolico sermone quo ait: [2 Cor. 4:16] 'Nam si is qui foris est homo noster corrumpitur, sed qui intus est innovatur de die in diem.' In carcere conclusus es, et mors crudelis imminet et intentatur? Adduc ante oculos Iohannem in carcere, cervicibus cesum, et tanti prophete caput saltatrici puella in mercedem libidinis datum."

Hec igitur singula, cum inferuntur iniuste, tu non consideres eorum que inferuntur iniuriam, sed pro hiis que retribuetur gloriam. Tali igitur ligamento, amore scilicet assimilacionis cum sanctis patribus, perficiendo per eorum imitationem quod precipit scriptura, vigoratur in nobis non solum paciencia sed et virtus quecumque altera.

#### Dictum 19

De hoc verbo Ezechielis, "Vidi et ecce manus missa ad me."

"Vidi, et ecce manus missa ad me in qua erat involutus liber, et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris." [Ezech. 2:9]

Liber iste sacra scriptura est, qui statim ipso sue scripcionis mirifico modo suam ad scripturas ceteras ostendit prerogativam. Ceterarum namque scripturarum libri solum foris sunt scripti. Hic autem liber cum ceteris foris scribitur, dum per litterarum apices aut signantes voces historicus sensus exprimitur. Preter vero communionem cum ceteris, prerogativam habet interne scripcionis, dum res signate litterarum apicibus et signantibus vocibus fiunt. Iterum, signata res preter intenciones signancia scribitur intra, dum per historiam signatur tropologia. Scribitur adhuc interius cum signatur sensus allegoricus. Scribitur autem intime dum superne /16rb/ contemplacionis panditur anagoge.

Quapropter qua collacione se habent ad scripturas ceteras litterarum apices signantes voces, hac se habent ad istam creaturarum species; talisque est ad legendum librum hunc quo ad internam eius scripcionem ignarus ordinis et esse creaturarum, qualis est ad legendos libros ceteros ignarus litterarum, sillabarum, et dictionum. Unde non inmerito tanto opere nos ad consideranda mirabilia Dei excitat scriptura, ut per ea que foris cernimus, intus ad agnitionem veritatis ascendamus. Unde Psalmista, quasi pro magno aliquo se iam et hoc fecisse commemorat, et adhuc facturum promittit, dicens: [Ps. 76:12-13] "Memor fui operum Dei, quia memor ero ab inicio mirabilium tuorum, et meditabor in omnibus operibus tuis, et adinventionibus tuis exercebor." Et alibi: [Ps. 142:5] "Memor fui dierum antiquorum; meditatus sum in omnibus operibus tuis, et in factis manuum tuarum meditabor."

Unde, cum nemo tanta sic predictus sciencia qui de mirabilibus creaturarum Dei non plura nesciat quam sciat, nemo est qui cum Augustino dicere non possit quod de hac scriptura plura nesciat quam sciat, [Augustinus, Epistulae, 55, 21; CSEL 34/2, 212] presertim cum huius eciam plurima elementa ignoret. Dicat ergo unusquisque professor huius sapiencie, eciam si sit eruditus omni sapiencia Egipciorum, cum Moyse: [Ex. 4:10] "Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudius tertius, et ex quo locutus es ad servum tuum impediocioris et tardioris lingue sum." Dicatque cum Ieremias: "A, a, a, Domine Deus. Nescio loqui, quia puer ego sum." [Ier. 1:6] "Mirabilis enim facta est sciencia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam." [Ps. 138:6]

Cum autem, ut dictum est, aliarum scripturarum complementa sunt sicut huius scripture elementa, patet quam vere, licet inopinabile, dicat Augustinus, quod "Quicquid homo extra hanc scripturam didicit, si noxium est, in ista dampnatur, si utile est, in ea invenitur. Et cum ista quisque invenerit omnia, que utiliter alibi didicit, multo habundancius inveniet ea, que nusquam omnino alibi, sed in istius tantummodo scripture mirabili altitudine et mirabili humilitate discuntur." [Augustinus, De doctrina Christiana, 2, 42]

Sed forte iste sermo mirabilis /16va/ Augustini quosdam vertit in admirationem qui, postquam seculares litteras didicerunt, sacram scripturam consequenter pertransierunt. Nec in ea invenerunt plurima que alibi vera didicerunt. Ubi enim inveniri potest in sacra pagina diametrum esse assimetrum costae, aut aliquod de ceteris theorematibus geometrie? [cf. Aritoteles, Topica, 8, 13 (transl. Boethius)] Aut ubi in ea inveniuntur canones quibus solis et lune sine defectu sumuntur defectus, [cf. Augustinus, Epistolae, 55, 4; CSEL 34/2, 176] ceterarumque arcium conclusiones innumeras? Quis unquam quamcumque fodiens puteos cum Ysaac [Gen. 26:14-22] eruere potuit, an forte plurima que in aliis scienciis discuntur vera? Sunt inutilia, ideoque non habet ea sacra pagina.

Sed quomodo verum, et maxime quod verum est de esse creature, non de eius defectione, potest esse inutile, cum omnis creatura, testante verbo, Christi gerat aliquod. [cf. Col. 1:15 ???] Exemplar honesti, significatioque mistica, ut dicit Augustinus, ab omni creatura sumenda est, [cf. Augustinus, Sermo 15; CCSL 41, lin. 46] "Omnis etiam creatura bona," ac per hoc utilis. "Vidit enim Deus cuncta que fecit et erant valde bona." [Gen. 26:18] Quod si etiam Deus quolibet malo bene utitur, multo amplius quodlibet bonum ad usum bonum ab ipso statuitur, ipseque usus bonus eius est utilitas. Non est ergo aliquod verum, maxime de esse creature, quod utile non est, quia verum et esse idem sunt. Omne ergo verum, de esse creaturarum maxime, quod in aliis scienciis addiscitur, utile est utiliterque addiscitur, nisi forte veritate quam addiscit quis abutatur. Sed si propter abusionem diceretur inutilis erudicio, nec in ipsa theologia est veritas cuius non possit inutilis esse cognitio.

Videtur igitur secundum predicta, et secundum sermonem Augustini, hec scriptura omnium ceterarum scienciarum veritates ut elementa quedam continere, propriaque quedam insuper adicere. Est enim hec scriptura panis de celo, panis habens in se omne delectamentum et omnem saporis suavitatem. Utpote verbum illud Iohannis: [1 Ioan. 2:21] "Omne mendacium non est ex veritate." Habet enim in se hanc maximam dialecticam: ex vero non sequitur falsum, superadditque aliquid, quod est edificatio morum. Similiter verbum istud, [Gen. 1:5] "Divisit lucem a tenebris," et illud Apostoli: [cf. 2 Cor. 6:14] "Que coniunctio lucis ad tenebras?" continent in se: contraria /16vb/ in eodem non convenire, quorum omnium duorum alterum se habet per modum inventionis et lucis, et reliquum [et] per modum tenebrarum et privationis, superadditque idem sermo aliquid quod pertinet ad primordia creacionis, et aliquid quod provehit ad lumen fidei et fervorem dilectionis.

Sed numquid per modum hunc invenitur alicubi in sacra pagina diametrum est assimetrum costae, et huiusmodi, et ceterarum arcium tales conclusiones? Innuere [imnuere? MS] huius abnegatio contraria videtur Augustino. Huius autem affirmatio maior est quam capiat opinio et quam attingat hominis perscrutatio. Cum autem tota scriptura fideliter exposita aut fidem instruat aut edificent caritatem, non est verisimile in ea predicto modo contineri veritatem, nisi forte quis diceret quod quemadmodum natura facit quodlibet membrum in corpore directe propter aliquam necessitatem, et insuper addit alicuius iuvamenti utilitatem. Sic etiam Scriptura sacra quolibet verbo suo intendit fidem aut caritatem, et preter hoc in multis verbis suis, quasi iuvamenta quedam, omnium scienciarum aliarum continet omnem veritatem.

Quis enim audebit dicere scripturam istam non esse librum sufficientie, ac per hoc contineri in ea veritatem omnem cuiuscumque alterius sciencie, aut eo quo predictum est modo de regula dialectice in verbo Iohannis, aut sicut consequens in antecedente, aut particulare in universali, aut sicut in suo simili vel porporionali, quamvis hec omnia de verbis scripture huius difficillimum sit eruere quantumvis indaganti.

Huic modo videtur consentire Cassiodorus super Psalmos, qui ex verbis Augustini asserit: [Cassiodorus, Expositio Psalmorum, Praef., 15; CCSL 97, 20] "Omnia diversa scemata secularium litterarum in sacris litteris inveniri, insuper et eius proprios modos in divinis eloquiis, quos gramatici sive rethores nullatenus attigerant." Deinde, ne ex proprio sensu hec videatur dicere, sic subiungit: "Dixerunt hec ante nos et alii doctissimi patres, id est Ieronimus, Ambrosius, Hilarius, ut nequaquam nos presumptores huius rei, sed pedissequi esse videamur. Sed dicet aliquis, nec partes ille

sillogismorum, nec nomina scematum, nec vocabula disciplinarum, nec alia huiusmodi ullatenus inveniuntur in Psalmis. Inveniuntur /17ra/ plane in virtute sensuum, non in effictione verborum, sicut enim vina in vitibus, messem in semine, frondes in radicibus, fructus in ramis, arbores ipsas sensu contemplamur in nucleis. Nam et de profundissima abisso deliciosus piscis attingitur, qui tamen ante capcionem suam humanis oculis non videtur.”

Hanc tamen controversiam dirimendam sapientibus relinquo, et ad illud unde sermo cepit redeo. Liber, itaque, unde processit sermo, scriptus est intus et foris non solum predicto modo, sed etiam quodam excellenciori alio. Excellencior enim est scriptura in mente viva quam in pelle mortua, veriusque et verbum quod intra silens loquitur, stans illud apud omnes, quam quod foris perstrepat, et incipiens desinit, diversum apud plures. Liber itaque iste mens est humana inscripta scripture sacre manente sciencia, in quo libro quasi inscripte dictiones singule sunt species specierum menti impressae. Omnis namque anima etiam propter cuiuscumque noticie inscriptionem libri accipit nominationem, secundum quod propheta dicit: [Dan. 7:10] “Iudicium sedit, et libri aperti sunt.” Que librorum apercio ipsa est manifestacio consiliorum, de qua ait Apostolus: [1 Cor. 4:5] “Nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.”

Anime autem due sunt partes, aspectus, videlicet, et affectus, quorum aspectus est velud exterior, quia nichil in affectum pervenit quod prius aspectui non occurrit. Nichil enim amatur nisi prius cognoscatur. Quod ergo per cognicionem in aspectum describitur, quasi in libro foris depingitur. Si vero eadem inscripcio se profundaverit in affectum, sique amorem scientis configuraverit, iam liber est scriptus foris et intus.

Taliter humane menti inscribenda est sacre pagine sciencia ut per medium aspectus se profundet in intimum affectus, ut sit liber scriptus non solum foris sed etiam intus. Hec enim sic in intimum affectus profundata inscripcio conformat hominem Deo, faciensque deiformem [difformem MS] restituit honori de perduto, quia is est verus honor hominis, reformacio /17rb/ ymaginis sui conditoris. Cum autem hec interna descripcio prorumpit per lucem operum in manifesto, seque exerit legendam vi exteriorum operum quasi quibusdam litteris, quid aliud est nisi tercio modo totus homo liber scriptus foris et intus.

Hec itaque libri scripcio quasi ab eodem in illud est quedam redicio, quia a forinseca descripcione in aspectu protenditur in affectum, indeque erumpit in lucem forinsecorum operum. Ipsaque itidem lux operum amplius reilluminat aspectum expressiusque et formacius inscribit prius inscriptum. Et forte propter hanc in se revolucionem hec scriptura rotis comparatur, nec rotis quibuscumque, sed in quibus est spiritus vite, nec stature humilis sed excelse altitudinis, quia nimirum ipsa sic rotata a vivificante spiritu vita est et vivificata. Cumque a philosophis diffiniatur vitam esse reciprocum spiritum, [philosophi ???, breathing defines life] quod in hiis rotis vite sit diffinicio satis ostendit pretacta reciprocacio.

In hiis autem iterum scripcionum modis ostenditur qualiter hec scriptura supereminet scripturis ceteris. Nulle enim scripture ceterae sic in intimum affectus debent se profundare, totumque hominem sibi configurare, quia nulla est alia que affectum perfecte ordinat supremeque pulcritudini confortat. Immo, si qua alia sic per aspectum in affectum penetrat, non aspectum illuminat sed obtenebrat, non affectum format sed deformat. Cumque hec sola scriptura menti sic inscripta hominem supra se usque ad Deum elevet, eique adherere faciens, unum spiritum efficiat, hominemque secundum Deum vivere faciat. Omnisque alia scriptura non potest hominem vel ad se elevare ut per eam saltem secundum hominem vivat. Plus quam vivere secundum Deum excedit vivere secundum hominem, plus quoque quam deformitas recreacionis excedit speciem condicionis, patenter est hec scriptura ad omnes alias superioris ordinis, et hoc est quod comparatur rotis excelse altitudinis.

Preter dictos modos interne et forinsece inscriptionis non incongrue accipitur liber scriptus intus et foris, ipsum verbum et sapiencia /17va/ Dei Patris, de quo Psalmista ait: [Ps. 138:16] “In libro

tuo omnes scribentur.” Qui intus scribitur dum Patris est ymago et substantie eius figura, foris scribitur dum creaturarum est exemplar et forma. In cuius incircumscriptum lumen cura contuentes oculi non defigant irreverberatum contuitum ante huius libri ostensionem. Ad eiusdem inspectionem innuit propheta se purgatum habere visum. Quid est enim quod dicit “vidi,” [Ez. 2:9] nisi “separato affectu ab amore transitoriorum, sublimatoque aspectu supra nubula fantasmatum corporalium, in serenum quod super hoc lucet mentis aspectum defixi?” Et “ecce manus missa ad me.” [Ez. 2:9] Quid est manus missa, nisi Verbum Patris, per quod facta sunt omnia? Verbum, in quantum a Patre, dicitur manus eo quod per ipsum omnia Pater operatur. In hac manu bene dicitur liber esse, quia in Verbo, per quod facta sunt omnia, descripte sunt factorum omnium rationes eterne.

Liber autem involvitur dum factorum non facte rationes in secreto Verbo Patris absconduntur. Idem quoque liber expanditur dum in factorum speciebus eterne rationis velud in exemplis exemplaria dinoscuntur. Audi videntem involutum librum! Ipse est Iob, qui ait: [Iob 28:20-21] “Unde ergo sapientia venit? Et quis est locus intelligentie? Abscondita est ab oculis omnium vivencium.” Audi et videntem eundem librum expansum! Ipse est philosophus, qui ait: [Sap. 6:13-17] “Clara est, et que numquam marcessit sapientia, et facile videtur ab hiis qui dilexerunt illam, et invenitur ab illis qui querunt illam. Preoccupat qui se concupiscunt, ut se illis prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam non laborabit; assidentem enim illam in foribus suis inveniet. Cogitare ergo de illa sensus est consummatus, et qui vigilaverit propter illam cito erit securus, quoniam dignos se ipsa circuit querens, et in viis se illis ostendit hillarem, et in omni providencia occurit illis.”

Ut enim ait Augustinus exponens hunc locum: [Augustinus, De libero arbitrio, 2, 16; CCSL 29 (lin. 15)] “Quoquo te verteris vestigiis quibusdam que operibus suis impressit sapientia loquitur tibi, et te in exteriora /17vb/ relabentem ipsis exteriorum formis intro revocat ut quicquid te delectat in corpore videas esse numerosum, et queras unde sit, et in te ipsum redeas atque intelligas te id quod attingis sensibus corporis probare aut etiam improbare non posse, nisi apud te habeas quasdam pulcritudinis leges ad quas referas queque pulcra sentis interius.” [exterius = Aug.]

Aliter quoque liber hic involutus expanditur dum Verbum in principio apud Deum caro factum manifestatur. De huius libri involucone loquitur Ysaia: [Is. 45:15] “Vere tu es Deus Israel absconditus salvator.” De eiusdem manifestacione Baruch ait: [Bar. 3:38] “Post hec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.” In manu etiam missa scripture sacre liber continetur, quia in Verbo incarnato tocuis scripture est consummatio. Ut enim ait Augustinus: [Augustinus ???] “Multitudo paginarum sacre scripture hoc habet breve: [Luc. 24:46] ‘Quia oportebat Christum pati et resurgere,’ id est a mortuis, ‘tercia die.’” Hic liber in veteri testamento sub figurarum umbris involvitur. In novo autem, refulgente luce veritatis, expanditur. Involvitur etiam in omnibus verbis allegoricis, et expanditur in verbis nudis, non per allegoriam dictis, quia teste beato Augustino: [Augustinus, De doctrina christiana, 2, 6; CCSL 32, (lin. 40)] “Nichil fere de allegoricis obscuritatibus eruitur quod non planissime alibi dictum reperiatur.”

Huius igitur libri tam concorditer contraria continuantis, utpote simul involuti et expansi, signati et aperti, intus forisque scripti, “consideracione et exercitacione pascamus animum atque potemus vane curiositatis fame ac siti fessum et estuantem, et inanibus fantasmatibus tanquam pictis epulis frustra refici saciarique appetentem.” [Augustinus, De vera religione, 51] Hic enim liber est lac parvulorum, panis perfectorum, aqua refrigerans estuantes in actione, vinum sobrie debrians vacantes in contemplacione. Cecis est visus reparacio, videntibus lucis superfusio, corpore frigentibus velud flamma ad fomitem, iam inflammatis ut oleum ad ignem. Et ne in longum protraham sermonem, quevis privata reducit ad habitum, diminuta ad /18ra/ complementum, completa sustinet ne vergant in detrimentum.

## Dictum 20

De hoc verbo Luce, "Surrexit vere et apparuit Symoni."

Lucas dicit: [Luc. 24:34] "Surrexit Dominus vere et apparuit Symoni." Fuerunt heretici qui dixerunt Christum non esse verum hominem sed illum habere corpus fantasticum. Alii dicebant illum esse verum hominem, sed non fuisse vere mortuum. Tercii dixerunt illum fuisse verum hominem ante passionem, et vere mortuum in passione, sed in resurrectione non revixit homo sed totus fuit deificatus, et in deitatis essenciam totaliter transivit. Hii itaque tres errores eliduntur cum dicit Christum vere surrexisse. Si enim vere surrexit, a veri hominis vera morte in verum hominem vere viventem surrexit Deus.

Sed cur magis dicit "apparuit Symoni" quam "apparuit Petro," cum hoc nomen Petrus videatur dignius nomen esse, et a Domino impositum, [Mt. 3:16] et convenire illi secundum illud in quod mutatus fuit? Cum enim bonis imponuntur bona nomina nova illa signant excellenciam status ad quem ipsi mutantur. Et forte ratio huius est apparens ex nominum interpretacione. Symon vero interpretatur obediens. [chk. Hieronymus, Liber interpretationis hebr. nom.; a commonplace in Bede] Obediencie autem per se debetur premium, ut dicit Augustinus: [Augustinus, De moribus ecclesiae catholicae, 1; PL 32, 1331] "Premium autem est vita eterna." Sed ut ait Iohannis, [Ioan. 17:3] "Hec est vita eterna: cognoscere te Deum verum, et quem misisti, Iesum Christum."

Igitur cum vita eterna sint cognicio et visio Christi, Dei et hominis, et hoc sit premium, et premium per se debeatur obediencie, congrue et proprie Symoni, qui interpretatur obediens, facta est Christi Dei et hominis manifestacio.

## Dictum 21

Sermo de hoc verbo Osee, "Non est veritas neque misericordia neque sciencia Dei in terra."

Osee ait: [Os. 4:1-2] "Non est veritas, non est misericordia, non est sciencia Dei in terra. Maledictum, mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit."

Hec terra, que vacua est veritate et misericordia et Dei sciencia, numquid est terra quam calcamus? Non, quia hoc non habet in se nisi veritatem, et veritate plena est, quia plena est maiestate et gloria Domini, et ubi est glorie Domini et eius maiestatis plenitudo non potest esse vacuitas veritatis.

Numquid /18rb/ illa terra est terra vivencium, que alia est ab ista quam inhabitamus, que est terra moriencium? Nequaquam. Ipsa enim terra vivencium soliditas est celestis habitacionis, que non potest esse a veritate vacua, cum in celo, quod est terra vivencium, permaneat, Domine, veritas tua. [cf. Ps. 118:89] Non potest hec terra esse aliquid universe creature quod ordinem et modum servat sue condicionis. Quicquid enim sue condicionis ordinem et modum servat, veritate necesse est plenum esse, dicente Domino per prophetam: [Ier. 23:24] "Celum et terram ego impleo." Qui idem alibi dicit: [Ioan. 14:6] "Ego sum veritas."

Relinquitur ergo quod hec terra non sit aliud nisi humana anima, que in amore suo terrena preposuit celestibus, creaturam creatori, que sic in se perturbavit ordinem et modum quasi si posuisset terram sursum et celum deorsum. Et ea est que, propter hec transitoria adipiscenda vel retinenda, aliquod de preceptis Domini vult transgredi, que bene terra est gravis iniquitate deorsum non commanens, quia non colligata humore gracie, sed in se divisa, ut "pulvis quem proicit ventus," superbie et suggestionis malignorum spirituum, "a facie terre," [Ps. 1:4] esca serpentis, cuius suasu de celesti facta est fragilitatis et tenebrositatis terree. De hac terra dicit propheta: [Ier. 4:23] "Aspexi terram, et ecce vacua erat et nichili." Vacua veritate, et misericordia, et sciencia Dei, ed ideo merito nichili.

Hec itaque terra veritate est vacua, quia veritas est adequatio sermonis et rei. [cf. Isaac ben Solomon, De definitionibus, cited in Aquinas, Summa theologiae 1.16.2.2] Cum scilicet res est sicut dicitur, precipua itaque veritas est adequatio sive correspondencia vel conformitas rerum summo sermoni, hoc est Verbo Patris eterno, verbo, inquam, quod Pater eternaliter dicit, et verbo scripture, quod dicit per ora eorum qui scripturam ediderunt. Hec veritas in supradicta terra, id est in anima perversa, non est, quia cogitatio eius et voluntas verbo scripture et Verbo beneplaciti Dei conformis et adequata non est. Ac per hoc nec sermo eius exterior, nec opus exterius Dei Verbo adequatur, ac per hoc totus homo interior et exterior veritate, hoc est a Verbi Dei conformitate, /18va/ vacuus est.

Totus est terra in quo veritas non est. Licet enim malus quandoque cogitet et velit, dicat et faciat quod rectum est, non tamen hoc recte facit, et ideo Verbo Dei, quod dicit quod rectum est debere recte fieri, conformis non est, unde plene veritate vacuus est. Veritas autem ante lapsum parentis primi fuit in terra. Eo autem labente recessit a terra, nec potuisset reverti in terram nisi veritas orta esset de terra. Ideoque ut rediret veritas in terram veritas de terra orta est, id est Verbum Patris de carne Virginis. In sola autem veritate, hoc est in conformitate ad eternum verbum, est pulcritudo, bonitas, perpetuitas, et si quid aliud nominari potest verum bonum vere desiderabile.

Ad hanc veritatem maxime expressive et propinquissime tenenda nata est rationalis creatura. Igitur cum sola rationalis creatura hanc sponte deserit quam, si vellet, sola voluntate perpetuo teneret, alia enim creatura nulla est que non conservet conformitatem dictioni qua dicitur eterno Verbo, de suprema pulcritudine, bonitate, et proximitate cum summo bono se facit ab hiis remotissimam, ceteris omnibus deformiorem, posteriorem collatione, omni condemnatione adiudicandam, omniumque actionibus iuste puniendam. Ut enim scribitur in libro Sapientie: [Sap. 16:24] "Creatura tibi factori deserviens [deserviendum MS] excandescit in tormentum adversus iniustos, et lenior fit ad benefaciendum pro hiis qui in te confidunt." Et iterum in eodem: [Sap. 5:21] "Pugnabit orbis terrarum pro illo contra insensatos." Quid enim iustius quam in creatura que tibi converso ad Deum et eidem subiecto leniter serviret, adversum acerbe puniat. Nonne omnis creatura que custodit veritatem ulcisci debet in desertores veritatis?

Est iterum alia veritas que raro in terra invenitur, scilicet operum et rerum ab homine dictarum ad humanum opus attinencium verbo ipsius hominis adequatio. Dicimus enim decoratissimas oraciones, volumus autem et facimus contraria. Promittimus bona et solvimus mala. In hoc similes sumus vitibus qui in foliis et in floribus promittimus uvas et solvimus labruscas. De huiusmodi autem /18vb/ dicit Dominus: [Is. 5:4] "Expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas." Et cur expectavit, nisi quia videt in illis aliquid quod fructus promitteret? Sic nos in foliis verborum et flore ficte [sicta MS] simplicitatis in gestu promittimus fructum dulcem, id est opus bonum, et solvimus amarum

Similes sumus iterum pomis crescentibus iuxta Mare Mortuum, que colore pretendunt maturitatem et gustum suavissimum, sed tamen carpentibus non solvunt nisi inanitatem et fumi evanescentis fetorem.

Item veritas est cum verbum cordis, hoc est cognitio beneplaciti, consonat vero verbo oris. Hanc veritatem nullus habet malus quia nullum verum bonum ei complacet. Unde et si dicat Deum esse, quia huic non consonat verbo beneplaciti cordis, verax non est. Et quam miser est, quia nec veritatem esse vere dicere potest, nec unicum verbum laudis dicere, quia secundum Augustinum, [chk. PL 34, 1934, 1938, 1899ff ???] nullus malus laudare potest, quia quod dicit ore contradicit mente, contradicit et opere.

Igitur triplici dicta veritate plane vacua est terra. Unde sequitur quod vacua sit etiam misericordia. In veritate namque prima superius dicta est expresse timor Dei, quem qui habet, habet amorem proximi, et quo quis caret, caret amore proximi. In amore vero proximi nil manifestius est quam misericordia, que est amor relevacionis miserie aliene. Hec in terra non est quia omnes querunt que sua sunt, et non que alterius, cum Apostolus econtrario: [1 Cor. 10:24] "Non querite que sua sunt, sed que alterius." Qui autem sua querit in misericors est, et ostendit se non esse de

corpore Christi, quia multitudinis existencium de corpore Christi est cor unum et anima una. [cf. Act. 4:32] Sed cordis et anime unius non potest esse dispar voluntas. Igitur qui de corpore Christi est idem vult et non vult cum suo commembro. Igitur qui non gaudet de alieno bono ut suo, et qui non dolet de alieno malo ut suo, non habet cum eo idem cor, ac per hoc Christi membrum non est. Unde celum ascendere non potest, quia, [1 Ioan. 3:13] nemo ascendit in celum nisi qui de celo descendit, filius hominis qui est in celo.”

Ad misericordiam quoque nos movere debet exemplum membrorum qui se sic habent adinvicem quod, [cf. 1 Cor. 12:26] si gloriatur unum membrum gloriatur et cetera, /19ra/ et si compatitur unum compaciuntur et cetera. Propterea quicquid bonum habet unum membrum habent et in illo cetera, quia manus per pedem ambulat, per oculum videt, per os loquitur et comedit, similiter oculus per pedem ambulat, per manum scribit, per oris officium nutritur. [cf. Grosseteste, Expos. ep. ad Gal. 6:3; CCCM xxx, p. 163] Similiter est in membris ecclesie: comedentes cum ieiunantibus ieiunant, agentes cum contemplantibus et orantibus contemplantur et orant et econtrario. Quapropter qui in unitate corporis Christi est, in omnibus omnia possidet, et nichil bonum est quod suum non est. Unde quantum amamus nostrum bonum, tantum amare debemus alienum quia et illud nostrum est, et tantum misericorditer debemus aliene compati miserie.

Ad compassionem vero miserie monuit Paulus cum dixit: [Gal. 6:2] “Alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi,” id est legem caritatis. Ad hoc monent nos brutorum exempla. Cervi vero cum transnatant flumina, sic adinvicem se iuvant ut posterioris natantis mentum ab anterioris dorso supportetur, et prior omnibus a nullo est supportatus. Cum lassatur, tunc relinquit pratum ducatus sui, et fit posterior omnibus supportatus ab ultimo, qui nullum prius supportabat. [cf. Augustinus, Enarr. in Psalmos, 41, 4; CCSL 38, xxx] Sic omnes fiunt participes oneris et honoris. Consimile quoque faciunt quedam aves in volando quod cervi in natando.

Considera quoque in arbore quomodo supremus ramus iuvat infimam radicem et econtrario. Radix enim corrumperetur nimio infuso humore nisi rami de illo humore attraherent. Similiter et ramus corrumperetur nisi radix illi nutrimentum influeret.

Cum ergo tam bruta quam insensibilia in unitate constituta sese iuvant et compaciuntur adinvicem, quam dampnabilis est homo rationalis qui, constitutus cum aliis non solum in unitate nature sed insuper in unitate fidei et participacionis sacramentorum et nominis Christiani, non solum non compatitur, nec iuvat cum possit, sed insuper cum potest impedit.

In hac terra vilissima quam calcamus non est particula que in creaturarum quietacione tocium non /19rb/ iuvat quamlibet aliam. Et homo condicione nature creaturarum dignissima, connaturalem sibi hominem perturbat et inquietat. Sine dubio talis homo nec terre huius vilissime habitacione dignus est, nedum celi, nec alicuius elementi. Ne eiciat te ergo omnis creatura a facie Domini, redeas ad unitatem, redeas ad misericordie compassionem. Non occidas crudeliter Abel sed, si potes, vivifices misericorditer.

Sequitur: [Os. 4:1] “Non est sciencia Dei in terra.” Sciencia namque Dei est cognicio cum amore invincibili, per quam cognoscit homo quid debet Deo et quid debet proximo, et qualiter se habeat ad Deum et proximum. Hec est ars vite regende, cuius magister et doctor est amor Dei, qui expressius est in supradicta veritate, et amor proximi expressius in supradicta misericordia. Unde cum illi absunt, abest et huius artis magister, de quo dicit Iohannes: [cf. Ioan. 14:26] “Unctio docebit vos de omnibus,” et iterum: [cf. Ioan. 16:13] “Cum venerit ille paraclitus docebit vos omnem veritatem.” Sed cum doctor abest, necesse est ut hec ars absit et sciencia, unde absenciam veritatis et misericordie consequitur immediate absencia divine sciencie. Hec est ut dicit Iacobus: [Iac. 3:17] “Primum pudica,” quia non adulterata falsitate vel errore, “pacifica,” nil habens in affectu discordie, “modesta,” quia servans modum absque superfluitate et diminucione, non plus sapit quam oportet sapere, “suadibilis,” quia amat veritatem quia veritas est, non quia sua est. Amatores namque veritatis quia illorum est quod semel conceperunt pertinacissime defendunt, nec persuasione moventur, sed offenduntur et irritantur. [cf. Augustinus, Confessiones 10, 23, 34] “Bonis

consenciens,” quia bonum quod persuasione credit ut faciat voluntate consentit. Unde sequitur ut sit “plena misericordia,” amore videlicet alienam miseriam relevandi, ac consequenter “fructibus bonis,” operibus videlicet sanctis, et sic facta spiritualis, omnia iudicans “sine simulacione” fictionis, a nemine diiudicata.

Horum autem trium bonorum absencias, scilicet veritatis, misericordie, et sciencie Dei, replent ea que sequuntur. [Os. 4:2] In locum namque veritatis absentis subeunt maledictum et mendacium. In locum vero misericordie absentis, homicidium, furtum, et adulterium. In loco vero sciencie /19va/ Dei absentis, sanguinis ad sanguinem attactus. Sermo namque viciosus aut mendax est aut ambiciosus. Mendax est sermo cum unum creditur et oppositum dicitur. Malus sermo est cum quod creditur dicitur, sed tamen ex malo et non recto affectu procedit. Ubi autem adest mala affectio non potest esse prius veritas, que est cum verbo beneplaciti Dei adequacio. Ubi autem mendacium est patenter veritas abest. Quapropter manifestum est quod veritatem non compaciuntur sociam, sed proprie illi contrariantur maledictum et mendacium.

Misericordie vero opposita est crudelitas, que est affectio auferendi alii vitam corporis aut partes integrales viventis corporis, utpote oculum, vel manum, vel pedem, aut partem sacramento unitam, ut uxorem, aut auferendi aliquid vel totum sue possessionis. Non enim sunt plura que credulitas potest auferre, cum fama et libertas et huiusmodi sub nomine possessionis possunt intelligi. Quorum primum, id est ablacio vite vel partis integralis, potest intelligi nomine homicidii, secundum nomine adulterii, tertium nomine furti. Qui enim aufert partes integrales viventis corporis aufert partem actus vivendi. Videre namque quodammodo <? quoddam MS> vivere est, unde et qui oculum aufert, cum partem actus vivendi aufert, ex parte homicida est. Cum enim vir et uxor sint duo in carne una, uxor est pars sacramento iuncta, forcus habens vinculum unionis quam habet pars corporis integralis. Unde et qui eam aufert, auferente partem integram corporis crudelior est. Nomine vero furti, omnis iniuriosa ablacio rei aliene intelligitur, ut in decalogo cum dicitur: [Ex. 20:15] “Non furtum facies.”

Hec ergo tria – homicidium, furtum, et adulterium – manifeste loco absentis misericordie subeunt. Ubi vero abest sciencia Dei, adest sapiencia mundi que stulticia est apud Deum. [cf. 1 Cor. 3:19] Hec autem est calliditas excogitandi et adinveniendi quomodo adquirat et perficiat in se voluptates sciendi, et voluptates sciendi, et voluptates dominandi. Et ideo est terrena quoad voluptates sciendi per sensus exteriores carnis, animalis quoad /19vb/ voluptates sciendi per sensus interiores anime, diabolica quoad voluptates dominandi per superbiam qua primus angelus, scilicet diabolus, cecidit, et diabolus de angelo effectus est.

Qui autem excogitat ut adquirat unam aliquam voluptatem et in ea persistat, cum illa non possit adquiri sine alia, nec permanere statim, excogitat alias per quas hec quam intendit adquiratur et maneat. Et quia ille alie egent adhuc aliis excogitat, et alias eciam ita in hac sapiencia voluptatem voluptati adnectit quasi catherenam, et peccatum peccato addit, et hoc est quod sanguis sanguinem tetigit. Unde in absencia sciencie Dei manifeste subintrat cum sapiencia mundi sanguinis annexio sanguini.

Revertamur ergo ad primum, et extirpemus maledictum de terra nostra ne ipsum exortum suffocet veritatem, audientes illud Apostoli: [Eph. 4:29] “Omnis sermo malus non procedat de ore vestro,” et iterum: [Rom. 12:15] “Benedicite et nolite maledicere.” Sermo namque lux est intelligencie, et ideo non debet obfusari nebulosa scaturigine malicie. Item, ut dicit scriptura, [cf. Ioan. 1:1-3] principium omnis operis est verbum. Sed si principium sit coinquinatum, quomodo potest esse mundum quod de tali principio est natum? Verbum quoque est quo solo precellit homo omnibus ceteris animantibus.

Illud autem in quo quis preeminet ceteris, nisi desipiat et honorificenciam suam sponte abiciat, maxime incorruptum et mundum servare contendit. Unde in sermone incoinquinato est honor hominis, quare et in coinquinato est honoris sui deiectio. Unde Ecclesiasticus: [Ecclus. 5:15] “Honor et gloria in sermone sensati, lingua vero imprudentis subversio ipsius est.” Tolle namque



verbum, et quid erit homo nisi animal brutum? Propterea solum verbum est quod iustificat vel condemnat, unde: [cf. Mt. 12:37; Augustinus, *Enarrationes in Psalmos*, 72, 30; CCSL 39, (lin. 12)] “Ex ore tuo iustificaberis, et ex ore tuo condempnaberis.”

Solum quoque verbum est quod coinquinat. Unde: [Mt. 15:11] “Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem,” quia nullum opus inmundum est nisi in quantum procedit ab inundo verbo oris vel cordis. Ad hoc nil gerit tam expressam similitudinem Verbi incarnati ut verbum quod constat ex voce et intellectu. Unde et si non esset alia ratio, cum ob reverentiam eius, /20ra/ redemptoris videlicet nostri, cuius est tam expressa similitudo, servandum esset cum summa diligencia sine omni inquinacione.

Preterea, opus proprium propter quod factus est homo est laudare Deum et, ceteris operibus evacuatis, hoc solum remanebit nostrum opus in patria. Illud itaque maculare, quo solo ministrabimus Deo perpetuo in patria, quo nulla attingit inquinacio, nonne summa desipiencia est? Ne igitur declinemus corda nostra in verba malicie, occurrat sepe memorie nostre quod verbum est lux intelligencie nostre, principium operis, privilegium et honor hominis, Verbi incarnati similitudo maxime expressa, instrumentum quo solo operabimur in patria.

Quia vero de mendacio alibi scripsimus, hinc inde scribere supersedemus. [cf. Dictum 6, above; et Grosseteste, *De decem mandatis*, 8, pp. 80-84]

Homicidium vero, in quo comprehenditur et odium, quia [1 Ioan. 3:15] “qui odit fratrem suum homicida est,” omnes norunt quam sit detestabile malum, tamen pro parte sua quod est odium, de eo aliquid dicendum est. Et in primis illud, quia [1 Ioan. 3:15] “qui odit fratrem suum homicida est.” Qui enim odit, vellet ipsum quem odit privari vita corporis, aut parte vite in membris mutilatis, aut saltem vita iocunditatis in possessionibus ablatis. Et mirum est, si is odiendo vellet partem vite auferre, prefigit metam ut aliquotam, verbi gracia terciam, vel quartam, vel huiusmodi, vellet auferri, et non maiorem. Quod si metam in magnitudine partis vite quam vellet auferri non prefigit, non saciaretur donec tota vita auferetur. Quod, si ita est, qui odit in voluntate totam vitam auferendi, homicida est.

Noli itaque odire, quia aut odis naturam, aut vicium. Si naturam, teipsum odis, qui es eiusdem nature, et totum humanum genus odis, Christum hominem odis intime, immo et Deum amatorem humani generis odis. Nec ipsam lucem recto oculo aspicias, quia nullus aspicit recto oculo qui odit. Sed qui recto oculo lucem non aspicit in tenebris est. Igitur, ut dicit Iohannes, [1 Ioan. 2:11] qui odit “in tenebris /20rb/ ambulat” et “in tenebris est.” Si vero odis vicium, concedo ut occidas illud. Nec melius occidi potest quam bono repenso pro malo.

Item, qui odit et ex odio alterum ledere nititur est quasi qui lancea cor suum prius transfigit ut alium vel saltem parum attingat in tunica, quem facto non in aliquo continget. Lancea enim ire mentem suam transfigit ut alterum in tunica possessionis vel corporis ledat, in mente enim nullus ledi potest nisi a semetipso.

Furtum vero et ditari de alieno, quam sit miserabile patet si comparentur quod acquiritur corporale et quod ammittitur [admittitur MS] spirituale. Utpote replet archam nummis et evacuat fide et pietate archam cordis; induit se tunica panni fulgenti et exuit se tunica iusticie et indumento salutis; lucratur nummum et perdit Deum, ac per hoc et quem lucratus est, mundum.

Item, considera quam stultus es, qui de alieno vis ditari. Ymaginare aliquem qui teneat aliquid in manu tam forti, quod nulla vis possit quod ab ea tenetur extorquerere. Et ymaginare alium qui illud idem apprehendat manu tam debili, quod vis facilis possit quod apprehensum est extorquere, illam tamen manum debilem sic stricte circa apprehensum se complacitare ut cum extorqueretur a ipsa apprehensum necesse sit eam per extorsionem excoriari, dilaniari, et cruentari. Iam igitur ymaginaris duos quasi idem duorum manibus comprehensum tenentes, et in diversa trahentes. Sed qui debili manu tenet, quid tenet nisi proprie manus excoriationem et cruentam dilaniacionem? Due manus fortis et debilis sunt ius et possessio. Unde qui tenet manu debili

possessiones absque manu forti iuris non tenet nisi suam cruentacionem cum traxerit ad se fortis manus iuris.

Quia vero hora non permittit nunc prolixius loqui de adulterio et sanguinis ad sanguinem attactu, pretereundum est ad presens.

#### Dictum 22

Distinctio signacionum horum duorum nominum, "menbrum" et "corpus" [signaciones]

Menbrum corporis, utpote oculus, vel os, vel manus, dicitur quandoque ipsa membri substantia; sic cecus etiam habet oculum /20va/ et paralyticus manum. Quandoque et ipsa membri substantia cum aptitudine ad opus vel in opere. Et hic subdividitur, quia in significacione nominis vel intelligitur opus propter quod natura fecit illud menbrum, et sic dicimus quod sani habent oculos et manus et cetera menbra; vel intelligitur opus ad quod illud ordinavit creator suus Deus, et sic soli boni habent menbra corporis; vel intelligitur opus ad quod illud menbrum corruptum peccato convertit libido, de quibus menbris dicit Apostolus ad Colossenses tertio: [Col. 3:5] "Mortificate menbra vestra que sunt super terram."

In diversis itaque scienciis diversus est intellectus per menbrorum nomina. Ad hanc propositionem diversimode etiam sumitur nomen corporis quod ex ipsis menbris compactum est, ut tantum signet ipsam corporis substantiam, vel ipsum in actibus menbrorum, et hoc vel in actibus naturalibus, vel in actibus moralibus, vel in actibus viciosis. Quandoque etiam ipsi actus collati ad menbra quibus fiunt, nominibus menbrorum significantur, et collectio actuum corporis nomine. Secundum acceptionem itaque theologie, menbrum pulcrum et sanum est in quantum est in operibus moralibus, infirmum et fetidum et distortum est in quantum est in operibus viciosis, abscisum est in quantum est ab operibus privatum.

Sic ergo diverse sciencie illud nomen ad proprias materias distrahunt et coartant, sicut aliter sumit geometer titulum, aliter comptista, et aliter poeta.

#### Dictum 23

Quomodo ex humilitate exempla Christi debemus imitari

Cum humilitas sit amor persistendi in ordine sibi congruo secundum singulas condiciones, congruit autem cuilibet homini qui ad ymaginem Dei factus est influere bonitates suas super inferiores illis egentes, quia hoc est esse divinum, vere humilis amat bona sua influere super alios et ea illis communicare. Sed ut hoc faciat, necesse est ut ad eorum infirmitatem quos bonis suis vult elevare aliquomodo se dimittat, et in aliquo contingens ipsos communicet cum eis in eorum imis quos vult elevare ad sua excelsa, sicut Filius Dei ad nostras penalitates se dimisit, et in eis nobiscum communicavit, ut a miseria culparum et penarum ad celsitudinem sue beatitudinis nos eveheret.

Cum /20vb/ itaque hec sit magna hominis celsitudo, esse scilicet divino participare, et hoc est sua bona inferioribus influere ut illos in altum elevet, quantumque hoc facit, tantum se ad eorum infirmitates dimittit, patet quam vere dictum est, quod "mensura magnitudinis est mensura humilitatis," [cf. Augustinus, De sancta virginitate 31, 31; CSEL 41, 268] et quam salubriter preceptum, "Quanto maior es, tanto humilia te in omnibus." [Eccus. 3:20]

Debemus itaque ad exemplum Filii Dei penalitatibus aliorum communicare si per hoc possimus eos a miseria maxime culpe vel etiam penalitatis erigere. Debemus autem et sic condescendere ut omnem miseriam proximi quam ipse portat in se portemus nos in dolore et compassione, penam quam portat in sensu portemus nos in compassione et miseracione, culpam quam portat in voluptate et libidine portemus nos in tristitia et odio, dolentes de eius peccato

illudque odientes, ut possimus dicere cum Apostolo: [2 Cor. 11:29] “Quis infirmatur, et ego non infirmor?”

Statum quoque miserandum, quem quisque proximorum nostrorum portat in se, portemus et nos in nobis per positionem, fingentes nos in statu ipsius, et considerantes qualiter deberemus velle nobis subveniri si essemus in statu consimili, pro posse nostro taliter ei subvenientes. Hoc est, cum Apostolo, “Omnibus omnia fieri ut omnes lucrifaciamus.” [1 Cor. 9:22] Hoc modo, si celsi esse volumus participande esse divine, debemus ad inferiorum infirmitates communicandas nos humiliare. Debemus et singulas humiliaciones, quibus Filius Dei se humiliavit ad aliquam nostrarum infirmitatum ut nos elevaret ad aliquam celsitudinem, diligenter considerare, et a qualibet exemplum sumere, ut consimili humiliacione nostra ad proximum, eum ad bonum aliquod ab aliqua miseria erigamus. Verbi gracia, persone Filii Dei ad nostram infirmitatem humiliacio fuit sicut leprose carnis osculacio, quia ipsa carnis assumptio est osculacio de qua dicitur: [Cant. 1:1] “Osculetur me osculo oris sui.” Os enim osculans est Verbum Patris, caro vero assumpta osculatum, ut dicit Bernardus. [Bernardus, Sermones super Cantica canticorum, 2, 3; Opera omnia 1, 9] Sed carnem assumpsit cum corrupcionibus penalitatum, ideoque quasi leprosam osculatus es.

Ad huius humiliacionis exemplum non dedignentur divites osculari pauperes, et maxime cognatos et notos. Filius regis summi osculatus est lepram tuam, /21ra/ et tu superbe denegabis osculum fratri tuo, te forsitan saniori? Absit. Immo libenter et humiliter osculare tibi similem et propinquum hominem, qui leprosus, ut sanus fieres, osculatus es a Deo, cui multum dissimilis eras, a quo longinquus eras in regione dissimilitudinis. [cf. Augustinus, Confess. 7, 10; CCSL 27, xxx] Cum enim propinquo pauperi osculum tuum dives dedignaris, ipse plerumque eo ipso cadit in puteum dedignacionis, et incendium iracundie, et tabescenciam meroris de paupertate pro qua videt te illum contempnere. Cum itaque osculo humiliter pauperi prestito ab hiis ruinis eum sustines, idem est ac si lapsus in istas sublevares. Forte etiam exemplo tuo pedes eius statuis in humilitatis solido.

Osculare igitur dives libenter pauperem propinquum et humiliter, quem forte osculo tuo eripis de indignacionis puteo, de ire incendio, de meroris tabe, et statuis in humilitatis solido. Et si ad hanc humiliacionem non te movent predicta, urgeat quod talem superbiam sequitur pena. Cum enim propinquum tuum erubescis quia pauper est, ipsam erubescis paupertatem, ac per hoc omnem pauperem, in quantum pauper est, ac per hoc Christum pauperem. Sed erubescens eum coram hominibus erubescet ipse coram Patre suo et coram angelis eius. [cf. Luc. 9:26] Quid enim est equius quam quod erubescat te erubescens illum qui non erubuit te?

Christus quoque, Verbum Patris eternum, se verbo unico dicens omnia, quia non potuimus istud verbum audire et portare, condescendit in carne assumpta ad sermonem nobis communem, usitatum et notum, ut sic paulatim eveheret ad intelligendum verbum eternum. Exemplo hoc debent magnates cum pauperibus sermone humili eis usitato et noto loqui, et sapientes cum insipientibus, [insipienti MS] et magister cum discipulis.

Christus etiam ad obprobria siluit, nec contumelias retulit, quia ipse erat “lignum plantatum secus decursus aquarum,” cuius “folium non defluet.” [Ps. 1:3] Si enim contumelias reddidisset, verba eius in terram cecidissent, et ita eius folia defluxissent. Sic nobis ad obprobria et contumelias silendum est ne folia nostra defluant, qui debemus esse ligna paradisi semper virencia. Verba /21rb/ namque contumelie sunt sicut ventus fetens et urens. Fetet obiecta turpitudine, urens est quia venit de igne ire, et ignem iracundie consuevit suscitare. Nos sumus sicut arbores quarum viror virtutes, folia verba, fructus opera. Cortex vero, qui defendit contra frigus et estum, sicut paciencie scutum. Qui se findit et aperiat, uredinemque ventus contumelie intus admittat, ipsa uredo exsiccat succum dulcedinis dilectionis, succoque desiccato, folia verborum relate contumelie statim in terram prouunt, motuque suo flabellabunt ignem iracundie, de qua venit ventus illate prius contumelie, et de seipsis eidem igni prestant materiam et fomentum incendii. Si vero cortex paciencie non intus admittat uredinem illate contumelie, succo dilectionis glutinoso folia ne cadant retinente frigescit et

adnichilatur ignis ire, de quo processit ventus illate contumelie, utpote iam carens flabello vivificante et fomento materiam incendii prestante.

Exemplo igitur Christi, ad contumelias illatas sileamus, scutumque paciencie opponamus, primo, ne nos ipsi uramus, scutumque virorum nostri amittamus, foliisque in terram cadentibus effluamus, et sic siccati et nudati <excidamur,> [om. MS; cf. Brown, ed.] et in ignem mittamur. Secundo, ut proximum nostrum de incendio eripiamus, ignem quo uritur extinguentes, ventilabrum supprimendo, materiam subtrahendo, humilitatis nostre flumine ipsum aspergendo.

#### Dictum 24

Quantum malum sit temerarium de aliorum factis iudicium

Quedam sunt que possunt et bene et male fieri secundum quod recta vel non recta est intencio facientis, utpote largitur sua bene qui ea solum distribuit pro eterna mercede, largitur sua male qui ea distribuit pro humano favore.

Cum ergo de talibus factis que possunt et bene et male fieri proferimus sententiam, affirmantes ea male fieri, maxime sine certissimo indicio prave intencionis eius qui ea facit, iudicare dicimur illo iudicio quod prohibet Apostolus, dicens: [1 Cor. 4:5] "Nolite ante tempus iudicare." Et Dominus ipse hoc iudicium prohibet cum dicit: [Luc. 6:37] "Nolite iudicare et non diudicabimini." /21va/

Cum etiam, dum sumus in via, nullus sciat de seipso an sit dignus amore, nec aliquis hoc noverit de alio, temerarium est iudicium quod asserit certissime de talibus factis quod bene fiant, sed caritas uniuscuiusque de talibus factis proximorum debet pie sperare et presumere quod procedant de caritatis radice et pura intencione. Hoc autem velut certissime asserere temerarium est, cum soli Deo sit cognita occulta hominis intencio. De talibus ergo factis, dum involvimur tenebris ignorancie, nec illuminata sunt nobis abscondita tenebrarum, nec manifestata consilia cordium, [cf. 1 Cor. 4:5] nullam more iudicis proferamus sententiam. Qui enim hoc facit, quantum in se est, Deo parificat, vel potius Deum se facit.

Solus enim Deus per se novit occulta cordium. Sancti enim angeli et sancte anime, etsi videant in speculo eternitatis occulta cordium nostrorum, non ea tamen per se vident, sed in speculo et per speculum eternitatis ea conspiciunt. [cf. 1 Cor. 13:12] Cum ergo homo de hiis que utroque modo fieri possunt iudicans facit se aliorum occulta agnoscentem, nonne Deo se parificat, [perficiat MS] vel potius, quia aliorum occulta cognoscere Dei est proprium, se facit Deum? Et ideo, parificans se Deo, similis est diabolo, qui voluit equari Deo.

Ex simili considerare possumus quantum sit iniuriosus Deo qui quod Dei est proprium presumit usurpare. Fingamus aliquem de extremis [exermis MS] populi velle usurpare ea que propria sunt regis, utpote diademate coronari, purpura vestiri, edicta facere. Nonne super hiis convictus capitali sententia puniretur? Et quantum putas te puniendum qui, cum sis terra et cinis et servus peccati, ius eius usurpas proprium, qui est Dominus et rex celorum.

Preterea, recogitandum est quod iudicare est officium iudicis. Et non est cuiuslibet iudicis de hiis que utroquemodo fieri possunt proferre sententiam, sed eius tantum cui datum est omne iudicium, [cf. Ioan. 5:22] et eorum qui sedebunt cum eo super thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. [cf. Luc. 22:30] Nec adhuc nec hic est tempus huius iudicii faciendi. Nec honorem huius faciendi officii debet aliquis sibi assumere, presertim cum nec filius hunc honorem sibi assumpserit, sed "Pater omne iudicium dederit Filio." [Ioan. 5:22] Nec ad sedendum cum filio super aliquem unum duodecim /21vb/ tronorum aliquis dignus est nisi qui reliquerit omnia et sequutus fuerit ipsum. [cf. Mt. 19:27; Luc. 5:11]

Tu vero cum iudicas, tu ipse tibi ipsi tanti officii tam excelsum, quantum in te est, assumis honorem. Ascendis tribunal Filii Dei ac Apostolorum. Tamen non solum non omnia, sed nec vana,

reliqueris superflua, et per hoc facis ante tempus iudicii et extra locum iudicii deputatum. Numquid ista facere parva est presumptio? Ipsum iudicas a quo forte iudicaberis. Iudicem te facis, qui nescis an in iudicio iudicaberis. Immo iudicem te facis, qui eo ipso quod iudicas, nisi peniteas, condempnaberis.

Preter hec autem omnis talis iudex assertor est temerarius, ea scilicet que nescit an sint vera tanquam vera et certa affirmans. Omnis autem temerarius assertor est sicut qui ederet, et aliis ad edendum daret, cibum de quo incertus est an cibus ille esset salubris an noxius vel forte venenosus. Et est sicut qui apponeret aliquid oculo de quo ignoraret an conferret visui an visum obfuscaret. Veritas enim credita est sicut cibus salutis, et mentis oculum clarificat. Falsitas autem credita est sicut cibus noxius aut forte venenosus, et visum mentis perturbat. Si quis autem apponeret tibi cibum, ignorans aut dubius an esset salutaris an venenosus, nonne reputares eum, vel penitus vel fere, reum veneni dati, etiam si cibus esset salubris? Sic omnis temerarius assertor, aut omnino aut fere reus est mendacii, licet etiam verus sit sermo quem asserit.

Item, cum alium iudicas et tuo iudicio condempnas, nonne si eodem aut pari vicio laboras, te ipsum iudicas et condempnas? Ipsum autem iudicare de occultis aliorum forte magis est viciu in te quam sit illud viciu de quo iudicio tuo condempnas proximum. Igitur, in quocumque alium iudicas semper teipsum condempnas.

Ex predictis itaque licet in parte perspicere quam rationabiliter dampnet scriptura de proximis iudicium. [cf. Mt. 7:1; Luc. 6:37; Rom. 2:1; 1 Cor. 4:5] In iudicando enim cecus fingit se videntem, homo se parificat Deo, et ita fit similis diabolo. Cum autem occulta cordium alienorum se facit homo cognoscentem, assumpsit sibi indignus iudicis /22ra/ dignitatem, que soli Filio et ipsum omnibus relictis sequentibus attribuitur. Iudicat ante tempus in fine temporum diiudicandus, coram paucis et insipientibus, et quasi clam, in obscuro loco. Temere condempnat condempnandos vel absolvendos certa et manifesta sententia et propatula coram multitudine civium celestium temerarie asserendo que nescit, vel penitus vel fere astringitur reatu mendacii.

Ad ultimum, in quo iudicio alium iudicat seipsum condempnat. Temerarium igitur iudicium de factis proximorum non modicum malum est, licet loquacibus aut nullum aut parvum malum videatur. Sed hoc viciu pluraque alia que parva videntur aspectibus hominum sunt sicut sepulcra exterius dealbata et intus plena omni spurcicia. [cf. Mt. 23:27] Oculo cecucientis non videntur sordida, sed habenti linceos oculos, quorum visus penetrat intima, apparent manifeste sordibus plena. [Lynceus, one of the Argonauts, was famed for his penetrating sight; cf. Boethius, Consolatio philosophiae, 3 pr. 8]

## Dictum 25

Quomodo falsus est in umbra mortis cum diabolo et per diabolum

“Habitantibus in regione umbre mortis, lux orta est eis.” [Is. 9:2]

Ad intelligenciam huius sermonis sciendum est quod prima mors fuit in voluntate rationabili, et hec mors est aversio voluntatis a voluntate divina, que est summa vita. Vivit namque voluntas rationalis cum adheret voluntati divine, conformis ipsi exeundo, nolens in sua propria esse potestate, in omnibus subiecta voluntati divine.

In hac namque adhesionem voluntatis rationalis voluntati divine, que est summa vita, vivit et ipsa. Et cum mors sit divisio a vita, aversio voluntatis rationalis a voluntate divina, que est summa vita, merito dicitur mors voluntatis rationalis. Et hec est mors pessima quia est separatio a vita optima. Ac morte primo mortuus est diabolus quando in principio avertit suam voluntatem a voluntate divina, nolens subici divine voluntati, nec ei conformari, sed volens esse penitus in sua propria potestate et Deo parificari.

Ipse quoque diabolus mors nominatur quia totali intencione convertitur ad avertendum suam voluntatem a conformitate voluntatis divine, que aversio, ut dictum est, mors est pessima, sicut consuevimus /22rb/ dicere quod diabolus est ipsum scelus, quia ex tota intencione ad scelus peragendum conversus.

Dicitur etiam diabolus mors quia ipse fuit homini occasio mortis culpe, tam temporalis quam eterne. Mors autem culpe in homine idem est quod mors culpe in demone, scilicet aversio voluntatis a divina voluntate, quam merito consequitur in homine mors penalis, que est in divisione anime a corpore, et etiam mors penalis iehenne, nisi obstet sacramentum baptismi et penitencie.

Est itaque mors triplex, scilicet divisio voluntatis a voluntate divina, et divisio corporis et anime, et immanitas iehennalis pene, que detinebit dampnatos homines velud semper morientes et numquam tamen penitus extinctos sed perpetuo ab omni iocunditate separatos.

Umbra autem corporalis est privacio lucis solis propter corpus obscurum interpositum inter solem et locum umbrosum. Sola autem terra de elementis est non pervia lumini huius solis visibilis et corpora elementata que multum participant terrestri tenebrositate. Ad hanc quoque similitudinem est umbra spiritualis privacio luminis veri solis iusticie et intelligencie propter non pervium illi lumini interpositum inter solem iusticie et locum spiritualiter obumbratum. Nil autem obstare potest radiis solis iusticie et intelligencie nisi distorcio voluntatis qua avertitur voluntas ab amando summe summum bonum ad amandum summe aliquid non summe bonum. Hec namque distorcio voluntatis per summum amorem inferiorum bonorum quasi fit terrestris et etiam terra. Comparacione namque summi boni, quod idem sepe vocatur in scriptura celum, omne inferius terra vocatur, et omnis voluntas eius rei nomen meretur que ab ipsa summe amat. Hec itaque rationalis voluntatis distorcio, que velud terra est, radiis solis intelligencie et iusticie obstant ut non illustrent sic distorte voluntatis aspectum lumine veritatis, nec affectum lumine gracie. Nec mirum si aversionem voluntatis a summo bono non penetret radius huius solis, quia aversio ipsa privacio et defectio est.

Cum itaque aversio voluntatis /22va/ a summo bono sit mors, et ipsa aversio sit que umbram facit et privat radios solis intelligencie et iusticie ne illustrent aspectum per veritatem nec affectum per graciam, patet quod omnis substantia rationalis perverse voluntatis habitat in umbra proprie mortis. Nec tamen omni habitanti in umbra mortis orta est lux in ortu Christi. [cf. Is. 9:2] Nec dictum est "omnibus habitantibus," etc. sed solum "habitantibus." Malignis autem spiritibus non est orta lux illa, quia iustum est sicut nullo impellente se precipitaverunt in tenebras, sic nullo iuvante redeant ad lucem. Sed cum sit impossibile ut, scilicet, per se redeant, ideo perpetuis dampnantur tenebris. Sed hominibus solis umbra predicta habitantibus orta est lux, quia conveniens est ut qui alio impellente cecidit in tenebras, alio iuvante redeat ad lucem.

Notandum tamen quod homo non vi diaboli, sed fallaci persuasione, in umbram mortis cecidit. Et ut planius intelligatur qualiter homo venit in hanc umbram, fingamus duos homines in aliqua lata planicie et ubi sol splendidius luceat. Quorum hominum unus habeat faciem aversam a sole et dorsum ad solem conversum, in cuius dorso sit scutum latum quod ipsum portantem scutum umbra involat. Hic quoque videat reliquum hominem facie ad solem conversa et illustrata, et inde invidet. Cumque non possit sua vi et suis passibus interponere se inter solem et faciem eius cui invidet et eam lumine privet, fallaciter persuadet ei qui habet vultum illuminatum ut ipse veniat in umbram suam quasi illic inventurus delicias, isque derelinquat lumen suum, et persuasus sponte vadat in umbram persuadentis, illicque simul cum persuadente avertatur a sole, et statim portet scutum obumbrans in dorso proprio, et sic duplici obtenebrante obtenebretur. Nec iam habeat in potestate propria ut per se faciem suam ad solem convertat, nec scutum obumbrans seipsum deponat.

Diabolus itaque, quando peccaverat, fuit sicut prior duorum dictorum hominum qui habuit faciem aversam a sole iusticie, homine primo, scilicet /22vb/ Adam, adhuc habente faciem mentis ad hunc solem conversam et illuminatam. Habuit quoque diabolus supra dorsum scutum obumbrans

ipsum, id est distorcionem sue voluntatis que privabat eius affectum a radiis gratie et eius aspectum a radiis veritatis et intelligencie. Cumque non potuit sua vi interponere se inter oculum mentis hominis et solem spiritualem, persuasit homini ut veniret in umbram suam, quod homo fecit dum voluntati diaboli consensit. Pedes namque suos ibidem posuit homo ubi stetit diabolus cum voluntatem suam fixit in propria excellencia ubi et diabolus et suam fixerat. Et iam homo, in umbra diaboli existens, faciem habuit aversam a vero sole, et in dorso proprio scutum distorte voluntatis, que distorsio cum sit mors, iam fuit homo in umbra mortis duplicis, scilicet mortis anime proprie, et mortis diabolice.

Ex morte vero propria anime hominis, conseqebatur continuo corruptio corporis et eciam necessitas mortis corporalis. Et hec corruptio, quia venit ex eo quod per se obstat radiis solis intelligencie, et ipsa privat aspectum anime maxime a radiis luminis veritatis, sicut dicit scriptura: [Sap. 9:15] "Corpus quod corrumpitur aggravat animam," etc. Non tamen in renatis et penitentibus, ubi tollitur mors culpe, obstat hec corruptio et mortalitas radiis luminis gratie et iusticie, nec iam penitus obstat radiis luminis veritatis. Tamen dum geritur hec corruptio et mortalitas, semper per eam obfuscat veritas, et in umbra huius mortalitatis et corrupcionis et mutabilitatis huius vite, que merito mors dicuntur, habitant homines viatores, quantumlibet sint sancti. Mortalitas et eciam penalitas huiusmodi vite in qua omnes habitant viatores, quid aliud est quam similitudo, licet tenuis, et umbra quedam pene et mortis iehenne?

Hiis igitur modis hominibus habitantibus in umbra mortis ortus est sol iusticie et intelligencie ut illuminaret tenebras culpe et ignorancie quando Filius Dei natus est de Virgine. Quia vero oculi diu assueti tenebris /23ra/ huius solis nudam non potuerunt perferre claritatem ut non reverberarentur et magis obtenebrarentur sua luce inaccessibili nuda, velavit se predictus sol iusticie nube carnis, et sic per nubem carnis assumptam se prebuit, eciam oculis carnis visibilem cuius claritatem nudam nec oculi mentales humani poterant sustinere.

#### Dictum 26

Quod Filius Dei optimo modo dandi datus est nobis

Optimus modus dandi est cum res data sub hac condicione committitur et recipitur, ut scilicet recipiens habeat in plena potestate bene et recte uti re data quantumcumque libuerit. Nec sic quod datum auferre possit quamdiu is qui recipit non aliter quam bene et recte eo uti voluerit. Quam cito vero dato abuti voluerit is qui recipit, datum amittat. Optimo igitur modo datur quod ad usum bonum et rectum plenissimum et perpetuum committitur et recipitur.

Sicut autem rebus creatis convenit nobis uti cum dantur, sic convenit nobis creatore frui. Optimo ergo modo et plenissimo datus est nobis creator cum factus est nobis talis quo perfecte et perpetuo frui possemus, et hoc fuit quando carnem assumpsit. Nisi enim carnem assumpsisset et in carne assumpta nos redimisset, ad hanc divinitatis eius plenam fruicionem non admitteremur. Datus est igitur nobis Filius Dei ad fruendum eo, et per ipsum tota Trinitate perfecte et perpetuo, quando ex tempore est incarnatus, et natus, et factus homo.

Set sicut videmus quod quibusdam creaturis datis ad rectum et bonum usum non statim utitur is cui dantur, et tamen plene dantur, licet ipsis datis adhuc non utantur, sic Filius in nativitate nobis plene datus est, et tamen ipso non plene fruemur nisi in patria.

## Dictum 27

## Quomodo diligendus est proximus

Debet unusquisque diligere proximum suum tantum quantum diligit se, id est velle ei tantum bonum quantum vult sibi. Non tamen puto quod tenetur ut tam intensa voluntate velit alii bonum quam intensa vult sibi ipsi bonum. Immo potius, in hoc videtur consistere /23rb/ ordo caritatis ut intensius et forcius velit homo sibi ipsi bonum quam alicui alii. Et consequenter unicuique alii eo magis optet bonum quo magis sibi coniunctus est cognatione, affinitate, vel ordinatione, [oracione MS] vel beneficiis. Omnibus tamen a quolibet equale bonum et summe bonum est optandum, sed non omnibus a quolibet est equaliter optandum equale bonum. Sibi enim plus quam alii debet optare summum bonum, sed non debet optare sibi magis bonum quam alii. Equaliter igitur debet quisque diligere se et proximum quo ad qualitatem boni optati sibi et proximo, plus tamen se quam alium quo ad intencionem optacionis boni. Unde cicius eligeret sibi quilibet vitam eternam quam alii si proponeretur vita eterna uni eorum tantum recipienda. Similiter de temporali bono, si proponatur uni tantum de duobus recipiendum, et sit in alterius electione propositum, non perturbat ordinem caritatis, qui sibi illud potius elegit quam alii. Debet tamen semper tantum bonum, et temporale et spirituale, alii cuilibet quam sibi optare, et hoc est ipsum amare.

Amare vero alium sicut se est velle de alio ut avertatur a malo et convertatur ad bonum, sicut vult de se quod avertatur a malo et convertatur ad bonum. Non enim amat seipsum qui diligit iniquitatem, [cf. Ps. 10:6] quia qui diligit iniquitatem diligit mortem anime sue, et illa odit animam suam. Unde cum meliorem partem sui odit, seipsum non diligit. Malus ergo non diligit se, unde non potest alium diligere sicut diligit se, quia non diligit se. Diligere itaque se est velle se ipsum a malo averti et ad summum bonum converti, et sic debet proximum diligere.

Cum vero dicitur: "Erunt in novissimis temporibus homines seipsos amantes," [2 Tim. 3:1-2] et intelligatur hoc de malis, videtur quod mali se diligunt. Sed sciendum quod homo dividitur quasi in duplicem: hominem interiorem, scilicet, et exteriorem, spiritualem et carnalem sive bestialem. Et sumitur in scriptura "homo" <quandoque> pro interiori homine, quandoque pro exteriori homine. Homo igitur carnalis se ipsum amat cum amat voluptatem sciendi, sciendi et principandi, cum videlicet ratio ad ista amanda deflectitur et depravatur. Et iste amor hominis carnalis est odium hominis spiritualis, sicut econverso /23va/ amor hominis spiritualis est odium hominis carnalis.

## Dictum 28

## De satisfactione, et an opera misericordie sunt satisfactiva

Satisfactio est ad honorem eius erga quem delictum est solucio alicuius rei ante delictum non debite.

Homo vero, etsi numquam erga Deum deliquisset, deberet Deo tam corpus quam animam suam, et omnia opera bona que per corpus et animam posset exercere. Sufferencie vero penarum corporis et anime non esset debitor nisi prius deliquisset.

Videtur etiam quod operum misericordie non esset homo debitor nisi homo peccasset. Nisi enim homo peccasset nullus esset miser, et si nullus esset miser, non posset quis erga alium opus misericordie facere, sicut in patria non poterunt esse opera misericordie, ubi nulla erit miseria. Sed ecce pono duos homines quorum alter sit mundus ab omni peccato tam originali quam actuali, careatque omni miseria, qualis fuit primus homo in paradiso; reliquus vero per peccatum ceciderit in has miserias quas patimur merito peccati. Quero an ipse qui caret miseria conversans cum misero sit debitor operum misericordie ad honorem creatoris sui? Quod si est, tunc homo etiam si non peccasset debitor esset operum misericordie dummodo esset miser cui misereri conveniret. Cum nihil



habet homo quod posset solvere Deo cuius debitor non esset, eciam si non peccasset nisi sufferenciam penarum, igitur satisfactio in sola sufferencia voluntaria penarum videtur consistere.

Numquid igitur per opera misericordie non potest homo pro delictis suis Deo satisfacere? Numquid frustra iniuncta sunt penitentibus in remedium peccatorum opera misericordie? An forte non sunt satisfactiva opera misericordie nisi in quantum penalia. Opera namque misericordie concupiscencie quam mortificant penalia sunt; nec essent penalia si non esset concupiscencia, que est fomes peccati.

Primus namque homo in paradiso, si fuisset miser ibi cui conveniret misereri, sine omni penalitate et labore gravante posset erga eum exercuisse opera misericordie licet non peccasset. Sive ergo homo debitor fuit operum misericordie sive non, patet quod per ea satis fit pro delictis, quia ad minus in quantum sunt penalia et laboriosa; non enim essent debita nisi homo peccasset. Sufferencia igitur voluntaria penarum absque dubio est satisfactiva pro culpa. Unde cum omni desiderio sunt penalitates in satisfactionem culpe portande. /23vb/

#### Dictum 29

Quod cogitacio seminacionis seminis ad generacionem hominis est munda, et inde patet quam immunda est concupiscencia, et quod non est a natura

Corpus viri melius et nobilius est quavis arbore, et corpus mulieris melius et nobilius terra. Semen quoque decisum a corpore viri et unde generatur homo melius et nobilius quovis grano. Seminacio igitur seminis virilis in corpus mulieris ad prolem procreandum, circumscripta feditate carnalis concupiscencie, melior et nobilior est operacio seminacione cuiusvis grani in terra ad arborem vel spicam procreandum. Ergo noticia et meditacio seminacionis seminis virilis in corpus mulieris, et quomodo ex semine virili formetur et producat proles, circumscripta a meditatione feditatis concupiscencie, melior et nobilior est meditacione et noticia cuiusvis grani seminacionis et productionis rei sui generis ex illo.

Cum ergo bona, munda, et honesta sit meditacio qualiter quodvis granum ex arbore aut herba producat et in terra iactum secundum genus suum plantam proferat, et mundior et honestior esset meditacio qualiter ex virili semine seminato in corpus mulieris procreatur homo, nisi se admisceret meditacio concupiscencie, patet ergo quanta est feditas concupiscencie et corrupcio, que cogitata cum re honesta in se et munda facit eam cogitatu horridam, et mentem cogitantis sepe polluit, et eciam corpus cogitantis amore fedo accendit.

Et cum nullum naturale sit pudibundum, [putibundum MS] (menbra quoque genitalia non sunt pudibunda nisi propter inordinatos motus concupiscencie, velit nolit racio,) patet quod motus concupiscenciales non sunt naturales, sed nature bone corrupciones.

#### Dictum 30

Exemplum de filio regis, ad persuadendum mundi contemptum

Natus ad regnum, nisi degener esset, tugurrium pauperis non cuperet. Immo eciam nec possidere dignaretur nisi honesta necessitas compelleret.

Unusquisque autem nostrum natus est ad regnum celeste, respectu cuius regni quotlibet mundi tales qualis est iste mundus sensibilis parvi tugurrii comparacionem non optinent. [oportinet MS] Multum enim degener est qui huius mundi unam partem cupit, vel eciam possidere dignatur, nisi honesta causa et necessitate compellentibus.

## Dictum 31

## Differentia quietis et requiei

Quies opponitur motui, sed requies proprie opponitur labori. Inanimata /24ra/ namque non requiescunt, sicut nec laborant. Non enim dicimus lapides in terra requiescunt, sed quod quiescunt; nec dicimus quod movendo laborant. Laborare namque est cum in movendo debilitatur virtus motiva, et ex debilitate difficilius movet, sentiturque difficultas in movendo.

Hec tamen duo verba, scilicet laborare et quiescere, dicuntur communius et transsumptive, sicut est illud quod dicit Dominus de se: "Laboravi sustinens," [Is. 1:14] et alibi, "Requievit Dominus Deus die septimo," [Gen. 2:2] et "Requievit archa supra montes Armenie," [Gen. 8:4] que iactata fluctibus quasi laboraverat.

Quid autem magis laboriosum quam sub viciorum pondere fatigari? De quo labore dicit Dominus: "Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos." [Matt. 11:28] Licet autem facilis sit descensus animi, non tamen sine labore descendit in infernum, quod per similitudinem potest intelligi.

Ymagnetur unus homo in declivo latere montis, habens super humerum grave pondus magni lapidis, et ymagnetur alius nulla re oneratus. Nonne facile est non onerato supponere humerum suum lapidi quo alter oneratur, ut iam oneratus per declivum montis ipso onere pressus currat deorsum velocius? Verumtamen non est facile ipsum iam oneratum onus deponere aut versus sursum redire; nec sine gravi fatigacione et lesione deorsum curritur.

Isti itaque labori quo laborant qui vias viciorum ambulant difficiles opponitur requies quam signat nox et requies Sabbati.

## Dictum 32

## Quod omne opus indivisibiliter faciunt tria, et tamen quedam dicuntur quorundam propria

Unumquodque operum nostrorum voluntariorum faciunt tria, scilicet potencia, sapiencia, voluntas sive amor, et tamen unumquodque operum nostrorum alicui uni istorum trium magis proprie quam aliis attribuimus.

Hec enim tria tunc beneficia prestant miseris, dum diserte legunt ac disputant, tunc viriliter hostem prosternunt, et tamen primum horum proprie attribuitur amori, secundum sapiencie, tertium vero potencie.

Sic opera Trinitatis, licet sint diversa, quedam tamen magis proprie attribuuntur Patri, alia Filio, alia Spiritui Sancto; utpote Patri opera potencie, Filio sapiencie, Spiritui Sancto benignitatis. Hec sic operantur quod una faciat partem operis unam /24rb/ et alia aliam, sed quelibet totum operatur. Sic etiam in nobis totum operatur voluntas, totum sapiencia, totum potencia.

## Dictum 33

## De hoc verbo Domini in Iohanne, "Philippe, qui videt me videt et Patrem meum"

"Philippe, qui videt et me videt et Patrem meum." [Ioh. 14:9] Quia quantum quis agnoscit Filium secundum substanciam divinitatis, tantum novit Patrem et etiam Spiritum Sanctum secundum essenciam eandem. Et qui videt per speciem unam trium personarum unde est persona, videt per speciem omnes tres personas. Qui etiam absque nubilo fantasmatum videt in anima superiorem trinitatem creatam, secundum quam trinitatem anima est ymago summe Trinitatis, in ipsa trinitate anime sicut in speculo agnoscens unam personam agnoscit in eodem speculo ceteras.

Philosophi et curiosi amatores potencie et sapientie, et non habentes amorem ordinatum, et ideo habentes oculum cordis obscuratum, plus noverunt in se, licet impure, cum noverunt memoriam gignentem intelligenciam, et intelligenciam genitam de memoria, quam amoris ordinem, et ideo in speculo anime plus cognoverunt duas personas quam terciam. Unde quidam illorum tetigerunt de duabus, nichil dicentes de tercia; quidam obscure valde aliquid intellexerunt de tercia, magis limpide agnoscentes duas. Quidam vero illorum qui plus accesserunt ad amorem ordinatum, et habuerunt oculum mentis puriorem, eciam trinitatem investigaverunt, sicut ille qui dixit “monas monadem genuit, et in se suum reflectit ardorem.” [Liber xxiv philosophorum, 1] Nullus autem habens aliquid rationis, concedens Patrem, potest negare Filium vel econverso, cum hec duo adinvicem relative dicuntur, nisi forte intellexerit Patrem ideo dictum Deum tantummodo quia creator est omnium creaturarum et nos adoptans in filios, sicut forte Iudei et illi qui negant pluralitatem personarum et concedunt Deum esse Patrem. Non tamen sequitur ita propinque ut qui concedit duas personas concedat et terciam. Potest enim habere obscuram noticiam Patris et Filii, et ignorare eos spirare amorem quo se amant adinvicem, sed non potest agnoscere Patrem et Filium esse spirantes, nisi eciam agnoverit eorum spiramen.

Preterea, licet omnes magni philosophi, vel plures, qui <de> Deo loqui sunt, noverunt /24va/ [noverunt] ipsum esse potentem, sapientem, et bonum; et potencia attribuitur Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto, non tamen omnes noverunt Trinitatem, quia non noverunt omnes potenciam in quantum ipsa est gignens sapientiam, nec sapientiam in quantum ipsa est genita, nec bonitatem in quantum ipsa est procedens vel spirata.

Item, cum dicat auctoritas [ref. ???] quod Iudei credunt Patrem et negant Filium et Spiritum Sanctum, forte hoc est intelligendum non solum eo modo quo dicitur quod Deus est Pater omnium creaturarum, sed ideo eciam dicuntur credere Patrem quia credunt unicam personam cui convenit proprium Patris. Credunt namque Deum esse individuum essenciam rationalem, non factam, nec creatam, nec genitam, nec procedentem, et hoc soli Patri convenit. Non tamen credunt Patrem, hoc est gignentem Filium, quia tunc crederent et Filium. Credunt ergo Patrem, hoc est eam personam que est Pater. Non tamen credunt Patrem secundum rationem et diffinicionem Patris, sed credunt eum qui est Pater secundum proprium Patris, velut si quis agnosceret animal risibile, non agnoscens rationale, agnosceret hominem secundum suum proprium, et non agnosceret ipsum secundum suam diffinicionem; et diceretur agnoscere hominem quia agnoscit hominis proprium, licet non eius diffinicionem.

#### Dictum 34

De eicienda turba vanarum cogitationum ab aula mentis

Cum audienda est laus Domini, debet auditor ab aula cordis sui eicere turbam tumultuantem vanarum et terrenarum cogitationum, ne turba ista strepitu suo in aure mentis perstrepet, et ab auditu claro laudis Domini aurem mentis impediatur. Abigenda autem est turba ista virga timoris Domini cuius laus est audienda.

Hec est turba quam eiecit Dominus de domo quando resuscitavit puellam in domo mortuam, [Luc. 8:48-56; Mt. 9:25] et que secum increpabat cum clamaret ad Iesum transeuntem, ut lumen reciperet. [Mt. 20:29-34]

Amor autem eius cuius dicitur laus aut canitur, debet suscitare attentionem in audiente.

Dictum 35

Sermo ad sacerdotes de hoc verbo Apostoli, "Exemplum esto fidelium," etc.

"Exemplum esto fidelium in verbo, in conversacione, in caritate, in fide, in castitate." [1 Tim. 4:12] /24vb/

Paulus, doctor gentium, sollicitudinem habens omnium ecclesiarum, [cf. 2 Cor. 11:28] hiis verbis informare nititur vitam omnium pastorum. Thimotheus autem, cui Apostolus hec verba direxit, typum omnium pastorum gerit in illo. Igitur unumquemque nostrum, qui curas habemus animarum, alloquitur hiis verbis: "Exemplum esto fidelium," etc.

Talis igitur debet esse unusquisque vestrum ut sit exemplum fidelium. Tunc autem es eis exemplum cum in manifestacione exteriorum operum legi potest quasi in scriptura quadam unde procedunt opera interioris affectus animorum.

Si ergo in te sint opera manifesta [in te] luxurie, in quibus legi potest affectus interior incontencie, exemplum quidem es, sed non fidelium, immo liber et speculum luxuriosorum. Similiter, si sint in te opera manifesta cupiditatis et rapine, in quibus legi potest interior affectus avaricie, exemplum quidem es non fidelium sed cupidorum. Similiter, cuiuscumque vicii opera sunt in te manifesta, ut ex illis possit convinci affectus interior vicii illius generis, viciosorum es exemplum, non fidelium. Immo eo quod exemplum es viciosorum, laqueus es et ruina fidelium, convenitque tibi quod dicitur per Osee: "Speculator Effraym laqueus ruine factus est super omnes vias eius." [Os. 9:8] Et quid miserabilius quam ut tu ipse qui illaqueatos deberes a laqueo ruine eripere eisdem ipse sis laqueus ruine?

Non igitur sitis viciosorum exemplum, ut exemplo vestri animentur subditi vestri ad vicia similia, quia de talibus prelatis dicit Osee: "Peccata populi mei comedent, et ad iniquitates eorum sublevabunt animas eorum. Et erit sicut populus, sic et sacerdos." [Os. 4:8-9] Sed audi quid sequitur: "Visitabo super eum vias suas, et cogitaciones eius reddam ei, et comedent et non saturabuntur; fornicati sunt et non cessaverunt, quoniam Deum dereliquerunt in non custodiendo." [Os. 4:9-10] Ne itaque ruine laqueo subditos vestros illaqueetis, et ad iniquitates vestras eorum animas sublevetis, et sic Deum in non custodiendo relinquatis, /25ra/ sitis exemplum non viciosorum, sed fidelium. Hoc est, sint in vobis exterius opera manifesta fidei in quibus possit legi vera fides interius et dilectio Christi. "Luceat lux operum vestrorum coram hominibus, ut videant vestra bona opera et glorificent Patrem vestrum qui in celis est." [Mt. 5:16]

"Exemplum esto fidelium," non solum abstinens ab illicitis, quod omnes fideles faciunt, sed excellenciore conversacione continens etiam concessis. Debet enim lux vestre conversacionis tantum preluere conversacioni [conversacionis MS] fidelis subiecti populi quantum lux, perspicuitas, et puritas oculi ceterorum membrorum preluet colori. Vos enim estis oculi sponse, de quibus dicitur in Cantico: [Ecclesiastico MS] "Oculi tui columbarum." [Cant. 1:14] Sicut igitur cetera membra sine lesione contingunt pulvis et festuce, oculum autem non contingunt sine lesione et lacrimarum eductione, sic pulvis minorum venialium et festuce grossiosorum, que plebi sunt insensibiles, vobis debent esse amare, et vos qui estis oculi sponse in fontem lacrimarum deducere.

Laius fidelis sepe non sentit pulverem ociosi verbi vel levis nulli nocentis, vel etiam officiosi mendacii. Vos autem qui estis oculi sponse, pulverem talem sollicite debetis cavere, et si vos forte contigerit, lacrimis compunctionis abluere, recolentes quod "os quod mentitur occidit animam," [Sap. 1:11] et quod de omni verbo ocioso rationem oportet reddere. [Mt. 12:36]

De hac sancte conversacionis vestre prerogativa respectu conversacionis subditorum vestrorum dicit Gregorius, quod "tantum debet actionem populi actio transcendere presulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. Oportet namque ut mente sollicite studeat quanta tenende rectitudinis necessitate constringitur, sub cuius estimacione populus grex vocatur." [Gregorius Magnus, Regula pastoralis, 2, 1]

Considerate etiam quod inspiciens oculum in eo suam cernit formam et ymaginem. Sic omnis vestram conversacionem prospiciens in ea debet formam sibi et normam recte vivendi prospicere. Verumptamen, sicut ymago in oculo recte formata est et tamen apparet pusilla, sic in celsitudine sancte conversacionis vestre vita subditorum sibi debet apparere parvula et indigna. Eritis itaque hoc modo vos sacerdotes sacrum fidelibus ducatum prebentes, non solum conversacionis /25rb/ paritate, sed precellenti puritate fidelium vivendi regula et exemplum.

Sequitur, "in verbo." [1 Tim. 4:12] "Labia" namque "sacerdotis custodire debent scienciam," [Mal. 2:7] sicut docet Malechias, circumcidique debent a vacuitate ociositatis, a mendositate falsitatis, a presumpcione temeritatis, a levitate scurrilitatis, a mordacitate detractionis, a sordibus immundicie, et a superfluum exaggeracione, ut nullum de verbis vestris in terram cadat, sicut de Samuele dicitur quod "non cecidit ex omnibus verbis eius in terram." [1 Reg. 3:19] Vos enim estis os Domini, de quo per Ieremiam dicitur: "Si separaveris preciosum a vili, quasi os meum eris." [Ier. 15:19] "Non enim vos estis qui loquimini," etc. [Marc. 13:11] In vobis enim et per vos doctrinam suam Deus loquitur, per quam sicut per venam quandam de habundancia vite sue vitam influit audientibus. Unde in Parabolis dicitur: "Vena vite os iusti." [Prov. 10:11]

Cum ergo sitis vena per quam vehitur vita, cavete diligenter ne immundicia vene puritatem polluat influentis vite, ne "per vos nomen Dei," quod est vita, "polluatur et blasphemetur in gentibus." [Rom. 2:24] Attendat etiam precipue caritas vestra quod per vos loquitur Deus illa verba per que panis et vinum in carnis Filii Dei et sanguinis vertuntur substanciam. Cum ergo per vos tanquam per suum os tam ineffabilis efficacie verba depromat Deus veritas, qua temeritate audet aliquis efficere ut per idem oris canale fluat mendosa falsitas? Cum itaque te sollicitat menciendi libido, recale quia es os Dei veritatis, qui dicit: "Veri sunt sermones mei." [cf. Sap. 2:17] Cum te titillat levitas iocandi et ociosa loquendi, recale quia os eius es, apud quem est summa stabilitas et nulla vacuitas, cuius verbum in eternum stat, et "que procedunt de labiis suis non faciet irrita." [Ps. 88:35] Si te stimulat livor ut detrahas, recale quia os eius es, cui susurriones et detractores sunt odibiles, cuius eloquia nil habent amarum, sed sunt "dulciora super mel et favum." [Ps. 18:11]

Os Dei es. Numquid igitur loqueris opera hominum, qui "ut non loquatur os meum opera hominum," [Ps. 16:4] ait per Psalmistam? Perpende etiam diligenter quod idem instrumentum est quo sapis et quo loqueris. Quare, putas, sic ordinavit Deus ut eodem instrumento quo loqueris /25va/ sapes discernas, nisi ut per hoc intelligeres quod omnis sermo tuus condiri debet sapore salis sapientie, ut "os tuum loquatur sapientiam, et meditacio cordis tui prudentiam?" [Ps. 48:4] Item, cur ponitur lingua tua sub palato, quod figuram habet celi, unde et a polo palatum dicitur, [Isidorus, Etymologiae, 11, 1, 55] nisi ut intelligas omnia verba tua debere esse celestia, omniaque formanda percussione interioris lingue cum celo spirituali, nilque extra huius celi ambitum debere figurari, ut agnoscatur in lingua tua, sicut docet Ecclesiasticus: "Firmamentum in operibus iusticie." [Ecclus. 4:29]

Considera etiam quod oris ultimum est quo datur signum pacis, scilicet osculum, et in hoc expresse innuitur quod omnis verbi finis et ultimum consiliacio et concordia debet esse animorum. De quali verbo dicitur in Ecclesiastico: "Verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos, et lingua eukaris in bono homine habundabit." [Ecclus. 6:5] Et iterum: "Sapiens seipsum in verbo amabilem facit." [Ecclus. 20:13]

Item, ore sicco verbum non formatur, sed humore iuvatur verbi sonacio. Hoc est quod sermo omnis sonans in aure Dei, rore gracie ardorem ire et concupisencie restringente, irrigatur, sicut testatur Ecclesiasticus: "Nonne ardorem refrigerat os, et verbum melius quam datum?" [Ecclus. 18:16] Et iterum: "Lingua sapientis quasi diluvium inundabit, et consilium illius sicut fons vite permanet." [cf. Ecclus. 21:16] Sordes enim prius mundando diluit, et postea sicut fons vitam influit. Verbum itaque ipsum summo opere sincerum et verum est conservandum, quia hoc solo irrationabilia precellimus, et in quo sicut in fundamento cuncta nostra opera solidamus, quia ut ait scriptura, omnis operis inicium est Verbum. [cf. Ioan. 1:1-3]

Doceat ergo vos et in vobis efficiat verbi moderamen officii vestri dignitas, quia os Dei estis, et naturalis formacionis proprietas. Quia ut ait scriptura: “Qui moderatur labia sua prudentissimus est.” [Prov. 10:19] Et: “Perfectus est qui in lingua non offendit.” [Iac. 3:2] Et “Beatus qui non est lapsus in verbo ex ore suo.” [Ecclus. 14:1] Sic itaque eritis “exemplum fidelium in verbo.” [1 Tim. 4:12]

Sequitur, “in conversacione.” [ibid.] Sicut monet Apostolus Petrus: “Conversacionem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitacionis.” [1 Petr. 2:12] /25vb/ Hec conversacio intelligitur in operibus exterioribus visibilibus et manifestis, ut sit amictus non notabilis, risus castigatus, incessus humilis, quia “amictus corporis, et risus dencium, et incessus hominis annunciant de eo,” [Ecclus. 19:27] ut in vobis qui debetis persuadere populo Dei sit vocis <et> vultus [sit] discrecio cum humilitate, gestus moderacio cum venustate, quia “in facie prudentis lucet sapiencia,” [Prov. 17:24] et “quomodo in aquis resplendet vultus perspicencium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus,” [Prov. 27:19] ut tandem per opera vestra nec sitis in vosmetipsos flagiciosi, nec in alios facinorosi, sed in vobismetipsis contra voluptates temperatissimi, contra terrores fortissimi. In alios autem sitis benevoli, et pro posse munificentissimi, pauperum largi subventores, oppressorum de manibus forciorum ereptores, invasorum defensores, in omnibus pro domo Domini vos murum opposcentes, ne audiat illud exprobrativum ab ore Domini: “Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis vos murum pro domo Domini,” [Ezech. 13:5] sed conveniat vobis illud quod in tipo vestri dictum est Ieremie: “Ego dedi te in civitatem munitam, et in columpnam ferream, et in murum ereum, super omnem terram. Et bellabunt adversum te et non prevalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.” [Ier. 1:18-19] Ut sis, scilicet, adunacio discordancium, municio adunatorum, infatigabilis sustentacio infirmorum, incorrupta repulsio omnium inimici iaculorum. Sic itaque sermone audibili et conversacione visibili ordinatus exterius signum dabis expressum caritatis et fidei et castitatis interius.

Unde sequitur: “In caritate, in fide et castitate.” [1 Tim. 4:12]

Caritas, ut scitis, est amor Dei et proximi, qua diligimus Deum incomparabiliter plus quam nos, et proximos tanquam nos. Inicium dilectionis proximi est, ut ex amore possumus, si egeat, illi nostra largiri. Perfectio eius est, ut pro proximi eterna salute vitam nostram temporalem parati simus non solum flagellis sed eciam morti exponere. Inicium caritatis insinuavit Iohannes, cum dixit: “Qui habuerit huius mundi substanciam, et viderit fratrem suum necessitatem habentem, et clauserit viscera sua ab illo, quomodo caritas Dei inmanet in illo?” [1 Ioh. 3:17] Eiusdem caritatis perfectionem insinuavit Dominus, cum dixit: “Maiorem caritatem nemo habet /26ra/ quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.” [Ioh. 15:13]

Vos itaque, prelati ecclesie, non solum debetis iniciatam caritatem habere, ut videlicet egentibus possitis largiri vestra, sed ut pro salute proximorum, et maxime cure vestre subditorum, possitis impendere vosmetipsos. Sicut Paulus dicit ad sibi subditos: “Et ego ipse impendar pro animabus vestris.” [2 Cor. 12:15] Et ex eadem affectione caritatis alibi dicit: “Optabam anathema esse a Christo pro fratribus meis.” [Rom. 9:3] Et Moyses, ex eodem affectu caritatis pro populo qui Domino peccaverat orabat, dicens: “Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti.” [Exo. 32:31-32] Debet eciam pastor ecclesie omne quod possidetur transitorie, omne quod possit invitus amittere, morsibus lupi dilaniandum permittere potius quam sinat lupum rapere et oves dispergere. [cf. Ioh. 10:12]

Si itaque talis debet esse caritas in prelati ut seipsos impendant pro subditis, quid dicendum est de eis qui nondum sua largiuntur egenis? Immo eciam quid dicendum est de hiis qui subditos spoliant fraudulentis et violentis rapinis? De quibus dicit Dominus per os Ysaie: “Populum meum exactores sui spoliant.” [Is. 3:12] Et paulo post alloquitur tale dicens: “Vos depasti estis vineam meam, rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum et facies pauperum confunditis?” [Is. 3:14-15] Tales eciam alloquitur Dominus per Micheam, dicens: “Audite, principes

Iacob et duces domus Israel. Numquid non vestrum est scire iudicium? Qui odio habetis bonum et diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eos et carnes eorum desuper ossibus eorum? Qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt, et considerunt quasi in lebetes et quasi carnem in medio olle.” [Mic. 3:1-3] Sed talium statim subiungit iustam dampnationem dicens: “Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos, et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis.” [Mic. 3:4]

Et si consideremus mores talium prelatorum qui fraude et vi spoliant pauperes, inveniemus dictam dampnationem illis convenientissimam. Solent enim tale spoliatores ad se clamantes spoliatos non exaudire, et ab eisdem supplicantibus faciem avertere, et ne ad eos accederent solent, /26rb/ in cavernis suis se abscondere. Et quid convenientius quam qui non exaudit miserum non exaudiri, et ab occultante faciem a misero faciem Dei occultari? Absint a vobis pastoribus talia, qui gregis Domini non estis spoliatores, sed albo vellere vestitores, qui ex caritatis radice quod infirmum est consolidatis, quod egrotum <sanatis,> et quod fractum alligatis, quod abiectum reducit, quod periit queritis, non cum potencia et austeritate imperatis, sed perfecta caritate pro grege vestro vosmetipsos impenditis. [cf. Ez. 34:4] Hec est caritas qua exemplum estis fidelium.

De veritate autem fidei non estis ad presens instruendi, nec ut firma sit in vobis fides, ut credo, commonendi. Ideoque ad ultimum verbum transeundem, ut castitatis lilio induamini. [cf. 1 Tim. 4:12: “... in fide, in castitate”] Nil enim convenientius quam vos castitatis mundicia vestiri, qui castissime Virginis filium virginem cotidie manibus contrectatis, ore contingitis, et pura mente capitis. Nil enim incongruentius quam vos volutabro luxurie fetentissimo volutari, quam ut turpissimam dominam innumerabiles nequissime sequuntur pedisseque. Quarum prima est apostasia, quia “vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes.” [Ecclus. 19:2] Secunda ydolatria, sicut legitur de Salomone, quod “mulieres averterunt cor eius.” [3 Reg. 11:3] Cumque esset iam senex, depravatum est per mulieres cor eius, ut sequeretur deos alienos et colebat Astrathen, deam Sydoniorum, et Chaos, deum Amonitarum, et Moloch, ydolum Mabitatum. [cf. 3 Reg. 11:4-8] Comitantur etiam luxuriam ut pedisseque homicidium et dolus, sicut patet in David, qui propter explendam luxuriam occidit fidelem militem Uriam, [2 Reg. 11:1-27] et Herodes Iohannem Baptistam, [Matt. 14:13-21] et occisus est Amon, filius David, propter luxuriam a fratre suo Absolone. [2 Reg. 13:1-38] Comitantur etiam frequenter gressus huius turpissime domine furtum, rapina, temeritas, fraus, et demencia, sicut legitur in Apocryphis Esdre: “Quia accepit homo gladium, et vadit in viam [vani MS] facere furta et homicidia, et mare navigare et flumina, et leonem vidit, et in tenebris ingreditur cum furtum fecerit, et fraudes et rapinas amabili sue affert.” [3 Esdr. 4:23] Et paulo post: “Et multi dementes facti sunt propter uxores suas.” [3 Esdr. 4:26]

Sequuntur etiam ut pedisseque luxuriam subiectio potestati diaboli, sicut legitur /26va/ in Tobia de septem viris Sare qui non affectu coniugali sed libidinoso, volentes ad eam ingredi a diabolo occisi sunt, [Tob. 3:7-10] effeminatio quoque confu[fu]sio et predacio, turpiloquium, garulitas, et vagitas, et commessationes, et ebrietates, et morbi multi, ut ex diversis locis scripture potest expresse colligi. Et numquid in eodem domicilio concorditer hospitantur agnus, filius Virginis, cum choro virginum que sequuntur eum quocumque ierit, [cf. Apoc. 14:4] et predicta corruptissima, quam tam horrida sequitur familia?

Ut ergo digne recipiatis in cordis vestri hospicium Virginis filium, cum choro virginum ipsum quocumque ierit sequencium, contra luxuriam eiusque nequissimam familiam claudite portas vestrorum sensuum. Sintque ianitores eam arcentes timor iehenne et recordacio professionis proprie. Suscipiantque devotissime splendidissimam castitatem, eamque precipue virginalem, quam sequitur familia reverentissima, videlicet incoinquinacio, que nescit thorum in delicto, fructus in refectione animarum sanctarum, nomen sempiternum quod non perit, quia sicut caritas, sic continentia numquam excidit, [cf. 1 Cor. 13:8] assimilacio matri sponsi sui, in exilio vite patri

similitudo, in carne corruptibili similitudo vite angelice et vite paradisi. Hanc preeunt et introducunt vestis asperitas et victus parcitas. Hanc undique vallat et custodit humilitas.

Istam itaque filio acceptissimam sponsam, qui filium Virginis cotidie contractatis, in penetrale cordis vestri admittite, ut plene sitis “exemplum fidelium in verbo, et conversacione, et caritate, et fide, et castitate.” [1 Tim. 4:12]

#### Dictum 36 Sermo brevis de ieiunio

Ieiunium a cibis corporalibus parum aut nichil prodest nisi sit informatum illo magno et generali ieiunio de quo dicit Augustinus omelia septima super Iohannem: “Ieiunium magnum et generale est abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus seculi, quod est perfectum ieiunium: ut abnegantes impietatem et secularia desideria, iuste et pie vivamus in hoc seculo.” [Augustinus, In Iohannis evangelium tractatus, 17, 4; (PL 35, 1529)] Huic ieiunio quam mercedem addidit Apostolus sequitur cum dicit: “Expectantes beatam spem, et adventum glorie magnitudinis Dei, et salvatoris Domini nostre Iesu Christi.” [Tit. 2:12-13] Hoc itaque perfectum est ieiunium quod est /26vb/ ab illicitis abstinentia informatum. Abstinentia inquam non vacua, sed bonis operibus plena. Non enim est perfectum ieiunium abnegare impietatem et secularia desideria nisi insuper sobrie et iuste vivatur. [cf. Tit. 2:12: “erudiens nos ut abnegantes impietatem et saecularia desideria sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo”] Cui consonat Ysaia in persona Domini loquens: “Nonne hoc est maius ieiunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, et omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc,” etc. [Is. 58:6-7] Quasi igitur forma ieiunii perfectiva, sive ipsius ieiunii a cibis corporalibus vita, est ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus abstinentia operibus misericordie informata. Huius forme sive vite quasi materia vel corpus est ipsum ieiunium a cibis corporalibus, sed sine specie supradicte forme quasi informis materia vel corpus exanime. Et quia in sic formato ieiunio eripit homo se a tenebris iniquitatum, et fulget splendore operum, congrua merces subiungitur a Propheta cum ait: “Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et gloria Domini colliget te.” [Is. 58:8] Et paulo post: “Orietur in tenebris lux tua, et tenebre tue sicut meridies erunt.” [Is. 58:10]

Ieiunium autem ipsum corporale nobis est necessarium, quia mensuram edendi licitam et a natura limitatam illectu libidinosi appetitus et voluptuosi frequenter excessimus. Iustumque est ut sicut prave consencientes libidini fines debitos transgressi sumus, sic bene resistentes eidem citra fines concessos quandoque gradum sistamus, nec solum in ciborum abstinentia libidines gustus edomamus, sed et ceterorum sensuum quibus ciborum copiam luxuriandi ministratur fomentum.

Mensura enim edendi concessa et a natura limitata est tantum taleque et tunc sumere quantum et quale exigit necessitatis nature supplicio et eius bona et ordinata valitudo. Unde Augustinus, Contra Iulianum, libro quarto, ait: “Cum natura quodammodo poscit supplementa que desunt non vocatur libido, sed fames et sitis. Cum vero suppleta necessitate amor edendi animum sollicitat, iam libido est, iam malum est, cui cedendum non est, sed resistendum.” [Augustinus, Contra Iulianum, 4; PL 44, 771] Alimenta namque, sicut idem Augustinus dicit, medicamenta velut sumenda sunt, [cf. Augustinus, Confessiones, 10, 31] solum videlicet pro egritudine tollenda vel vitanda, bonaque valitudine servanda. Quia igitur hos concessos limites illecti libidinosi et voluptuosi appetitus frequenter excessimus, horam anticipando, et ultra quam expeteret /27ra/ necessitatis supplicio et natura bona valitudo lauciora querendo, maius et avidius sumendo, studiosius quoque preparando, debemus econtra horam edendi prolongare, minus lauta querere, minus et minus avide sumere, minusque studiose preparare quantum permittit bona nature valitudo sine sui corruptione et bene operandi impeditiva debilitacione.



In ieiunio itaque corporali debet esse [vere MS] victus parcimonia, hore prolongacio, minus lautorum quesicio, minorumque in quantitate et cum maiori appetitus refrenacione sumpcio, minusque studiosa preparacio. [cf. versus: species gule quinque: Prepropere, laute, nimis, ardentem, studiose]

Quod autem hec debeant esse in ieiunio ostendunt nobis ipsa ieiunia sanctorum. Protelacionis hore exemplum habeamus in filia Raguelis, scilicet Sara, que: "Ascendens in superius cubiculum domus sue tribus diebus ac noctibus non manducavit neque bibit." [Tob. 3:10] Ceterarum circumstanciarum exemplum in Daniele, qui dicit de se: "Lugebam trium ebdomadatum diebus; panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum." [Dan. 10:2-3]

De hiis etiam quibusdam circumstanciis observandis dicit Augustinus: "Ille plene gule vicium superat qui in sumendis dapibus non solum parcimoniam tenet, ut scilicet refectionem semper esuries imperet, verum etiam acuratiores simul et suaviores epulas, excepta corporis infirmitate et hospitum suscepcone, contempnit." [Ambrosius Autpertus, De conflictu vitiorum atque virtutum, c. 20; CCCM 27B, (line 18)]

Ieiunandum est autem corporali ieiunio temporibus statutis ab ecclesia. Aliis quoque temporibus quibus ecclesia permittit ieiunium potest sancta devocio vel penitencialis iniunctio hoc supererrogare bonum. Illo autem magno ac generali ieiunio, de quo loquitur Augustinus, semper est ieiunandum. Et hoc signat ieiunium quadragesimale. Denarius autem signat scienciam creatoris et creature, qui creator trinus est, creatura autem in septenario consistit propter quaternarium elementorum et trinarium incorporalium, que incorporalia aut sunt substancie intelligencie racionales, aut sensitive irracionales, aut vegetative absque sensu et racione. Tempora autem omnia quattuor anni partibus notissimis discurrunt. Animam ergo informatam cognicione et ordinato amore creatoris et creature a temporum et temporalium delectacione caste et continenter vivere, hoc /27rb/ est quadraginta diebus ieiunare.

A quibus autem corporalibus cibis est ieiunandum? A nullis, dicit Augustinus, quasi a malis et inmundis, "quia omnia munda mundis, et omnis creatura Dei bona, et nichil reiciendum quod cum graciaram actione percipitur." [Augustinus, Enarr. in Psalm. 125, para. 6] Sed a multis utpote a laucioribus et a curiosioribus vel acuracioribus quasi non necessariis, quia moderare carniarum usum pro tempore proprie Christianorum est, cui ieiunandum est non gule, non avaricie, non fame, sed Deo. Unde loelis primo: "Sanctificate ieiunium." [Ioel 1:14] Super quem locum Gregorius in Pastoralibus ait: "Ieiunium quippe sanctificare est adiunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis exhibere." [Gregorius, Regula pastoralis, 3, 19]

De ieiunantibus sibi et non Deo dicit Zacharias: "Cum ieiunatis in quinto aut septimo mense per hos septuaginta annos, numquid ieiunium ieiunastis michi? Et cum comeditis et bibitis, numquid non vobis comeditis et vobismetipsis bibitis?" [Zach. 7:5-6] Ubi dicit Gregorius in Pastoralibus: "Non Deo sed sibi quisque ieiunat, qui ea que ad tempus ventri subtrahit pauperibus non tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit." [Gregorius, Regula pastoralis, 3, 19] Similiter dici potest, non Deo sed sibi ieiunat, quia ea que ad tempus ventri subtrahit non in operibus tribuit, sed postmodum in archa congreganda custodit.

Fame etiam ieiunant qui, sicut ypocrite tristes, "exterminant facies suas ut appareant hominibus ieiunantes." [Matt. 6:16] Ad ieiunium autem accendere debet mentis affectionem sive devocionem [devocioni MS] quod ipsum ieiunium in paradiso est constitutum, et constitucionis legis iniciu[m] ipsumque est primum obediencie preceptum. Unde Basilius: "Ieiunium in paradiso lege constitutum est. Primum enim mandatum accepit Adam: a ligno sciendi bonum et malum non manducabitis. Non manducabitis autem ieiunium est, et legis constitucionis iniciu[m]. Si ieiunasset a ligno Eva, non isto indigeremus ieiunio. Non enim opus habent valentes medico, sed male habentes. Egrotavimus per peccatum, curemur per penitentiam. Penitentia sine ieiunio vacua est. Maledicta

terra spinas et tribulos pariet. [cf. Gen. 3:18] Constrictari ordinatus es, numquid delectari?" [Basilus, as quoted by Augustinus, Contra Iulianum, 1; PL 44, 652]

Solent autem ieiunantibus duo surripere mala, impaciencia videlicet et elacio de abstinentia. Unde Gregorius /27va/ in Pastoralibus: "Nisi mentes abstinentium plerumque impaciencia a sinu tranquillitatis excuteret, nequaquam Petrus, cum diceret: "Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute scienciam, in sciencia autem abstinentiam," protinus vigilanter adiungeret, dicens: "In abstinentia autem pacienciam." Deest quippe abstinentibus paciencia, previdit qui, et ut eis adesset admonuit. Rursum nisi cogitationes abstinentium non numquam superbie culpa transfigeret, Paulus minime dixisset: "Qui non manducat, manducantem non iudicet." Qui rursus [rusus MS] ad alios loquens, cum de abstinentie virtute gloriantium precepta perstringeret, adiunxit: "Que sunt rationem quidem habentia sapiencia in supersticionem et humilitatem, et non ad parcendum corporum, non in honore aliquo ad saturitatem carnis." Qua in re notandum est quod in disputatione sua predicator egregius supersticioni humilitatis speciem iungit, quia dum plus quam necesse est per abstinentiam caro atteritur, humilitas foris ostenditur, sed de hac ipsa humilitate graviter interius superbitur. Et nisi aliquando mens ex abstinentia virtute tumesceret, nequaquam velud inter magna merita phariseus arrogans studiose numeraret dicens: "Ieiuno bis in sabbato," etc. [Gregorius, Regula pastoralis, 3, 19]

Dictum 37

Sermo in cena Domini, de hoc verbo, "Comedite amici," etc.

"Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, karissimi." [Cant. 5:1]

Consuetudo curialis est in conviviis vel cenis magnatum ut ministri modeste invitent convivantes ad hillarem sumpcionem cibariorum et potuum. Ut ergo hec, non dico magnatis sed maximi, cena huius consuetudinis ministerio non sit omnino vacua, invitat nos curialiter et modeste ad hillarem sumpcionem non minister aliquis parvus, sed solummodo ille magnus, secundum nomen suum pacificus, secundum opera largissimus, secundum donum celitus colatum sapientissimus, dicens: "Comedite amici, et bibite," etc. [Cant. 5:1] Dilatet itaque mentem vestram hillaritatis latitudine favor tanti ministri tam dulciter et modeste invitantis, sed incomparabiliter dilatet amplius eandem gracia Domini cenam liberalissime largientis et preciositas cibi saluberime reficientis.

Istius enim /27vb/ cene largitor non reficit nos pane reparante corpus moriturum, sed pane de quo, si quis manducaverit, vivet in eternum. [cf. Ioan. 6:59] Non cibatur nos carne qua dilectus incrassatus et impinguatus recalcitratur, sed qua saginatus iugum Domini suave et onus leve voluntarie portat. [cf. Matt. 11:30] Non vino in quo est luxuria nos inebriat, [cf. Eph. 5:18] sed vino quod virgines germinat. Non porrigit fructum ligni sciencie boni et mali, qui necessitatem inducit moriendi, [cf. Gen. 2:17] sed fructum ligni vite, qui continuat perpetuitatem vivendi. Si enim gaudes cum te cibatur magnus aliquis homo suis alimentis corruptibilibus, quanta animi diffusionem tibi gaudendum est cum te cibatur magnus Deus seipso incorruptibili. Si exhillarantur egroti cum propinatur eis amara pocio ad salutem momentaneam, quomodo non effervet mens extra se pre gaudio cum potatur sanguine uve meracissimo ad salutem eternam. Immo quanto cibus iste vegetancior est omni cibo corporali, quantoque igitur cibi largitor maior homine mortali, quanto etiam vita eterna beacior et prolixior vita temporalis, tanto mens humana sana hillarior est in hac cena spirituali quam possit esse in cena aliqua corruptibili. Unde in tantum agnoscere possumus nostram infirmitatem, in quantum in nobis sentimus diminutam hanc spiritualem iocunditatem. Cum hillaritate ergo superfervida que se non capiat, que se intra non possit claudere nec extra plane explicare, ideoque in iubilum prorumpat, sicut monet Salomon: "Comedite," [Cant. 5:1] inquit, panem vite, qui "de celo descendit et dat vitam mundo," [Ioan. 6:33] carnem agni immaculati "qui tollit peccata mundi," [Ioan. 1:29] carnem, inquam, illam quam in cena nunc reportata [repuertata MS] Filius Dei sub specie panis

dedit discipulis suis, dicens: “Accipite et comedite; hoc est corpus meum.” [Matt. 26:26] Bibite quidem sanguinem Filii Dei, qui pro vobis et “pro multis effusus est in remissionem peccatorum,” [Matt. 26:28] qui digne potantes a sordibus abluit, ablutosque luci solis comparatos nitidiores et puriores facit. Is enim potus vinum est in quo ludas, a Iacob benedictus, “lavit stolam suam, /28ra/ et sanguinis uve quo lavit pallium suum,” [Gen. 49:11] in quo venientes ex magna tribulatione stolas suas laverunt et insuper dealbaverunt. [cf. Apoc. 7:14]

Sequitur, “et inebriamini.” [Cant. 5:1] Unde calice caritatis, calice inquam de quo dicitur: “Calix meus inebrians quam preclarus est,” [Ps. 22:5] calice quoque [quoquo MS] potati fratres Ioseph inebriati sunt in meridie. [cf. Gen. 43:34] Sed quid est quod addit “karissimi,” [Cant. 5:1] quasi amici bibant et comedant, karissimique soli inebriantur? Est enim in hac dominica cena pro variis condicionibus cenantium aliquo modo varia apposito cibarium ac potum. Ut enim fieri solet in cenis et conviviis magnatum quod inferioribus datur panis grossior et vinum austerius, medio cibus panis delicatior et vinum dulcius, supremis autem apponitur panis delicatissimus et vina saluberima et suavissima, qui suppremi, ut moris est, mediis atque infimis mittunt partes de optimis sibi appositis. Sic et in hac cena dominica. Infima namque sunt insipientes, compuncti, et penitentes; mediocres sunt proficientes et operantes, suppremi sunt perfecti, utpote contemplativi et ecclesiarum prelati. Infimis autem apponitur, ut panis grossior et vinum austerius, panis lacrimarum et vinum compunctionis. Hii enim dicunt: “Fuerunt michi lacrimae mee panes die ac nocte.” [Ps. 41:4] “Et iterum: “Cibabis nos pane lacrimarum.” [Ps. 79:6] Et alibi: “Potasti nos vino compunctionis.” [Ps. 59:5]

Medio cibus vero apponitur panis scripture, que scriptura, ubi cum difficultate intelligitur, quasi mastigando laboriose comeditur, ubi vero facile comprehenditur, quasi potus delectabiliter hauritur. Hiis etiam apponitur panis bonorum operum, que per scripture regulas perficiuntur, quo pane pascuntur non solum hii qui eo vescuntur, sed etiam Dei Filius, qui dicit: “Is est cibus meus, ut faciam voluntatem Patris mei.” [Ioan. 4:34] De quo iterum dicit: “Operamini non cibum qui perit sed qui permanet in vitam eternam.” [Ioan. 6:27] Bona enim opera, etsi transeant actu, tamen remanent eternaliter fructu. Hiis etiam quasi vinum suavius apponitur hilaritas bene operandi. De hoc vino bibit Booz, qui interpretatur robur, videlicet /28rb/ ad bene operandum, et ut scribitur, “factus est hillarior.” [Ruth 3:7] Hec hilaritas dilectos facit, licet nondum karissimos; “hillarem enim datorem diligit Deus.” [2 Cor. 9:7]

Perfectis vero suppremi ordinis apponitur panis delicatissimus, panis ille qui de celo descendit, Filius scilicet Dei, cuius veram carnem quam assumpsit de Virgine, que perpendit in cruce, in qua a mortuis resurrexit, quam ad celos elevavit, cotidie comedunt sub specie panis in altari, eundemque sanguinem qui de latere eius fluxit potant sub specie vini. Nec hii vescuntur Christum solum secundum carnem, sed cum predicto esu saturantur divinitatis eius dulcedine. Unde et dicunt: “Comedi panem cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo,” [Cant. 5:1] ubi enim nostra translacio habet “favum,” alia translacio habet “panem.” [cf. Septuagint] Panem itaque cum melle comedere est veram in Christo carnem cum divinitatis dulcedine credere et predicare, et vinum bibere est vinum sanguinis eius cum lacte doctrine admiscere. Sed sicut correspondent vinum sanguinis pani corporis, sic vinum caritatis quo inebriantur karissimi pani divinitatis quo pascuntur angeli et contemplativi perfecti.

Videmus itaque perfectis apposita panem delicatissimum, vinaque suavissima. Qui, ut decet, communicant de hiis optimis sibi appositis, hiis qui sunt medii et infimi ordinis cum sacramentum altaris penitentibus et operantibus communicandum porrigunt, et de igne verbi calorem caritatis in illis accendunt.

Cena autem finita, non finitur statim omnimoda commestio atque potacio. Tunc enim consueverunt dare karissimis electuaria, saporifera, et alia aromatica. Sic cum desinent penitentes vesci pane lacrimarum et potare compunctionis vinum, cessabuntque activi translati ad requiem pasci pane operationis et potari vino hilaritatis. Cum etiam cessabit sacramentum altaris, apponetur

karissimis, qui in futura vita non erunt nisi karissimi, ad fruendum sapifera species divinitatis et ad potandum uberrime torrens caritatis. Caritas numquam excidit, et is est torrens uberis voluptatis de quo dicitur: "Inebriabuntur ab ubertate domus tue, et torrente voluptatis tue potabis eos." [Ps. 35:9]

In huius poculi laude sermonem volumus finire, quia et ipse Dominus sermonem /28va/ suum in laude caritatis consummavit, quam laudandum discipulis propinavit et propinando laudavit. [cf. Ioan. 15:9-17]

Est itaque radix omnium bonorum caritas, sicut omnium malorum cupiditas. "Qui hanc tenet in moribus tenet quicquid latet et quicquid patet in divinis sermonibus." Hec [Hoc MS] est "salubre vinculum mencium sine qua dives pauper est, et cum qua pauper est dives. Hec [Hoc MS] in adversitatibus tollerat, etc." Hec Augustinus, De laude caritatis. [Augustinus, Sermo 350; PL 39, 1534]

### Dictum 38

Sermo de hoc verbo Domini, "Pax vobis."

"Pax vobis." [Luc. 24:36, etc.]

Consuetudo regum potentum est ut, postquam victoriam facerint, hostesque triumphaverint, pacem suam declamare faciant voce preconiali.

Rex noster potentissimus Christus, rex lucis et humilitatis et vite, regem fortem de quo dicitur quod non est fortitudo super terram que posset ei comparari. [cf. Deut. 3:24] Regem tenebrarum, regem de quo dicit Iob: "Ipse est rex super omnes filios superbie," [Iob 41:25] regem qui tenebat mortis imperium nuper in cruce mirabiliter triumphavit, et vere mirabiliter triumphavit, quia unde ceteri vincuntur noster rex vicit.

Ceteri enim bellatores moriendo vincuntur, rex autem noster moriendo triumpho potitus est. Visne scire rationem huius miri? Rex noster vita est; rex contra quem dimicavit mors est. Non potuit autem, ut dicit Cassiodorus, mors vinci nisi vita subintraret mortem, [Cassiodorus, Expositio Psalmorum, Ps. 3; CCSL 97] sicut non vincuntur tenebre nisi per lucis subintracionem in locum tenebrarum. Et generaliter nulla vincitur defectio vel privacio nisi per subintracionem essencie vel habitus. Ut igitur mors vinceretur oportuit ut vita moreretur.

Rex itaque noster Christus, qui est via, veritas, et vita, [cf. Ioan. 14:6] nuper, ut dictum est, "moriendo mortem superavit." [cf. Cassiodorus, Expositio Psalmorum, Ps. 27] Propterea, ut mos est victoris per regnum suum, id est per ecclesiam, non alicuius preconis sed voce propria pacem suam homine declamavit. Et bene non preconis voce pax ista declamatur, quia nisi eam declamasset veritas, non crederetur declamacio verax, cum adhuc in regno eius senciatur dura conflictio spiritus rebellantis carni, demonibus, et mundo.

Preterea, cum dicat ipsa veritas: "Non veni pacem mittere sed gladium," [Matt. 10:34] si alterius /28vb/ voce "pax vobis" diceretur, vox veritati contraria putaretur, presertim cum utrumque dicente veritate, scilicet "non veni pacem mittere, sed gladium," et "pax vobis," non dilucide pateat quomodo utrumque simul veritatem habeat. Sed ad concordiam in hiis verbis veridicis declarandum, ymaginemur aliquem qui regnum alterius fraudulenter et iniuste invasisset et sibi subiugasset. Et ymaginemur heredem contra eum dimicasse, eumque sic vicisse non ut omnino nullus sit in eo motus rebelligerans, sed ut nullus sit eius motus quem superare non possit, omnis viriliter resistens. In hoc ergo casu omnis virilis in potestate et in securitate si vellet pacem haberet, licet nondum omnis motus rebellans quiesceret. Sic itaque per Christi victoriam in passione mors est triumphata, id est diabolus, peccatum, et peccati fomes, ac per consequens mors corporis penalis, non ut omnino non sit motus spiritui nostro rebellans, sed ut omnem rebellantem motum superare possit spiritus fortiter resistens. Habet igitur per Christi passionem spiritus noster pacem in potestate et firmissime spei securitate, licet adhuc actu senciatur impulsus ex demonibus, mundo, et carne

rebellante. Hec ex victoris nostri impotencia relictus est adhuc motus rebelligerans et vincere impotens, sed ex eius misericordia, ut haberemus ex certamine victorioso coronam et firmaretur in nobis amplius humilitas, ceterarum virtutum custos et conservatrix.

In agone itaque certaminis adhuc sudamus ut pacem per regis nostri victoriam iam in causa et in potestate habitam uberius iam actu possideamus. Sed quid est hec pax ad quam agonizantes ut habeatur actu suspiramus? Hec est, ut ait Augustinus: "Ordinatissima et concord[at]issima societas fruendi Deo et invicem in Deo," [Augustinus, De civitate Dei, 19, 13] ubi spiritus hominis, id est facies rationis eius superior, illustratur luce eterne veritatis, in qua videt Deum facie ad faciem sicut est, [cf. 1 Cor. 13:12] quemadmodum scriptum est: "In lumine tuo videbimus lumen." [Ps. 33:10] In cuius luminis claritate contuebimur simul, sine successionis vicissitudine et vicissitudinis obumbratione, [cf. Iac. 1:17] et sine finis terminacione, speciositatem omnis /29ra/ pulcritudinis tam create quam increate, quia in increata pulcritudine scripta est per eternas rationes omnis pulcritudo creata, sicut scriptum est: "Et pulcritudo agri," id est latitudinis mundi, "mecum est." [Ps. 49:11] Quia que in se temporaliter transeunt, in eternis rationibus suis ibi perpetuo stant, et que hic ad non esse transeunt et in mortem, in illis rationibus perpetuo vivunt. Sicut scriptum est: "Ipsi peribunt, tu autem permanes; et omnes sicut vestimentum veterascent," etc. "Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient." [Ps. 101:27-28] Et alibi: "Quod factum est in ipso vita erat." [cf. Ioan. 1:3-4]

Informabitur itaque aspectus mentis nostre tocibus pulcritudinis perpetua et clarissima visione. Conformabitur itaque affectus noster in omnibus voluntati divine, ut totum velimus quod ipse vult nos velle, nichilque velimus nisi quod vult nos velle, ac per hoc volemus omne et solum quod volendum est, habebitque unusquisque omne quod volet, cum nichil male volet. Et hec est vera beatitudo: habere omnia quod quis vult, et nichil male velle.

Hec itaque superioris faciei mentis nostre cum increate veritatis pulcritudine et bonitate conformitas, cum illi superiori faciei sic disposite obtemperabunt plenissime omnes inferiores vires anime, ipsisque omnibus nisibus virium anime obtemperabit corpus sine omni difficultate et rebellionem cum complebitur quod in Psalmo canitur: "Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum." [Ps. 3:3] Hec inquam descripta cum Deo ordinata conformitas a summo anime descendens in ymum corporis est pax illa quam Filius Dei vult esse nobiscum, nunc per spei certitudinem et perveniendi facultatem, que facultas nobis parata est per Christi passionem. In futuro autem nobiscum per rem erit pax dicta.

Cum autem unusquisque singillatim hanc habebit conformitatem cum Deo simplici, omnes communiter in eius simplicitate vivificati conformes erimus, et perficietur in nobis quod orat pro nobis Filius dicens: "Non pro eis rogo tantum, sed pro hiis qui credituri sunt per verbum illorum in me, ut omnes unum sint, sicut et tu Pater in me, et ego in te, ut /29rb/ et ipsi in nobis unum sint." [Ioan. 17:20-21]

In hac pace quantum putas erit gaudium, ubi unusquisque erga se videbit cor alterius sincerum et non fictum sed caritate fervida ardentissimum; ubi unusquisque de bono alterius tantum gaudebit quantum de suo?

Eritque gaudium de bono proprio secundum numerum continuum multiplicatum, ut simpliciter uniuscuiusque gaudium tantum excedat gaudium de bono proprio quantum numerus omnium civium celestium excedit unitatem. Additur huius gaudii quantitati gaudium quod habet de Deo, quem incomparabiliter plus quam se diligit, et ita de eo incomparabiliter plus quam de bono gaudet proprio. Hec est mensura bona, et conferta, et coagitata, et supereffluens, quam dabunt in sinum vestrum. [cf. Luc. 6:38] Mensura bona in quantitate gaudii de bono proprio, conferta et coagitata in collato gaudio de bono alieno, superfluens in gaudio incomparabili de Deo.

Predicte paci pax turpis opponitur, que scilicet est consensus rationis cum concupiscentia carnis, cum ratio scilicet perversa non repugnat concupiscenti carni, sed ei sine rebellionem consentit in illicitas voluptates trahenti, propter quem consensum totus homo dicitur caro, sicut econtra, cum caro subiecta est spiritui, totus homo dicitur spiritus sive spiritualis. Hec pax ducit in perpetuam

discordiam, quia in infernum, ubi etiam mens in se divisa a seipsa dissidebit, caroque non habens sanitatis temperamentum a se discordabit, caroque spiritui in nullo obtemperabit, ipseque totus homo alicui extra se posito nec bono nec malo concordabit, quia qui a se intra dissidet nulli extra se unquam conveniet. Si ab hac turpi pace ne ducat in perpetuam discordiam vis recedere et ad supradictam pacem desiderabilem pervenire, oportet te per bellum transire.

Inter has enim duas paces duo sunt bellatorum genera. Bellum enim turpi paci propinquum est cum spiritus repugnat concupiscencie carnis, et cum, quia in se infirmus est nec potenti adiutorio innititur, a concupiscencia vincitur. In hoc bello victi sunt omnes qui ante legem nitebantur viribus legis nature, et omnes qui /29va/ sub lege nitebantur viribus legalium observanciarum et legi scripte, quia ut ait Apostolus, lex neminem iustificavit, nec aliquem ad perfectum adduxit. [cf. Gal. 3:11 et Hebr. 7:19] Victi sunt etiam in hoc bello omnes gencium philosophi, et Pellagiani heretici, innitentes viribus arbitrii liberi, quia nec ante legem nec sub lege potuit aliquis concupiscencias superando iustificari, nisi per gratiam Spiritus Sancti datam in fide Iesu Christi venturi.

Est et aliud genus belli cum spiritus repugnat carni et, innitens adiutorio gracie, resistit carni concupiscenti. Ut sicut scriptum est: "Post concupiscencias non eat," [Ecclus. 18:30] ei consenciendo, nec dat membra arma iniquitatis peccato in illicitos actus ea relaxando. [cf. Augustinus, De civitate Dei, 22, 23] Hoc est bellum de quo Dominus dicit: "Non veni pacem mittere sed gladium." [Mt. 10:34] In hoc bello "superatur homo adversus patrem, et filia adversus matrem, et nurus adversus socrum," [Mt. 10:35] quia belligerans in hoc bello vult finire temporalis vicissitudines et transitorias huius vite; vult finire carnalem generacionem transitoriam ut compleatur eterna generacio mansura. Qui perseveraverit in hoc bello usque in finem, hic salvus erit. [cf. Matt. 24:13] Hic perveniet ad pacem summam, ubi nulla est discordia, ubi cor nostrum et caro nostra simul exultabunt in Deum vivum. [unum MS] [Ps. 83:3] Amen. Fiat.

### Dictum 39

#### Modus brevis quo lapsus surgat

Si quis iaceret super terram suppinus, impotens pre debilitate per se surgere, ei esset bonus modus surgendi si unam manum suam sursum trahenti alicui porrigeret, et reliqua manu terre inniteretur, et sic se sursum propelleret.

Peccatores autem, qui ceciderunt retrorsum in terram, iacent suppini. Ut ergo resurgant, quasi manum dextram Deo sursum trahenti porrigant, voluntatem videlicet bene operandi, et quasi manu sinistra terre innitantur, odio videlicet male operandi et terrena opera faciendi. Odio enim terrena opera faciendi quasi a terra se sursum propellit. Amorem vero bene operandi propositum [proposer MS] apprehendit amor Dei, ipsaque amorum Dei apprehensione quasi manu Dei manus nostra dextra, id est voluntas faciendi recta, apprehenditur, hacque manu apprehendente sursum trahimur.

Impius autem retro cadit, sicut facit /29vb/ Heli sacerdos, primo Regum quarto, [1 Reg. 4:18] quia "via impiorum tenebrosa et nesciunt ubi corruant." [Prov. 4:19] Qui enim retro cadit non videt ubi cadit; ideoque non immerito peccatores, qui ignorant in quantum miseriam cadunt, retro cadere dicuntur.

Retro etiam cadere ideo recte dicuntur quia superior pars rationis pars anime anterior est, inferior vero pars rationis et sensualitas velud posterior pars anime est. Cum itaque post appetitum sensualitatis anima ad terrena trahitur, quid aliud quam retrorsum cadens labitur?

## Dictum 40

Quomodo quatuor virtutes sunt velud indumentum anime

Anima quattuor virtutibus quasi camisia, pellicia, tunica, et pallio induitur. Prudencia namque, que est cognicio agendorum et non agendorum, est quasi subtilis quedam contextio camisie ex speciebus specierum, que quasi camisia propinquissime induit animam. Ipsa enim cognicio naturaliter precedit amorem, quia nichil amamus nisi quod cognoscimus.

Deinde, quasi pellicia, que est amor refrenandi carnalia desideria, qui dico amor est temperancia. In hoc enim amore separat se voluntas anime a carne, que voluntas a carne sic separata est quasi pellis a carne extracta qua induitur anima sicut pellicia.

Deinde, sicut tunica vestis predictis asperior, sequitur fortitudo, amor scilicet subeundi omnia terribilia pro veritate servanda.

Quarto, quasi pallium omnia includens, sequitur iusticia, que omnes continet virtutes, cuius quasi penula suavis et delicata est hillaritas bene operandi.

## Dictum 41

Quomodo prelati comparantur oculo, cum adieccione comparacionis quorundam proprietatum visus ad intelligenciam

Prelati et doctores ecclesie in corpore Christi comparantur oculis, ut in Psalmo "Conturbatus est in ira oculus meus," [Ps. 30:10] et in Canticis: "Oculi tui columbarum." [Cant. 1:14. Primo, quia viam morum ceteris ostendunt menbris, suntque sicut dux itineris. Unde Petrus: "Pascite gregem Domini qui in vobis est, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gracia sed voluntarie, neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregi ex animo." [1 Petr. 5:2-3] Sic oculus providet ceteris menbris spontanee, nec sui comodi, sed comodi illorum gracia, nec sicut dominans, sed sicut ministrans. De hoc eodem spirituali oculi officio idem Petrus ait: "Parati ad /30ra/ satisfactionem omni poscenti rationem de ea que in vobis est spe et fide." [1 Petr. 3:15]

Ut autem ceteris provideant, oportet ut clare videant. Ad claritatem autem huius visionis requisitum est oculi perspicuitas. Est autem perspicuitas puritas et defecacio a terrenis sordibus. Hec autem defecacio est non amare terrena. Quantoque minus amantur, tanto plus oculus depuratur. Itaque primum quod debet esse in oculis sponsi spiritualibus est terrenorum contemptus, sicut fuit in Moyse, qui dixit: "Tu scis quidem quod nec asellum unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quemquam eorum." [Num. 16:15] Et in Exodo igitur precipiuntur eligi in gubernatores populi, "in quibus sit veritas, et qui oderint avariciam." [Exod. 18:21] Item Numeris 18 dicitur ad Aaron, qui gerit tipum sacerdotum: "In terra eorum nichil possideatis, nec habebitis partem inter eos; ego pars et hereditas tua in medio filiorum Israel." [Num. 18:20] Et paulo post: "Nihil aliud possidebunt, decimarum oblacione contenti, quas in usus eorum" voluit separari. [Num. 18:23-24] Et quid stulcius quam adherere parti, totum admittendo? Tibi seipsum dat in possessionem Dominus omnium, et tu partem preeligis, et omnia cum Domino amittis. Sic debent oculi spirituales depurari a terrenis fecibus: Quia amor terrenorum impuritas est, et oculi obcecacio. Quia "munera excecant prudentes et subvertunt verba iustorum." [Ex. 23:8] Et Ecclesiastico ait: "Exennia et dona excecant oculos iudicum," Ecclesiastici 20. [Eccus. 20:31] Perspicuitas eciam est privacio colorum omnium, ut omnes colores possit oculus suscipere et de omnibus diiudicare. Sic ecclesie prelati nullus color, nullus splendor mundane prosperitatis debet incorporari, ut spiritualis existens, de omnibus possit iudicare, et a nemine iudicari. [cf. 1 Cor. 2:15] Transeant per ipsum colores et splendores mundane glorie, sed ipsi non inhereant. Tunc de omnibus poterit sine errore iudicare. Si autem amore ipsi inhereant, de ceteris non poterit discernere, sicut oculus, si esset coloratus, de ceteris coloribus non

posset iudicare, sed secundum sui infectionem iudicaret ceteros, sicut accidit ictericiis, quod omnia eis videntur citrina.

Solum autem hoc instrumentum sciendi agit luce pura, et in eo solo relucent ymages /30rb/ sicut in speculo. Luce autem pura agere est sine nubilo fantasmatum intelligere, et veritatis lucem sine figurarum umbris posse contemplari, quod tanto magis possunt quanto suprascripte perspicuitati vicinantur.

Depuracio enim oculi spiritualis per terrenorum contemptum ad hunc actum prestat efficaciam. Unde Augustinus, in libro Soliloquiorum: "Cum fueris talis, ut nil terrenorum te delectet, michi crede, eodem momento eodemque puncto temporis videbis quod cupias." [Augustinus, Soliloquiorum libri, 1, 14; PL 32, 882] Hac puritate lucis scienciam legis debet contemplari prelatus ecclesie, "ut labia eius custodiant scienciam, et legem ex ore requirant, quia angelus Domini exercituum est." [Mal. 2:7]

Ipsi enim sunt filii Levi purgati ut eloquium eorum sit argentum emundatum, de quibus Zacharie 3o: "Sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi." [Mal. 3:3] Agere etiam debent hii oculi spirituales luce pura, ut splendor videlicet operum eorum sit purus, ut sint lux mundi, clara, nulla pravitatis obscurati nebula, ne alios obscurent quos illustrare deberent, de quibus non illustrantibus sed obscurantibus in Threnis Ieremie, capitulo secundo: "Prophete tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam, ut te ad penitentiam provocarent." [Lam. 2:14]

Sint itaque oculi isti perspicui, illucidi, pura luce agentes. Si enim tales fuerint ymages intuentium velud speculum purum clare representabunt. In preclara namque prelatorum conversacione et doctrina, quasi in speculo ecclesie, unusquisque subditorum videre poterit qualis esse debeat, quantumque sibi deest ad perfectionem, et in eorum profectu suum contueri defectum.

Prelati enim sunt specula mulierum excubancium in atrio tabernaculi, [cf. Ex. 38:8] de quibus speculis factum est lavacrum, ut qui in eis per confessionem se lavant, in eisdem quasi in speculis quales esse debeant et quales sint videant.

Si autem prelatorum conversacio sit inferior conversacione subditorum, specula quidem sunt, sed fallacia, de quibus resultant ymages fallaces, non rebus similes, sed maiorem pulcritudinem quam res habeant mencies. De eorum enim defectu, quasi de speculo quodam mendaci, subditi /30va/ videntur sibi esse vite laudabiles, cum forte vere sint vituperabiles.

Cur enim non videretur subditus sibi laudabiliter vivere, qui equiperat aut precellit vivendo prelatum ecclesie? Vitam autem prelatorum speculum esse subditorum monet Apostolus dicens Thimotheo, gerenti tipum prelatorum: "Exemplum esto fidelium in verbo, in conversacione, in fide, et in castitate." [1 Tim. 4:12] Et ad Titum, secundo: "In omnibus teipsum prebe exemplum bonorum operum: in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est vereatur, nichil habens malum dicere de vobis." [Tit. 2:7-8]

Prelatos etiam esse specula subditorum monet Petrus, cum dicit eos debere formam fieri gregi ex animo. [1 Petr. 5:3] Speculum enim actu, speculum et opus agens speculi, forma est et exemplum aspicientes in ipsum. Sed consideracione dignum est quod in speculo oculi ymago apparet recte formacionis tamen pusilla. Et quid est hoc quod aspiciens in oculi speculo se videt parvum, nisi quod subditi in celsitudine doctrine et conversacionis prelati se debent pusillos agnoscere, et in eorum preclara humilitate ad staturam parvulorum se contrahere? Convertantur et efficiantur sicut parvuli, audientes illud Evangelii: "Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum celorum." [Matt. 18:3]

Oculus autem a pulvere et levibus festucis leditur, et in lacrimas deducitur, a quibus cetera membra nil paciuntur. Sic prelatum ecclesie pulvis et festuce venialium in lacrimas compunctionis deducunt, eique sunt sensibilia et dolorosa, que subiecto plebi sunt velut insensibilia. Item fumus et nebula solum oculum attactu contristant, et non membra cetera. Sic desiderium quantumvis parvum



terrenorum et nebule fantasmatum corporalium, que plebi sunt insensibilia, prelati sunt gravia, cupientibus absolvi ab omni amore terrenorum et videre lucem veritatis sine nubilo fantasmatum.

Oculus eciam sicut celum movetur, non mutans locum. Sic prelati ecclesie fixi in loco suo, scilicet Deo, per contemplacionem moventur prospiciendo et providendo necessitatibus subditorum per actionem. De fictione hac in /30vb/ Abacuk 2o dicitur: "Super custodiam meam stabo, et figam gradum super municionem meam, et contemplabor ut videam," etc. [Hab. 2:1]

Oculus quoque rotundus est, non habens angulum quo pungat, nec cavum quo sordes colligat. Sic et prelati ecclesie rotundi sunt, ad opera bona volubiles, non habentes pungitivum aliquid ire quo ledant, vel cavum cupiditatis quo sordes colligant. Oportet enim prelatos ad omne opus bonum esse paratos, non litigiosos, non iracundos, non percussores, non turpis lucri cupidos, sicut dicit Apostolus. [cf. Tit. 1:7] Vere volubilis fuit idem Apostolus in omnem partem, qui omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret. [1 Cor. 9:22]

Oculus eciam rotundus est ut omnes colorum immutaciones undique venientes et in apprehensionem visus transeuntes ad angulos rectos suscipiat. Sic prelatus et iudex ecclesie omnia que deferuntur ad eius agnicionem suscipere debet sine declinacione aliquorsum, ut videlicet non declinet favore vel odio, spe vel [eciam MS] timore, ad dexteram vel ad sinistram. [cf. Deut. 17:11] Ad angulos equales suscipiat omnes immutaciones, faciens quod per Moysen precipitur ecclesie iudicibus: "Audite illos; quod iustum est iudicate, sive civis sit ille sive peregrinus; nulla erit distancia personarum. Ita parvum audietis ut magnum." [Deut. 1:16-17] Et idem, Deuteronomii 16, ait: "Iudices constitues per singulos tribus, qui iudicent populum equo iudicio, nec in alteram partem declinent." [Deut. 16:18] Sicut autem iudices querimonias in sui cognicionem suscipientes nusquam declinant, sed ad angulos rectos suscipiunt, sic et conquerentes nusquam declinantes in eorum cognicionem intrare debent. Unde et conquerentibus a Moyse dicitur eodem libro: "Sequeris sententiam eorum," id est iudicum, "nec declinabis ad dextram nec ad sinistram." [Deut. 17:11]

Solus autem oculus inter menbra exteriora habet cooperculum, crebra apercione et opercione ostentans et occultans ipsum. Hoc est quod in prelato maxime debet esse recordacio novissimorum, ut sui oculi ad modicum apericionem, et post modicum occultacionem, intelligat, ut agnoscat scilicet quod "vita eius vapor est, ad modicum apparens," [Iac. 4:15] et quod "dies hominis tanquam umbra pretereunt," [Ps. 143:4] ut /31ra/ intelligant eciam de omnibus istis caducis quam ad modicum parent et cito decidunt. In hac cognicione quasi crebra est apercio in visione ortus rerum et opercio in agnicione occasus.

Attende eciam quod tunica oculi communiter alba est. Et quid est hoc nisi quod coadunare debet ceteras virtutes in prelato albedo et candor manifeste castitatis?

Item, nullum visorum simul videtur totum, quia nulla viatorum intelligencia, eciam prelati, qui puriore utitur intelligencia, aliquid intelligibilium perfecte comprehendit. Sicut enim ait Salomon in Ecclesiastico: "Cuncte res difficiles; non valet eas homo explicare sermone. Non saturabitur oculus visu, nec auris auditu impletur." [Eccle. 1:8] Item, octavo: "Intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire racionem eorum que fiunt sub sole, et quanto plus laboraverit ad querendum, tanto minus inveniat." [Eccle. 8:17] Et Ecclesiastico primo: "Arena maris," etc. [Ecclus. 1:2] et Iob 38: "Indica michi, si habes intelligenciam," etc. [Iob. 38:4] In patria autem oculo mentis omne visibile simul totum videbitur. Quanta ergo diligencia, quanto conamine illuc tendendum est, ubi uno aspectu omnia videbuntur, quorum nec unum nunc videri potest, quotvis contuitibus.

De suppositis oculo, que in eadem linea videntur a remociori apparent elevacione, et de superpositis, que videntur in eadem linea a remociori apparent demissiora. Sic de temporalibus racioni naturaliter suppositis, quia minus discernuntur, et quasi a remociori videntur, apparent meliora, beacione, elevacione. Cum autem a propinquiori melius discernuntur, viliora et dimissiora reputantur. Quanto enim a propinquiori videtur, tanto defectui, et ei quod est non esse propinquius esse cognoscitur. Item, quanto maiori experientia aliquid de prosperis mundi cognoscitur, tanto

minoris beatitudinis invenitur. E contrario est de superioribus et de celestibus, que magis agnita magis dulcescunt et elevaciora deprehenduntur.

Item, quod dexteriori videtur radio apparet dexterius, et quod sinisteriori sinisterius, quia quod aspectu /31rb/ magis diligenti videtur apparet magis diligendum, et quod aspectu minus diligenti minus. Similiter quod elevaciori radio, id est a fantasiis magis depurato videtur essencie elevacioris, et quod demissiori radio, id est aspectu magis fantasmatis involuto, apparet demissius. Iudicat enim apprehensio de apprehenso per modum sui, et non per modum apprehensi.

Item, quanto aliquid a remociori videtur, tanto minus apparet, et e converso. Istud retorquendum est ad visionem affectionis, quia quanto propinquiori et maiori affectu videtur quis, tanto apparet maius, et quanto minori affectu tanto apparet minus.

## Dictum 42

### De corde

Cor hominis est primum quod in eo fingitur et formatur, et ab ipso in cetera membra deducitur formacio, et in eo est principium vite, et sensus, et sapientie. Dirivatur autem nomen cordis a Greca appellacione, quod illi "cardian" vocant, sive a "cura," quia in eo est omnis sollicitudo, et sciencie causa manet. Ideo pulmoni vicinum est, ut cum ira accenditur, pulmonis humore temperatur. Huius duae sunt arterie de quibus sinistra plus habet sanguine<m>, dextera plus spiritum. [cf. Isidorus, Etymologiae, 11, 1, 118]

Cor autem multis speciebus signandis congruenter aptatur, nam aliquando pro anima ponitur, aliquando pro intelligencia, aliquando pro consilio et verbo vicioso, aliquando pro diligencia. Pro anima ponitur, ut in Salomone: "Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit." [Prov. 4:23] Pro intelligencia, ut in Psalmo: "Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum." [Ps. 83:3] Consilium eciam cordis exprimitur nomine quod actus prevenit, testante salvatore in Evangelio: "Ex corde exeunt cogitationes male, adulteria, homicidia," etc. [Matt. 15:19] Pro diligencia vero et devocione illud est positum: "In toto corde meo exquisivi te; ne repellas me a mandatis tuis." [Ps. 118:10]

In alteram vero signacionem nuncupacio cordis ponitur cum mortem, vel infernum, vel sepulcrum signat, sive voluntatem induratam in malo. Unde est illa sententia salvatoris qua ipse ad Iudeos ait: "Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in /31va/ corde terre," etc. [Matt. 12:40] De leviathan, Iob 41 dicitur: "Cor eius indurabitur quasi lapis, et stringetur quasi malleatoris incus," [Iob 41:15] quia antiqui hostis indurata voluntas nulla unquam conversionis penitencia mollietur, sed solis ictibus eterne ulcionis artabitur. [cf. Gregorius Magnus, Moralia in Iob, 34, 6]

Tota congregacio actuum voluntariorum corporiorum per corpus factorum corpus dicitur, ut Matthei 6: "Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, si autem nequam fuerit," etc. [Matt. 6:22-23] De corpore vero nequam, ad Romanos 6 dicitur: "Ut destruat corpus peccati," [Rom. 6:6] et ad Colossenses 3: "Mortificate membra vestra que sunt super terram." Et que sunt membra illa subiungit, "fornicacionem, inmundiciam," etc. [Col. 3:5]

Huius corporis principium, et in hoc corpore primo formatum, consilium est, sive intelligencia volens, sive voluntas intelligens. Et ab hoc principio, sicut a corde prius formato, educitur in esse ceterorum membrorum, id est actuum voluntariorum formacio. Et in Ecclesiastico dicitur: "Ante omnem actum precedat consilium stabile." [Ecclus. 37:20] Pulmo vicinus cordi fidelis est consiliarius. Pulmo namque flabellum est cordis, et recipit et emittit spiritum ad cordis in frigidacionem et temperamentum. Nihil est quod tam refocillat et in frigidat cor estuans ut habere fidelem consiliarium cum quo omnia sicut secum loqui possit, in quem spiritum consilii sui fundat, et a quo reciprocum spiritum consilii sui recipiat.

In corde autem est vite principium. Vite autem principium sapientia est, cor consilium. Et de sapientia dicitur parabolis: "Ego sapientia habito in consilio." [Prov. 8:12] De corde procedit salus, et in Parabolis 11 scribitur: "Ibi salus ubi multa consilia." [Prov. 11:14] Cor est membrorum unio, et in Parabolis 12: "Dissipantur cogitationes ubi non est consilium." [Prov. 15:22] Corde custodito et salvo salvatur vita, et in Parabolis 3 scribitur: "Custodi legem atque consilium, et erit vita anime tue et gracia faucibus tuis." [Prov. 3:21-22] Item, gaudium est vita anime, et "iocunditas cordis, hec est vita hominis," [Eccus. 30:23] et in Parabolis 12 scribitur: "Qui autem querunt pacis consilia sequetur eos gaudium." [Prov. 12:20]

Opera autem bona duplicia sunt, aut sinistra aut dextra, quia aut sunt erepciones /31vb/ a malo aut promociones in bono. De corde itaque, hoc est de consilio, plus vehit sanguis in sinistram, quia plus ire zeli animositatis in eripiendo oppressum de manu potentis. In dextram autem plus vehitur spiritus, quia hoc magis proprie attinet ad spiritualium et contemplativorum affectionem in bona provehere.

Cor autem est omnium membrorum calidissimum. Et quid tam fervet caritate maxime proximi ut consilium, ad cuius spiritum pertinet: "Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur." [Matt. 5:7]

Universa sanguinem habentia cor habent, et universa que vera vita vegetantur reguntur consilio. Principium autem motus et proprie sensus huic est, et de consilio dicitur, quod omnia consilio facies et "sine consilio nichil, et post factum non penitebis." [Eccus. 32:24]

Habentes autem corda magna, in quibus magnitudo superat virtutem caloris, timorosi sunt; econtra autem in quibus calor vincit magnitudinem animosi. Sic in quibus est magnitudo consilii, nec conproporcionatur ei fervor caritatis, timorosi sunt in executione negotii. In quibus autem fervor caritatis potens est, supra consilii magnitudinem in executione negotii sunt animosi.

#### Dictum 43

Quomodo anima est civitas et mundus iste similiter

In civitate Iherusalem, anima scilicet, preest rex superior, scilicet facies rationis secundum leges scripture recte regens populum virium inferiorum. Idem est iudex quia secundum eandem legem iuste iudicat. Idem et sacerdos quia in ara fidei mactat arietem iracundie, et capram luxurie, et taurum superbie, et cetera talia.

Populus autem in hac civitate regendus est tota multitudo bonarum voluntatum, que omnes nascuntur ex una bona voluntate prima et gracia sicut ex viro uno et una femina. Sicut enim, si Adam et Eva stetissent absque peccato, ex illis nati essent, vel immediate vel mediate, omnes boni, et non nisi boni et paradisi incole, nec succedentibus filiis decederent patres per mortem, ita in civitate anime, ex bona voluntate prima et gracia nascuntur primo quattuor virtutes cardinales, et ex illis innumerabilis successio bonarum voluntatum, nec decedunt virtutes generantes aliis generatis succedentibus.

Prima autem bona voluntas est qua vult homo omni modo esse /32ra/ talis qualis esse debet. Et hec voluntas est iusticia universalis quam qui habet necessario vult cognoscere qualis in omnibus esse debet. Et hec voluntas est prudencia qua vult statum debitum sibi agnoscere ut illum adquirat. Item, si vult in omnibus esse talis qualis esse debet, vult ad superiores et pares et inferiores facere quod facere debet, et ita reddere unicuique quod suum est. Et hec voluntas est iusticia specialis. Item, si vult esse in omnibus ut debet, vult cohibere quicquid trahit ipsum ultra modum debitum, et tollere quicquid retrahit ne perveniat ad modum debitum, et hee due voluntates sunt temperancia et fortitudo. Et ex hiis, iterum, nascitur innumerabilis multitudo cuius genituram prosequi longum est et supra vires nostras.

Est igitur unaqueque bona voluntas in hac civitate sicut civis unus, cuius domus est cognitio, qua cognoscit suum desideratum esse bonum et rectum et divine voluntati consonum. Utpote civis unus est largitas, voluntas scilicet distribuendi sua eo modo quo per distributionem factam melius et ordinacius subvenitur necessitatibus rei publice, domus eius cognitio distribuendorum et retinendorum bene et recte et placenter voluntati divine, et quid, et cui, et quando, et quomodo, et quo fine.

Platea coram domo est operatio voluta, utpote coram predicta domo ipsa larga distribucio. Super ipsam namque operacionem quasi incedit pes voluntatis. Ministri sunt adminicula quibus voluntas operatur per plateam dictam incesum domini sui comitantes.

Murus huius civitatis est ex recordacione sive ymaginacione penarum infernalium debitarum voluntatibus et operibus pravis, et ymaginacione celestium premiorum debitorum bonis, et exemplis Iesu Christi et sanctorum. In quo muro pene infernales sunt sicut lapides rudes, et inpoliti, et asperi, positi in fundamento. Exempla Iesu Christi et sanctorum sunt sicut lapides preciosi, polita, positi in muro ubi a terra surgit. Premia celestia bonis debita sunt sicut lapides splendentes positi in muri eminencia. Ipsa affectuosa et perseverans ymaginacio horum omnium est quasi cementum omnes lapides conglutinans. Si huic etiam ymaginacioni admisceatur /32rb/ velox transitus voluptatum et amaritudinum temporalium, quasi sabulum cemento imponitur.

Quelibet autem specialis virtus quasi civis unus e directo domus sue debet huius muri partem fundare et erigere. Utpote castitas debet iacere fundamentum coram domo sua de penis debitis luxurie, et super hoc fundamentum erigere murum de exemplis castitatis Christi hominis, et beate Virginis, et ceterorum sanctorum qui celebem vitam duxerunt. Summitatem huius muri debet consummare de premiis debitis castitati.

Et nota quod fundamentum huius muri ad ymum terre deorsum, et ad summum celi sursum pertingit. Custodes super hunc murum sunt angeli, qui occulto instinctu sepe nos premuniunt ad devitandum hostium machinaciones. Hostes autem sunt maligni spiritus qui ad hunc murum confringendum tormenta iaciunt cum ymaginacionem nostram voluptuosis in principando, vel sciendo, vel senciendo tangunt, quod, si in hoc attactu separet se ymaginacio nostra ab ymaginandis penis malorum et exemplis sanctorum et premiis, quasi cemento a lapidibus diviso murus concutitur, et proiectum ad civem aliquem perveniens aut ledit, aut forte occidit. Utpote cum ymaginacionem casti tangit voluptas luxurie, si separetur ab ymaginando et recolendo penas iehenne debitas luxurie, et exempla castorum et eorundem premia, voluptas ymaginata sepe penetrat ad castitatis affectum, et in aliquo ledit aut forte interimit.

Hic mundus sensibilis civitas est, vel comparacione celestis civitatis opidum vocari potest, cuius murus eam cingens firmamentum, qui murus ambitur fluvio magno, aquis scilicet que sunt supra firmamentum. Cuius civitatis incole sunt omnia intra firmamenti ambitum manencia, cuius rex homo in civitatis medio habitans, habens habitaculum cui ministrant sol, luna, et sydera, et universa elementa, et suaviter obsequuntur dum suo superiori obedienter subditur.

In hac civitate est ymus et tenebrosus locus carcere, infernus scilicet, in ymo terre, qui factus est non ut punirentur aliqui, sed ut punicio vitaretur. /32va/

#### Dictum 44

##### Quomodo Iohannes et alii facti sunt lucerna

Iohannes erat lucerna. [cf. Ioan. 5:35] Similiter, lucerne sunt omnes sancti. Est autem lucerna non que ex se lucet, sed que ex alio accenditur et alio extingui potest. Hec autem lucerna spiritualis accenditur a sole iusticie. [cf. Mal. 4:2] Res autem duobus modis accendi possunt a sole; aut per perspicuum spericum positum inter solem et rem accensibilem, re accensibili posita in loco collectionis radiorum; aut per radio solis reflexos a speculo concavo. Christus secundum deitatem sol

est; secundum humanitatem, quantum ad hunc locum pertinet, lapis perspicuus velud cristallus a terrenis sordibus defecatus. Sphericus quia non habet angulum ut ledat aut concavitatem que sordes colligat. Accenditur ita mens per interposicionem huius lapidis a sole divinitatis, quia per mediacionem humanitatis Iesu Christi illuminatur in fidem Trinitatis, et accenditur in fervorem caritatis.

Et animadvertite quod non accenditur nisi in loco collectionis radiorum. Locus autem collectionis radiorum est ubi multitudinis credencium est cor unum et anima una. [cf. Act. 4:32] Speculum vero est ipsa anima in qua resultat ymago Trinitatis et similitudines rerum sensibilium. Cum vult autem anima ad omnia se circumstantia habere sicut habere se debet, in hac voluntate quasi extra rotundatur, et per consequens intus per humilitatem cavatur. Ipsa essentia anime sic volentis quasi centrum est; non accenduntur autem res ex speculis concavis nisi cum ponuntur in centro, ubi concurrunt radii reflexi.

Et si res lucens et radians poneretur in centro, tunc maxime et optime reflecterentur omnes radii in centrum, et citissime et maxime accenderetur res accensibilis si cum radiante ibidem posset poni. Ymaginemur itaque punctum lucis positum in medio alicuius possibilis fieri speculum concavum, quod dico punctum diffusionem luminis sui undique illud in cuius medio ponitur rotundet et cavet, et a cavato radios in se reflexos suscipiat, ipsumque centrum accendat. Huic puncto lucis comparari potest Deus qui, veniens in animam, diffusionem luminis sui eam supradicto modo rotundet et /32vb/ cavat, et radios cognitionis et amoris sui in se reflexos suscipit, ibidemque substantiam anime quasi centrum speculi accendit.

Hec autem lucerna accensa fovetur oleo misericordie. Extingui tamen potest vento superbie, et aqua carnalis concupiscencie, et fumo curiositatis. Hiis namque tribus extinguuntur lucerne, vento scilicet, aqua, et fumo cum lucerna non habet spiraculum sed revertitur fumus proprius super ipsam lucernam.

Curiositas autem est appetitus sciendi fine voluptatis que est in sciendo. Delectatio itaque super ipsam scienciam reflexa est sicut fumus super lucernam reflexus ipsam extinguens. Si autem ipsa delectatio sursum tenderet, scilicet in ipsum a quo lucerna accenditur, inflammaretur etiam ipse fumus de eius contactu, sicut inflammatur fumus inferioris candelae de igne candelae superioris, ampliusque lucernam inflammaret et clarificaret contra fluvium carnalis concupiscencie, ne inundaret super ipsum et lucernam eius extingueret.

Fecerat Iohannes repagulum de carnis asperitate, ut de cilicio, ieiunio, et heremi habitacione. Contra ventum superbie clauserat se in cavo humilitatis. Impegit autem super eum violentissime ventus superbie, vel excitativum venti superbie, quando missis ad eum sacerdotibus et levitis interrogabant eum: "Tu quis es? Helias es tu? Propheta es tu? Tu quis es?" [Ioan. 1:19-21] Sed constantissime repulit hos impulsus cum respondit: Non sum Helias; non sum propheta; "Ego vox clamantis in deserto." [Ioan. 1:23] Spiraculum autem sibi fecerat, ut non extingueretur a fumo proprio, quando dixit: "Amicus sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi." [Ioan. 3:29] Non dicit, qui audit seipsum gaudio gaudet propter sui ipsius vocem, sed aperturam et spiraculum in supremo cordis sui fecerat quo transiret gaudium suum in vocem sponsi, et non reflectetur in se.

#### Dictum 45

Quomodo sumus omnes hic in nocte

Qui erant sub lege erant spiritualiter in nocte, quia inter oculos eorum et solem spiritualis intelligencie interponebatur terra carnalium sacrificiorum et observanciarum /33ra/ legalium. Alio modo in nocte sunt, inter quorum aspectum mentis et eundem solem interponitur terra, id est terrena superflue et illicite amata. Nox autem est frigida et humida, indiscretos habens timores. In

ea vigilant fere bestie, et sopiuntur mansuete. Similiter, in predicta nocte frigescit caritas, viget humor fluide concupiscencie, torquent indiscreti timores, quia in ea plus timetur homo quam Deus, plus iactura transitorii boni quam permanentis, plus perditio corporis quam anime. In hac nocte vigilat leo superbie, lupus rapacitatis, ursus voracitatis, vulpes fraudulencie et cetera huiusmodi consimiles fere, et consopiuntur affectiones mansuete.

Nox autem est umbra pyramidalis, et incipit a lato et terminatur in acutum. Sic lata est via voluptatis in principio sed ducit in acutissimas puncturas penarum iehennalium. Hec umbra sepe involvit omnia corpora terrestria, sed de corporibus supracelestibus solam lunam. Celum scriptura est. Qui autem versantur in meditationibus et lectionibus scripturarum celestibus corporibus assimilantur. Stelle fixe sunt viri contemplativi. Planete, quibus ascribitur ordinatio mundi inferioris, sunt predicatorum et prelati ecclesie; de hiis non involvitur nocte nisi qui stultus ut luna mutatur. Luna ceteris terre est proximior, in confinio ignis elementi corruptibilis et etheris ignis inpermutabilis. Tales sunt qui volunt simul possidere veritatem cum mendacio, Deum scilicet cum mundo, qui tangunt ex una parte ignem corruptibilem et amorem rerum temporalium, et ex alia ignem inpermutabilem, id est amorem celestium.

Sciendum etiam quod nox dicitur ab occasu usque ad ortum solis super orizontem. Semper enim ab occasu usque ad ortum sumus in umbra terre. Verumptamen in extremo ipso umbre undique, propter affinitatem eius ad radios solis, est multum de refulgencia radiorum solis, de qua refulgencia ante ortum et post occasum splendet aurora et lux vespertina, et potest homo in claritate huius refulgencie videre ad recte operandum, et gressus suos /33rb/ recte dirigendum. In profunditate vero umbre nichil splendet de hac refulgencia, nec potest homo ibi videre ad operandum, aut ad gressus recte dirigendum.

Quia ergo nullus est mundus a peccato in vita, omnes in nocte sumus. Omnes sumus in umbra terre, quia non est aliquis, vel vix est aliquis, qui aliquantulo saltem terrenorum tenetur amore, ut non possit ea sine tristitia aliquanta amittere. Sed qui minus tali detinentur amore, magis accedunt velud extremitati umbre et luci. Qui vero plus tenentur tali amore, magis sunt mersi in profunditate umbre. Qui ergo non obscurantur in infidelitate aut peccato mortali, sed solis venialibus maculantur, sunt quasi prope extremitatem umbre, ubi pervenit ad eos claritas refulgencie radiorum gracie et fidei per dilectionem operantis, in qua claritate vident quorsum gressus dirigant in via iusticie. Qui vero infidelitate aut peccatis criminalibus obscurantur, sunt quasi in profunditate umbre, ubi predicta refulgencia gracie et fidei per dilectionem operantis non pervenit, sed ambulant in tenebris, et nesciunt quo vadant. [cf. Ioan. 12:35]

#### Dictum 46

Quomodo mali divites sunt sicut aliquod membrum in quo errat vis attractiva

Divites qui congregant superflua unde pauperes sustineri deberent sunt sicut membrum aliquod in corpore in quo erraret virtus attractiva, quasi scilicet attraheret nutrimentum quod competeret sibi et etiam membris reliquis, sicque supra modum turgesceret, ceteris supra modum extenuatis. Si posses loco talis membri abscisi aliud in quo non erraret virtus attractiva plantare, nonne tale membrum de corpore tuo abscinderes, et ad loco eius plantares, ne corpus tuum esset indecorum? Sic Deus de corpore suo tales prescidit, bonis in loco illorum plantatis.

## Dictum 47

Quomodo ex superbia nascitur pusillanimitas

Superbia est amor excellencie proprie. Humilitas est amor persistendi in ordine sibi congruo, ex quo amore audet homo aggredi suo statui conveniencia. Pusillanimitas est huius audacie diminutio sive corruptio, ex qua corruptione mavult persistere inferius quam sibi congrueret, quam aggredi sibi congruencia.

Hanc /33va/ audaciam aggrediendi scilicet sibi congruencia corrumpunt aut odium nimium non perficiendi inceptum, aut terror asperitatis senciende in aggrediendo et perficiendo inceptum.

Odium autem dictum oritur de nimio amore potencie perficiendi inceptum sine obstaculo vel impedimento recidente actum inceptum. Et iste amor superbia est; talis enim potencia est maior quam que homini congruat.

Terror vere dictus nascitur de nimio amore potencie perficiendi inceptum absque amaritudinis respersione. [respersione MS] Et iste amor iterum superbia est, quia hec potencia eiam maior est quam que homini viatori congruat.

Sic ergo de superbia nascitur pusillanimitas. Dumque nichil vult agere nisi quod possit perficere sine obstaculo effectum retardante aut prescendente, et sine amaritudinis respersione, Deo se parificat, qui solus per se sic agit, aut beatis spiritibus qui virtute Dei subnixi taliter agunt. Fingit quoque se pusillanimitas amatrix tranquillitatis velud ignavia, cum in solo Deo vera sit tranquillitas. Hec tota mente appetenda est tranquillitas qua potest mens imperturbata persistere in omnibus perturbacionibus corporalibus, sicut celum et sidera serenitatem suam et ordinem cursus sui imperturbatum servant quantacumque fuerit in hiis inferioribus elementis et corruptibilibus perturbacio.

## Dictum 48

Quomodo omne opus verbum est

Sicut vox exterior assumpta a verbo interiori eius signum est, et eo verbum est vox quo verbi interioris signum est, et eo verum quo coequatur verbo interiori, sic cum initium omnis operis, testante scriptura, sit Verbum, [Ioan. 1:1-3] interius ipsum opus sensibile signum est verbi interioris, et eo quo eius signum est, verbum dici potest. Et tunc est opus verum et verbum operis verum cum sic est in opere, sicut intus dicitur in recte vivendi sciencia. Manifestius quoque et cercius signant et loquuntur opera sensibilia verba interiora operancium quam voces vel nutus, que ex sola /33vb/ institucione sunt signa, sicut eiam artificiosa mundi machina manifestissime loquitur eternam artem per quam facta est, [cf. Rom. 1:20] et eternum verbum per quod facta sunt omnia, et est quoddam illius artis et invisibilis verbi visibile verbum.

## Dictum 49

De armatura anime, galea scilicet, lorica, et lancea

Caput anime est potencia memorandi, intelligendi, diligendi Deum creatorem scilicet Trinitatem. Conformacio qua conformatur anima Trinitati memorando et intelligendo et diligendo ipsam, protectio est huius capitis et salus. Unde hec est "galea salutis," [Eph. 6:17] de qua loquitur Apostolus. Deiformitas ergo in suprema parte anime sive mentis dicitur renovacio spiritus, de qua dicit Apostolus: "Renovamini spiritu mentis vestre," [Eph. 4:23] sive conformitas spiritus ipsi cui canimus: "Dominus illuminacio mea et salus mea." [Ps. 26:1] Galea est salutis; si vere infirmum est caput anime, et cetera membra dolent.

“Lorica iusticie” [Eph. 6:14] est ipsa virtutum connexio et concatenatio adinvicem, que potius dicitur lorica iusticie quam prudentie vel alterius, quia iusticia est generale nomen omnium virtutum. Contextio autem huius lorice ex circulis sic potest ymaginari. Iusticia est amor habendi se ad quodlibet sicut habere debet. Sed ex hoc amore statim nascitur amor cognoscendi qualiter se habere debet ad quemlibet, et ita de iusticia egreditur prudentia.

Item, de eodem amore nascitur amor cohibendi et refrenandi omne quod ultra modum propellere nititur, et ita temperantia. Et iterum, de eodem nascitur amor persequendi usque ad modum omne quod retrahit ut sistatur citra modum, et ita fortitudo.

Quilibet autem amor, quia reflectitur super se et amat se, quasi circulus est. De circulo itaque iusticie egrediuntur tres circuli, prudentie scilicet, temperantie, et fortitudinis, et tenent se adinvicem quatuor hii circuli.

Item, de prudentia, que est amor cognoscendi qualiter habendum sit se ad quemlibet, nascitur amor cognoscendi qualiter habendum sit se ad seipsum, et iterum ad propriam familiam, et iterum ad concives. Unde de circulo prudentie egrediuntur circuli tres: monastica scilicet, yconomica, et politica. Et preter hos habet in se circulum iusticie, de quo /34ra/ prius egressus est. Ad hoc exemplum de generatione virtutum potest consequenter lorica contexi qua in dicta anima nulla timebit iacula inimici. Hec sunt “arma lucis,” [Rom. 13:12] quia fides, salus, iusticia, lux est, et bene congruunt arma lucis contra “rectores tenebrarum,” [Eph. 6:12] contra spiritus lucem fugantes.

Lancea est ira zeli contra peccata, qua irascuntur homines boni contra peccata, que pungunt acumine corepcionis et iuste vindicte. Unde in libro Sapiencie dicitur: “Acuet duram iram in lanceam.” [Sap. 5:21]

Dictum 50

Sermo de hoc versu, “Ascendit Deus in iubilatione.”

“Ascendit Deus in iubilatione.” [cf. Ps. 46:6] Filius Dei, qui a sinu Patris, manens in natura Patris, descendit in sinum Virginis, ibi assumens naturam hominis. Naturam assumptam hodie sublevavit super ordines angelorum ad dexteram Patris. Quapropter oportet nos quorum naturam tam sublime sustulit, spiritualiter letari, et corda nostra cum ipso spiritualiter sursum ferri.

Ipse enim caput nostrum est, et nos eius membra, ligata cum capite nervis fidei et dilectionis. Unde, si membra illi colligata simus hiis nervis, ad ipsum attingimus eique adheremus, nec possumus hiis nervis eius celsitudinem et gloriam ascensionis tangere nisi ex contactu afficiamur iocunditatis qualitate. Quomodo autem letanter gaudendum sit nobis in capitis nostri honore et sublimacione ex nostri possumus perpendere consideracione.

Si aliquis nostrum hodie sublimaretur in regem, soli capiti illius diadema imponeretur, et tamen in capitis honore et coronacione omnia membra honorarentur. Manus non coronatur et tamen in coronacione capitis honoratur. Et si manus sensum haberet et intellectum, in honore capitis gauderet, et se in capite quodammodo sentiret et gauderet coronata. Similiter arbor in cacumine solo viret et floret, et ex virore et flore cacuminis tota arbor decoratur, ita ut si sentiret vel infima radix gauderet se quodammodo ornatam virore et flore cacuminis.

Quanto magis oportet nos sentire nos sublimatos et decoratos in hodierna /34rb/ capitis nostri sublimacione, cui coniungimur forciori nexu quam aliqua radix arborum cacumini, vel aliquod membrum corporale suo capiti, quia nexus nostra fides et amor est, a quo non separabit nos gladius, vel persecucio, mors, neque vita, neque instancia, neque futura, neque creatura aliqua. [cf. Rom. 8:35] Signum igitur est quod cum hoc capite velud membrum ligatum non est quod spirituali gaudio capitis non sentit honorificacionem.



locundandum itaque nobis est in capitis nostri celsitudine talique iocunditate quod nec plene possit exprimi, nec intus contineri, ut ascensio capitis in membrorum sit iubilacione. [cf. Ps. 46:6]

Movere autem cum predictis nos potest in iubilacionem si consideremus naturam nostram, que terre habitacione quandoque fuit indigna, in celum hodie esse sublevatam. Quando enim “omnis caro corruerat viam suam,” [Gen. 6:12] et Dominus voluit sordes corrupcionis delere diluvio, humana natura indigna fuit habitacione terre inter creaturas vilissime et infime et tenebrosissime et strictissime. Hodie vero eadem natura recepta est celi celsitudinis et amplitudine et precellenti claritate.

Preterea ordo iste angelicus qui cherubyn vocatur quondam cohibuit hominem ab ingressu paradisi terrestri. [Gen. 3:24] Hodie vero omnis ordo angelicus cum inexplicabili exultacione et veneracione hominem suscepit in paradiso celesti. Hodie primicie nostre oblate toti campo benedictionem dedere. Sicut enim in veteri testamento per oblatas primicias de frugibus totus campus suscepit benedictionem, [cf. Deut. 26:1-11] sic per primicias masse nostre in Christo oblatos tota latitudo humane nature gratiam accepit benedictionis.

Natura que quondam audivit “terra est, et in terram ibis,” [cf. Gen. 3:19] hodie audire meruit, “sede a dextris meis.” [Ps. 109:1, etc.] Natura humana, que non creacione sed voluntaria a bono defectione, facta est posterior et inferior non solum iumentis sed etiam lapidibus insensatis, hodie facta est in Christo dignitate prior et superior ordinibus angelicis. Natura, que merito debita tota erat supplicio, hodie per gratiam est ineffabili gaudio adite adhuc ad gaudii materiam quod in creacione hominis, ante lapsum eius, universa /34va/ creatura mundi huius sensibilis subiecta erat dominio hominis, eique suaviter et obedienter famulabatur. In lapsu vero hominis quod prius suaviter obediabat eius dominio versus est ei econtrario in tormentum. Hodie vero humana natura in Christo sublimata, cui subiecta sunt omnia, in antiqui dominii dignitatem est restituta. Quis itaque talem nature sue de ymis ad celsa sublevacionem considerare potest et non gaudere inexplicabili gaudio, nisi nature proprie sit contemptor? Nec dicat aliquis, licet hec sit nature mee et capitis nostri sublevacio, non tamen mei est. Quia si firmiter adheres nervis caritatis et fidei capiti tuo, gloria capitis per hos nervos in membra defluet, et recipient membra quod precessit in capite.

“Ascendit itaque Deus in iubilacione.” [cf. Ps. 46:6] Quo autem ipse ascendit in carne oportet nos nunc ascendere mente, ut quandoque sequamur et carne. Ut igitur mente cum ipso ascendamus, oportet quod faciamus spiritualiter quod ipse in ascensu fecit corporaliter. Sua enim corporalis actio est nostra instructio quid agamus secundum spiritum. Ascendit autem corporaliter elevatis manibus a nube susceptus, [cf. Act. 1:9] et nos oportet ascendere mente, elevatis manibus a nube susceptos. Manus autem opera signant bona. Manus est sciencie recte operandi bona opera. Manus est recta formacio eiusdem potencia. Manus est fortitudo sciencie et potenciae annexa voluntas. Manus est mocio.

Qui ergo opera bona facit intencione transitorii commodi, manus habet deorsum dimissas. Manus sinistra est a defectu vel miseria erepcio sive elevacio. Manus autem dextera est in bono provectio. Ymmo, ut verius dicatur, utraque istarum manuum est dextera, quia in iusto nichil sinistrum, sed sicut legitur de Aioth, omnis iustus est ambidexter. [chk. Glossa ord., in Iud. 3:15] In harum itaque manuum elevacione possumus in celum conscendere. In harum manuum elevacione Moyses, transiens ab Egipto in terram promissionis, vicit Amalech, [Ex. 17:11-12] quia in transitu de tenebris peccati ad celum in elevacione dictarum manuum vincitur populus viciorum. Cavendum est /34vb/ tamen ne iste manus eleventur sanguinolente. Levat autem manus sanguinolentas qui facit elemosinam etiam pro celo acquirendo sed de rapina. “Panis enim egencium vita est pauperis; qui defraudat eum vir sanguinis est.” [Eccus. 24:35] De sic elevantibus manus dicit Dominus per Ysaiam: “Cum extenderitis manus vestras avertam oculos meos, et cum multiplicaveritis oracionem, non exaudiam. Manus enim vestre sanguine plene sunt.” [Is. 1:15]

Unitas autem et integritas manus dispartitur in quinarium digitorum. Sic totum opus bonum dispartiri debet in quinque, quia totum opus debes Deo creatori, totum Christo redemptori, totum celo acquirendo, totum peccato purgando, totum pro proximo a miseria sublevando vel in bono promovendo. Talibus itaque manibus puris et elevatis cum Christo sursum feramur innitentes nubi ascensum nostrum suscipienti. Quidam enim propriis viribus, quidam proprie sapientie, quidam proprie voluntati innituntur. Nos autem inniti debemus gratie Spiritus Sancti, et sapientie doctrine apostolice, et incarnationi salvatoris, quorum quelibet nube signatur. Nubes enim gratiam signat, quia refrigerat et protegit ab estu viciorum; doctrinam predicacionis apostolice, quia ymbre verborum terram mentis fecundat; incarnationem Christi, quia lux deitatis, que infirmis oculis fuit invisibilis, per carnis tegumentum facta est visibilis, sicut sol corporalis, in quem non defigit contuitum oculus infirmus carnis, per nubis rare et lucide tegumentum fit eidem oculus visibilis. Spiritus Sancti gratia signatur per columpnam nubis in Exodo. [cf. Ex. 13:21; 33:10 etc.] Doctrina apostolice predicacionis in Ysaie: "Qui sunt isti qui ut nubes volant," [Is. 60:8] et iterum: "Mandabo nubibus meis et non pluant super eos ymbrem," [Is. 5:6] id est Christi caro. Item in Ysaia: "Ascendit Dominus super nubem levem." [Is. 19:1]

In ascensu autem spirituali gradus ascensionis sunt nobis necessarii. In gradibus enim octo, ut Ezechielis 40, in templum erat ascensio, [Ezech. 40:31] in quod templum spirituale nos ascendendo tendimus. Unde oportet quod in eisdem octo gradibus ascendamus. Ut autem asserit Beda, dicitur Petrum, secunda Petri primo, hii octo gradus ascensionis sunt quos ibidem Petrus per colorem que gradacio dicitur pulcre et gradatim disponit dicens: /35ra/ "Vos autem omnem curam subinferentes, ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scienciam, in sciencia autem abstinenciam, in abstinencia autem pacienciam, in paciencia autem pietatem, in pietate autem fraternitatis amorem, in amore autem fraternitatis caritatem." [2 Petr. 1:7] Hoc ait Beda: "Hic beatus Petrus octo virtutum gradus enumerat quibus fugientes mundialis concupiscencie corrupcionem ad habitacionem regni celestis ascendere debeamus." De quibus Psalmista ait: "Ascensiones in corde suo disposuit, usque dum videatur Deus Deorum in Syon." [Ps. 83:6] [Beda, In epistulas septem catholicas, 3 (in 2 Petr.) 1; CCSL 121, xxx]

Primus itaque gradus fides est, que fundamentum est, et initium bonorum omnium. De qua dicit Apostolus: "Sine fide impossibile est placere Deo," [Hebr. 11:6] et alibi, "iustificati ex fide," [Rom. 5:3] et "iustus ex fide vivit." [Rom. 1:17] Gradus iste quasi ex lapide smaragdino visum confortante constitutus est. Habetque in sui amplitudine velud passus duodecim, in quibus duodecim articuli fidei insculpuntur. Potestque in hac sculpcione cerni magnitudo potencie Patris, pulcritudo sapientie Filii, suavitas bonitatis Spiritus Sancti, scilicet trium indivisa unitas et indivise trinitatis unitas, eiusdemque interminabilis eternitas, rerum omnium initium et non iniciabili processus.

Cernitur eciam hic quomodo creatrix sapientia fit creatura, quomodo dimicavit cum diaboli astucia, quam mirifice per mortem mors est superata, et quam gloriose victrix in carne sapientia secundum carnem est glorificata. Hic cernitur omnium linguarum diversitas per Spiritum sanctum ad unitatem revocata, confusio adunata, multitudo unita, diversitas omnium gencium una civitas facta, cuius aqua est supra nivem candida, nec inde bibentes ultra sitire permittit, cuius cibus panis est angelorum, cuius potus, sanguis uve meracissime, vita est mortuorum, cuius cives reges, nec aliquis in ea pauper. Est eciam in hac sculptura videre pulverem a mundi partibus colligi, in corpora reintegrari, de tumulis exire corpora, iudici occurrere, et secundum merita unumquemque recipere.

Huius tam mirifice et tam delectabilis sculpture artifices fuerunt non quivis de plebe, sed mentes Spiritu Sancto replete, qui omnium est artifex, omnem habens virtutem, omnemque scienciam. Replete mentes scilicet apostolice, que duodecim articulos conscripserunt. Sed ne fulgor predictae sculpture [scripture MS] unde visus novellos et adhuc insuetos oculos obtunderet, habet supra /35rb/ velamen velud subobscure perspicuum que simul et fulgorem temperat et sculpture contuitum non adimit; "videmus enim adhuc per speculum in enigmate." [1 Cor. 13:12] Si quis

autem super hunc gradum firmiter pedem fixerit, [figerit MS] non egrotabit, “quia fides tua,” ait, “te salvum fecit.” [Marc. 10:52] Immo insuper quevis magna pericula fortiter superabit, quia sancti “per fidem vicerunt regna, operati sunt iusticiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum,” etc. [Hebr. 11:33] Et quantam putamus fore gloriam que tantum habet decoris et virtutis in primo gradu introitus sui, quia vere “fides sine operibus mortua est.” [Iac. 2:20]

Hunc primum gradum continue sequitur secundus gradus, scilicet misericordiarum operatio, quam virtutis nomine signat Apostolus, cum ait: “In fide autem virtutem” [2 Petr. 1:5] quasi diceret in fide autem misericordiarum operacionem, quia ut ait Beda super hunc locum: “Virtus in hoc loco non solum pro fortitudine aut miraculis accipitur, sed pro conversacione bona, que fidei recte iungenda est, ne sine operibus ociosa sit et mortua.” [Beda, In epistulas septem catholicas, 3 (in 2 Petr.), 1; CCSL 121, xxx]

Priori igitur gradui iungitur operatio sicut vita continua superior suo corpori. In hoc itaque gradu est etiam insculpcio non contempnenda. Habet enim quasi amplitudinis passus septem, in quibus sunt sculpture decore. In medio enim sculpsitur matrona, admodum autem venerandi vultus et benigni, qui sui vultus benignitate aspicientes et egentes invitat ad petendum, et spem donat recipiendi petitum. Pigros autem ad petendum vel pudore coercitos nutu et voce accersit. Offert non petita, et verecundos renuentes compellit recipere oblata. Hic circumdatur omni habundanti copia que sustentacioni huius vite sunt necessaria, que undique egentibus dispersa quasi de occulta scaturigine succrescunt copiosiora. Hec habet in manu dextra, “date et dabitur vobis,” [Luc. 6:38] et in sinistra, “dimittite et dimittetur vobis.” [cf. Matt. 6:12] Inter has manus habet modium magnum cui inscribitur, “in qua mensura mensi fueritis remecietur et vobis,” [Luc. 6:38, etc.] et illud evangelicum, “qui dederit unum recipiet centuplum.” [cf. Luc. 8:8] Sculpuntur hinc rectoria et mense esuriencium et sciencium, habentque titulum: “Frange esurienti panem tuum.” [Is. 58:7] Et dependent illinc omnimoda vestimenta nudorum, habentque suprascriptum titulum: “Cum videris nudum, operi eum.” [Is. 58:7] Struuntur /35va/ ibi ampla zenodochia pauperum et peregrinorum, habentque tituli scripturam: “Egenos vagosque induc in domum tuam.” [Is. 58:7] Adduntur et mira comoda languencium, habentque illum Ecclesiastici titulum: “Non te pigeat visitare infirmum.” [Ecclus. 7:39]

Construuntur etiam ibidem erraria in quibus reponuntur auri et argenti in mensa pondera in redempcionem incarcerationum et captivorum eroganda. Hec habent pro tituli inscripcione illud Ysaie 58: “Dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus dirumpe.” [Is. 58:6] “Dic hiis qui vincti sunt, exite; et hiis qui in tenebris, revelamini.” [Is. 49:9] Et alibi: “Educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris et umbra mortis.” [cf. Is. 42:7; (Advent antiphon)] Adduntur ad hoc et sepulcra mortuorum; habentque tituli scripturam: “Et mortuo non prohibeas gratiam.” [Ecclus. 7:37] Occurrit ibi Abraham hospitibus advenientibus, et currit puer ad armentum; accelerat Sarra farine sata tria. [cf. Gen. 18:6-7] Loth opido compellit ad hospicium transeuntes dicens: “Manete nobiscum, domini, quoniam advesperascit et inclinata est iam dies.” [Luc. 24:29] “Declinate in domum pueri vestri.” [Gen. 19:2] Ibi Ioseph patrem egrotum visitat. [cf. Gen. 48:1] Tobiam sepultura fatigat. [Tob. 2:10] Cirus captivos liberat. [cf. Esdr. 1:1-11] Si supra hunc gradum fixeris pedem, mortem amplius non timebis, quia “elemosina a morte liberat, et ipsa est que purgat peccata et facit invenire vitam eternam.” [Tob. 12:9] Item, “Elemosina ab omni peccato et morte liberat, et non patitur animas ire in tenebras.” [Tob. 4:11]

Hunc secundum sequitur sciencia, quasi gradus tercius, que inquam sciencia, ut ait Augustinus, ad actionem pertinet, [cf. Augustinus, De trinitate 12, 14 (CCSL 50), etc.] que est cognicio istorum temporalium regendorum et ordinandorum. [cf. Augustinus, ibid, 12, 11] Et quia hec bene agendi sciencia magis perficitur actione et experientia quam doctrina, congrue operacioni quasi gradus proximus sciencia est annexa. Quod enim ex opere adquiritur operandi sciencia attestatur scriptura. Ait dominus ad Iosue: “Non recedat volumen legis huius de ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia que scripta sunt in eo. Tunc dirigam viam tuam, et

intelliges eam.” [Ios. 1:8] Ecclesiastici 43: [tercio MS] “Omnia autem Dominus fecit, et pie agentibus dedit scienciam.” [Ecclus. 43:37] Et Sapiencia tercio: “Bonorum laborum gloriosus est fructus, et que non concidat radix sapiencie.” [Sap. 3:15] /35vb/ In hoc autem gradu scribuntur eadem que in proximo precedenti, sed tamen differenter. Ibi enim sculpuntur omnia quasi sculptura corporali expressa et exclusa. Hic autem inscribuntur omnia quasi pictura spirituali, tenui et subtili, et luce etherea et celesti superfusa.

Sequitur quartus gradus, abstinentia, quia bene operandi scienciam sequitur sciencia mala vitandi. Actionem enim bonorum debet a malis cohibicio esse annexa, alioquin, ut ait Beda, “in vacuum sciencia cedit, si ab illicebis terrestribus quis continere neclexerit.” [Beda, In epistulas septem catholicas, 3 (in 2 Petr.) 1; CCSL 121, xxx] In hoc autem gradu, quasi corporali sculptura expressa et exclusa, descripta sunt tumoris et pompe superbiorum, livores et dolores invidencium, tedia et torpores accidiosorum, laboriose et timorose et dolorose congregaciones avarorum, insidie furtum, violencie raptorum et tyrannorum, fraudes dolosorum, sordes et nausee gulosorum, cum apparatu luxurioso ciborum, latebre fornicancium et mechancium, et ut ad unum dicam omnium non defformiter sed pulcre deformitates viciorum. Erumpit autem per medium picture cuiusque vicii similitudo pravi pene iehennalis eidem vicio competentis. Astatque picture cuiusque vicii puella, arcus lumbos precincta, similis herenti et horrenti, gressumque retrahenti.

Sequitur autem abstinentiam paciencia, quia ut ait Beda: “Abstinentiam necesse est semper ut paciencia comitetur ut quicumque a voluptatibus mundi se continere didicit, eius quoque adversa corde firmo sustineat.” [Beda, In epistulas septem catholicas, 3 (in 2 Petr.) 1; CCSL 121, xxx] Iste gradus adamantinus est, omnimodis ictibus invincibilis. In huius gradus medio stat quedam immobilis virago arcus ad se constringens scutum sub cuius munimine se totam recondit. Estque scutum hoc figuratum triangulare, quia figuratum est ex Christi cruce, cuius latus superius est lignum crucis transversatile, a cuius duobus terminis ducuntur [dicuntur MS] ad pedem crucis due linee. Habetque in pede crucis Christi inscriptum mundi et concupiscencie eius velocem transitum, insigniturque hiis litteris apostolicis, “Mundus transit et concupiscencia eius.” [1 Ioan. 2:17] In dextero angulo superiori splendet lux dierum eternorum, et habet has litteras Salomonis: “Longitudo dierum in dextera eius.” [Prov. 3:16] In sinistro vero angulo fulgent dotes gloriose /36ra/ corporum quales habebunt in patria, et habet has litteras: “In sinistra eius divicie et gloria.” [Prov. 3:16] Arma quibus alios impetat non habet hec virago, sed solum hoc scuto munitur [minuitur MS] quo arma a quibus ab aliis impetitur ipsa illesa suscipiat. Hoc enim scutum impenetrabile est, et ample undique muniens. Habetque vim repulsivam telorum in se projectorum qua in iacentem tela singula eo impetu vel maiori quam mittuntur reflectit. Unde hic armis impetentibus propriis non egit, cum armis quibus impetitur utatur in impetentes, viribusque utatur inimicorum et armis in illorum perniciem et vulnera.

Pinguntur itaque in hoc gradu circa istam viraginem omnia impingnatorum genera. Stant enim hinc sagitarii, crebro et forti impetu sagittas mittentes quarum quelibet impetu quo mittitur, a scuto predicto reiecta, revertitur in mittentes. Hinc alii hastas vibrant que, in scuto fracte, in vibrantes redeunt. Alii cominus ense feriunt, sed et ensis feriens in caput ferientis repellitur. Assunt et fundibularii, qui lapides de fundis mittunt, qui ut supradicta in auctores redeunt.

Paciencia namque, predicto scuto munita, sagittas reicit verborum maledictorum, hastas confringit comminacionis iracundorum, gladios retundit aperte insultacionis et lapides maligne obiurgacionis. Et, ut breviter dicam, nulla est impingnacio qua graviter non ledat ipsum impingnantem si senciatur non ledi ipsum qui impetitur sed omnia patienter ferentem, quantoque plus non leditur qui impingnantur, tanto plus leditur cum hoc sentit is qui impingnat. Si huic gradu te iunxeris et sub scuto huius viraginis te protexeris, a nullo ledi poteris. Et insuper quod universitate creaturarum tibi preciosius est lucratus eris. Quid enim tibi tam preciosum quam tu ipse, quam anima tua. “In paciencia vestra,” ait, “possidebitis animas vestras.” [Luc. 21:19]

Iam dicto gradu consequenter sursum ascenditur ad pietatem. Sic enim sequitur, “in paciencia autem pietatem, ut erga eos quos pacienter tollerat etiam pius existat, iuxta illud Apostoli: ‘Caritas paciens est, benigna est.’” [Beda, In epistulas septem catholicas, 3 (in 2 Petr.) 1; CCSL 121, xxx] Paciens in tollerando, benigna hiis quos /36rb/ tollerat, et a quibus persecuciones sustinet benefaciendo. Iste gradus in hoc differt a secundo quia in illo est misericordia inchoans, benefaciens maxime amicis et gratis et etiam indifferentibus. In hoc est perfectior pietas, beneficia prestans inimicis et iniuriantibus.

Est ergo huius gradus sculptura similis sculpture illius secundi, excepto quod hic hii qui recipiuntur dantes spoliarunt. Hic enim reficiuntur qui suis refectoribus alimenta sustulerant, vestiuntur qui vestientes nudaverant, hospicio recipiuntur qui suos receptores hospicio expulerant, redimuntur a carcere qui suos redemptores nequiter incarceraverant, visitantur egroti qui visitatores contempserant. In hoc gradu sapientissime et fortissime occiditur inimicus. Non enim est prudencior et efficacior modus quo possis inimicum occidere quam odienti et iniurianti sementi benefacere. Aut enim beneficiencie ictu moritur statim omnis inimicia, et erumpit eius fumus tenebrosus in flammam caritatis, et absumitur uredine penitencie quod tam beneficium oderit et insequutus est; aut si non sic moritur, incipit amplius mori uredine doloris et invidie de tua benignitate, que ustio non finitur, sed ducit in ignem iehenne, ubi moritur sine fine. Hoc est quod precipit Salomon in Parabolis: “Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Prunas enim congregabis super caput eius,” [Prov. 25:21] hoc est, aut ardorem caritatis quo moritur sibi et tibi utiliter, aut ardorem pene quo morietur eternaliter.

Sequitur enim in pietate autem fraternitatis amorem, ut secundum quod ait Beda: “Non alterius rei intuitu pietatis opera suis quisque adversariis impendat nisi fraterne tantum dilectionis.” [Beda, In epistulas septem catholicas, 3 (in 2 Petr.) 1; CCSL 121, xxx] Hoc videlicet tota intencione procurans, ut quos docendo solum vel redarguendo nequit ad affectum pietatis orando vel benefaciendo convertat.

Sed cum nec fides, nec operatio, nec aliquid de predictis valeat ad vitam sine caritate fraterna, quomodo nunc primo occurrit gradus fraterne caritatis? “Si enim distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum /36va/ caritatem autem non habeam, nichil mihi prodest.” [1 Cor. 13:3] Sed sciendum quod caritas dupliciter est, inchoata videlicet crescens, et perfecta. Est autem, ut ait Augustinus super Iohannis epistolam primam, omelia sexta: inchoatio caritatis “ut de suis superfluis tribuat egentem et in angustiis constituto, ex eo quod sibi habundat secundum tempus a tribulacione temporali liberet fratrem suum. Hinc exordium est caritatis.” [Augustinus, In Iohannis epistolam ad Parthos tractatus, tract. 6 (CCSL 37, xxx)] Hoc caritatis exordium Iohannes manifestavit cum dicit: “Si quis habet facultates huius mundi et viderit fratrem suum egentem et clausit viscera sua adversus illum, quomodo caritas Patris manet in eo?” [1 Ioan. 3:17] Hanc itaque inceptam caritatem, si verbo Dei et spe future vite nutrieris, pervenies ad illam perfectionem ut paratus sis animam tuam ponere pro fratribus tuis. Hanc perfectionem Dominus docuit dicens: “Maiorem caritatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis,” [Ioan. 15:13] et “debemus et nos animam pro fratribus ponere.” [1 Ioan. 3:16] Hoc est perfectio caritatis, et maior omnino non potest invenire. Patet itaque quod primum gradum, fidei videlicet, cum secundo, operacionis, caritas inchoata velut cementum continuavit, et per omnes superiores gradus ipsa perficiens velut cementum continuativum se inmiscuit, sicut dicit Salomon: “Ascensus eius purpureus media caritate construit,” [cf. Cant. 3:10] donec in tantam soliditatem excreverit ut de ipso caritatis cemento, et non aliunde, hic gradus septimus et ille qui sequitur octavus fabricentur.

Hic itaque gradus fraternus amor est, non qualiscumque, sed qui in tantum solidatur ut velit hanc vitam temporalem pro fratris eterna salute ponere. Sic enim procedit huius amoris crementum ut primo possit sua superflua amicis indifferentibus largiri, deinde possit eadem iniuriantibus et odientibus impartiri, deinde ut huius vite subsidia necessaria sibi velit subtrahere et ex hiis etiam inimicis subvenire, tandem ut non solum superflua et necessaria extrinseca, sed etiam ipsam suam

temporalem vitam, non solum pro amicis, sed etiam pro inimicis ponere velit, ut ipsi /36vb/ inimici fiant amici; et hoc est pro amicis ponere.

Hic gradus sanguine martirorum totus vernat et purpuratur; persecutorum truculencia atrociter sevens ibidem figuratur. In huius gradus primo inicio innocentes ab Herode trucidantur. [Matt. 2:16-18] In progressu continuo Iohannes decollatur. [Matt. 14:1-12] In medio princeps ipse martirorum, Christus, a Iudeis crucifigitur. [Matt. 26-27] A sinistris eius Ysaïas Sarra dividitur. [ref.?] Septem fratres Machabei cum matre constantissima sevisis tormentis excruciantur, [2 Mach. 7:1-42] aliorumque qui, ante Christum, pro Christo, et pro fratribus usque ad mortem decertaverunt, gloriosa certamina mirifice describuntur. In dextera vero parte primo per ordinem sculpuntur gloriosa martiria duodecim Apostolorum, et consequenter ut pro tempore sibi successerunt constantes victorie et invincibiles constancie martirorum quas non terrent tonitrua minarum nec quaciunt aut frangunt fulmina tormentorum.

Sequitur in amore autem fraternitatis caritatem, ut dicit Beda: "Caritatem hoc loco appellat specialiter eam qua conditorem diligimus, que proficientibus virtutum gradibus merito amoris fraternitatis adiungitur, quia nec Deus sine proximo, nec sine Deo proximus, perfecte valet amari. Et quidem Dei amor excellencior est amore proximorum quia illos sicut nos ipsos, Deum vero toto corde, tota anima, tota virtute iubemur diligere, sed tamen consuetudine nos amoris fraterni oportet ad amorem conditoris ascendere. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?" [Beda, In epistulas septem catholicas, 3 (in 2 Petr.) 1; CCSL 121, xxx] Is amor unde componitur iste gradus totum elevat hominem et rapit in contemplacionem divinitatis. In huius gradus medio et summo splendet lux inaccessibilis Trinitatis: Patris non tam terret quam fiduciam prestat potencia, rapit in se visum intelligencie Filii pulcritudo, trahit fortiter ad se Spiritus Sancti dulcedo. Hanc lucis radiacionem sine velamine [velamen MS] non perferunt oculi lippientes Lie, sed ad hanc aliunde velud raptim admittuntur oculi puri Rachelis. [cf. Gen. 29:17] Tamen hanc irradiacionem velud curruscacionis lucem subito claudit nubes adhuc aggravantis carnis. /37ra/

In hoc gradu describuntur varii ordines contemplativorum in quibus latitat purus Rachelis oculus, qui, pulcritudine raptim visa et dulcedine parumper degustata, prestante fiduciam potencia, non raptim sed perseveranter ad suppremam illam ineffabilem pulcritudinem suspenduntur, oculos et faciem sursum attollunt, manus eo tendunt, posteriorum obliti, se totos in antea, hoc est sursum, se extendunt. Habenti enim faciem versam ad celum idem est sursum ire quod ante ire, quia ante ire est post faciem suam ire. Et ne quid eos in hoc profectu gravet, omnia ista terrena onera abiciunt, et quasi stercora sordidancia et onera visum in sursum retardancia contingere vehementer perhorrescunt. Hii egrediuntur cum Abraham de terra sua, et de cognacione sua, et de domo patris sui. [cf. Gen. 12:1] Immo etiam obliviscuntur populum suum et domum patris sui, et quod amplius est, percalcatum pergunt patrem et percalcatam pergunt matrem.

In hoc gradu scribuntur omnes regule agendorum ad Deum, sicut in proximo superiori gradu omnes regule agendorum ad proximum.

Dictum 51

Sermo ad pastores in synodo de hoc verbo, "Rex sapiens stabilimentum est populi sui."

"Rex sapiens stabilimentum est populi sui." [Sap. 6:26] Verba sunt sapientis in libro Sapientie capitulo 6o.

Scitis quod rex a regendo dicitur, ideo rex recte nominatur qui regiminis sibi commissi gubernacula recte moderatur. [cf. Isidorus, Etymologiae, 9, 3, 1; chk Glossa ord. ad Sap. 6:26] Quapropter vos omnes, rectores animarum, si populum vobis subiectum recte regitis, reges et vocamini et estis, convenitque vestrum unicuique quod in principio dixi: "Rex sapiens," etc.

Non enim solum estis sacer, sed sicut dicit Petrus: “Regale sacerdocium.” [1 Petr. 2:9] Verus enim Melchisedech, simul in unum “rex et sacerdos,” [Gen. 14:18; Hebr. 7:1] “lavans nos in sanguine suo,” sicut dicit Iohannes in Apocalypsis, “fecit nos Deo nostro regnum et sacerdotes ut regnemus super terram.” [cf. Apoc. 1:5, 5:10] Cum itaque, ut patet testimonio scripture, nos prelati ecclesie regia simus pollentes dignitate, vigilanter et strenue nobis agendum est ne tantam dignitatem vili commercio commutemus.

Quis enim non insanissimus haberetur et esset qui regia prefulgens dignitate et prepotens maiestate eam commutaret /37rb/ vilissime servitutis condicione? Hanc miseram et flebilem commutationem nos prelati ecclesie facimus quociens, postposita nostre professionis dignitate, gule vel luxurie vel avaricie seu alii vicio criminali succumbimus, et qui soli Deo servientes regnare debemus, quia illi servire regnare est, talium viciorum turpissime servituti nos subicimus. “Qui enim facit peccatum servus est peccati.” [Ioan. 8:34] Et ideo cum peccatum nichil sit, sed sit corruptio et defectio boni, servusque non sit maior domino suo sed etiam minor,” [cf. Ioan. 13:16, 15:20] quando nos servituti viciorum subdimus, a regia maiestate nos sponte dimittentes, ipsa corruptione, ymmo ipso nichilo, si fieri potest. viliores et posteriores efficimur. Et quid insanius quam sponte a tam excelso in tam ymum se detrudere?

Non igitur a maiestatis nostre celsitudine sic turpiter declinemus, sed cum Abacuc [2:1] “super custodiam nostram stemus, et figamus gradum super municionem nostram, et contemplemur ut videamus” que pertinent ad nostram regiam dignitatem, et quod sit regis officium, ut idem strenue peragamus. Regis itaque officium est tripartitum: subiectos videlicet armis defendere, moribus ornare, legibus emendare. Sic et nos, qui sumus reges spirituales, oportet nostre cure commissos armis spiritualibus defendere, moribus honestis ornare, legibus divinis emendare.

Primum itaque est ut defendamus cure nostre commissos contra insultus demoniorum, viciorum, et hominum malorum. Insultus itaque demoniorum repellendi sunt per instanciam supplicium oracionum pro subditis, per psalmodiam et canticum laudum et ymponum, per administracionem sacramentorum. Sicut enim carnalis hostes repellunt tria, videlicet prevalens odor fame viriliter resistencium, valida missio iaculorum, forte munimem castrorum, sic spiritualia nequicie in celestibus primo arcet odor incensi devote oracionis, quia fumus huius incensi, si per ignem caritatis resolvatur, et ieiunii maceracione gracilietur et subtilietur, et eleemosinarum oleo impinguetur, quia “bona est oracio cum ieiunio et elemosina,” [Tob. 12:8] extricat, ymmo suffocat, omne genus demoniorum, et qui in naribus Dei est odor suavitatis, demonibus est in mortem odor mortis. Hoc odore primo sensit Paulus demones /37va/ coherceri cum dixit: “Testis est michi Deus, cui servio in spiritu meo in evangelio Filii eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in oracionibus meis.” [Rom. 1:9]

Post hunc odorem primo demones absterrentem, mittenda sunt iacula laudum et ymponum. Lingua enim laudantis est velud arcus extensus; singula verba emissa sunt velud iacula ignita corda demonum perforancia et urencia. In hoc arcu et hiis sagittis tulit Iacob partem unam quam dedit Ioseph extra fratres suos. [chk Testament of 12 Patriarchs, transl. RG] Quomodo perforant et vincunt hec iacula, sentire potest in seipso invidus cum laudes audit invidiosi.

Sacramenta ecclesie sunt velud castris tutissima municio. Quod castrum, velud fluvius immensus, primo circuit aqua baptismi, primoque cohercet hostiles accessus. Deinde in interioribus ripis fluminis est confessio et penitencia, velud vallum et murus exterior. In medio autem, velud turris fortissima, sacramentum altaris collocatur, ad quam turrim per septem ordines ascenditur, velud per septem gradus.

Hiis itaque defensionibus vos, qui reges estis spirituales, contra spiritualia nequicie subditos vestros strenue defendite, cum ieiunio et elemosina incessanter orantes, laudes et ymnos spirituales personantes, ecclesie sacramenta sincere administrantes. Contra vicia defendere debetis subditos vestros per penarum iehennalium timorem, per feditatis peccati incussum horrorem, per peccati manifestandi in die iudicii confusibilem ruborem.

Debetis enim subditis vestris aperte describere stagnum ardentis sulphuris, cuius ignis tenebrosissimus, fetentissimus, ardentissimus, et inextinguibilis, a quo erit ad aquas nivium subitus transitus, ubi stridor dencium horribilis, a quo balneo transferentur in lectum; ubi “sub eis sternetur tinea, et operimentum eorum erit vermis”; [cf. Iob 24:19; Is. 14:11] ubi oculos hic vagos ad concupiscendum tenebunt tenebre exteriores, que cogunt lugubri voce clamare ve ve, quante sunt tenebre; ubi “undique terre bunt formidines,” [Iob 18:9] nichilque occurret aspectui nisi dire tortorum facies; ubi nichil personabit in aures nisi dirus ululatus gemencium, nec perfundet nares /37vb/ nisi fetor putencium; ubi, sicut dicit Iob, “exardescet contra impium sitis, et attenuabitur fame robur eius, et inedia invadit costas eius, et devorabit pulcritudinem illius, et consumet brachia illius primogenita [pregenita MS] mors.” [Iob 18:9,12-13] Tali penarum descriptione incusso timore ipsius timoris velud lancee cuius acucie carnes viciorum debetis transfigere. Debetis etiam ad defensionem contra vicia horrorem feditatis ipsius vicii incutere, ostendentes quomodo peccatum est diaboli proles, mortis parens, nature corruptio, boni privatio, anime captivatio, et a similitudine reformata et conformata summe pulcritudini in formam bestialem deformatio. “Homo enim cum in honore esset, etc.” [Ps. 48:13 et 21]

Ad predictam etiam contra vicia defensionem non parum confert si describatis in mentibus subditorum quomodo in die iudicii aperti erunt libri consciencie singulorum et manifesta erunt occulta cordium, [cf. 1 Cor. 14:25] omniaque singulorum peccata que hic non delevit vera penitentia. Ibi evidentissime in tabulis cordis scripta toti cetui collecto ad iudicium manifesta erunt et patebunt legenda. Sic enim incussus peccati et manifestandi rubor ipsum peccatum longius arcebit.

Insultant autem aliter ac nocent pravi homiines tripliciter: aut contra fidei simplicitatem aut morum honestatem, errores docendo, aut exemplo pravo corrumpendo; aut vi vel fraude corporaliter miseros opprimendo. Contra primum occurrendum est gladio verbi, sana videlicet doctrina, sicut monet Apostolus, dicens: “Formam habe sanorum verborum que a me audisti in fide et dilectione que est in Christo Iesu.” [2 Tim. 1:13-14] Et alibi: “Tu autem loquere que decent sanam doctrinam.” [Titus 2:1]

Contra secundum occurrendum est conversacione sancta, ut simus, sicut monet Apostolus: “Exemplum fidelium in verbo et conversacione, in caritate et fide, in castitate.” [1 Tim. 4:12]

Contra insultum tertium occurrendum est brachio seculari, cum possumus, inopem eripere de manu forciorum eius eripiendo, aut ipsos oppressores, cum hoc de iure possumus, excommunicacionis gladio feriendo, aut eos non vindicte causa sed correctionis gracia coram iudice conveniendo, aut cum plus non possumus, eos ecclesie manifestando.

Hiis modis /38ra/ contra tria genera hominum oportet tueri salutem subditorum, non solum usque ad hominum odium et maledictionem, vel ad possessionum amissionem, vel ad vinculorum constrictionem, sed usque ad sanguinis effusionem. Sicut enim Christus pro nobis animam posuit, ita et nos debemus pro fratribus animos ponere. Et si reges terreni pro tuenda libertatibus temporalium et subditorum salute usque ad mortem dimicant, [demicant MS] quanto magis nos, qui reges sumus spirituales, hoc debemus facere pro spiritualibus libertate et salute, cum hec spiritualia incomparabiliter temporalibus preemineant? Immo si fere et irrationabiles bestie pro fetibus carnis tuendis se morti exponunt, cum post hanc vitam alteram non expectant, quanto magis nos oportet pro tuendis filiis spiritualibus usque ad mortem dimicare, cum post hanc vitam alteram incomparabiliter meliorem expectemus? Ymmo si hoc non facimus, quomodo non simus ipsis feris et bestiis crudeliores, et irrationabilibus irrationabiliores, et iumentis insipientibus insipientiores? Ne in hanc igitur deiectionem regale nostrum sacerdotium declinemus, pro subditis tuendis strenue dimicemus, et primum regis officium viriliter peragamus.

Secundum regis officium est subditos moribus informare. Hoc expresse nobis convenit, quibus dicit Petrus: “Non dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo.” Nostra enim conversacio sancta et doctrina sana subditis debet esse regula et vivendi forma. Et sicut inscripcione



sigilli argentei cera mollis imprimitur et figuratur, sic in inscriptione nostre vite et doctrine imprimi debet et in formationem redigi vita fluxibilis et informis subditorum.

Regis enim ad exemplum totus componitur orbis, et quales est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. Cum ita ad formam nostri formanda sunt vita subditorum, oportet ut artis vite regende in nobis sit primo integra et expressa inscripcio, quam inscriptionem non obliteret tumor superbie, nec obfuscet livor invidie, nec corruget constrictio avaricie, non conscindant ungues rapine, non obliniat fluiditas lutosa luxurie. Non tandem deformat alicuius criminis note, quia /38rb/ secundum Apostolum: "Oportet episcopum," id est quemlibet prelatum, "sine crimine esse." [Titus 1:7] In aspectu itaque mentis nostre sit primum inscripta ars vite regende, ut sciat unusquisque secundum fidem rectam ea saltem subditis exponere sine quibus non potest salus existere, et quibus observatis salus non potest abesse; ut sciat saltem simpliciter articulos fidei et decem mandata decalogi, et que sunt vicia criminalia, et qualis sit saluti sufficiens penitencia. Debet quoque ista aspectui facta inscripcio penetrare in affectum, ut quod videt aspectus debere fieri, diligat amor ad faciendum, et sic tandem per affectus medium prorumpat menti facta inscripcio in executionem exteriorum et manifestorum operum, "ut videant nostra bona opera, et glorificent Dominum Patrem nostrum qui in celis est." [Matt. 5:16] Et sic in luce operum nostrorum, quasi in libro, subditi legant qualis in seipsis esse debeant.

Qui autem artem vite regende sic non habet inscriptam, qualiter audet assumere animarum regimen? Navem regere nullus presumit sine arte navali, aut fabricam construere sine arte fabrili, aut domum fabricare sine architectoria, aut currum regere nisi sit peritus auriga. Cum tamen in hiis, si erratur, non vita, aut non nisi temporalis vita, periclitatur. Regimen autem navis Petri in hoc vasto et tempestuoso pelago mundi, tanto hodie quisque assumit promptior, quanto artis regendi est inpericior. Cum tamen si hic erratur, non possessio sola, non vita qualiscumque, sed vita eterna periclitatur. Non sit in vobis tam audax presumptio! Qui artis vite regende ignarus est, eam addiscat; qui eam scit, opere confirmet. Nec obliniat eam maxime lutosa luxuria. Ut sit vestra vita aliis vivendi regula recta, sicque per vos secundum regis officium administretur.

Tercium regis officium est subditos legibus emendare, bene merentes premiando, male merito secundum leges puniendo. Hoc faciunt prelati ecclesie cum secundum statuta patrum et canonicas sanctiones aut bona merita remunerant, aut pravorum audaciam iustis penis coercent. De hoc tercio officio ad presens vobis loqui /38va/ plura supersedemus, quia quedam statuta sacra, que ad hoc pertinent officium, coram vobis recitari faciemus.

Hec itaque tria officia, si recte ministraverimus, reges sapientes erimus, et populum nostrum supra firmam petram edificium firmum stabiliemus, [cf. Matt. 7:24] in quod descendens pluvia, et veniencia flumina, et excelsa flamina, licet irruant, non cadet, quia fundatum est supra firmam petram, Dominum nostrum Iesum Christum.

## Dictum 52

Sermo ad pastores in synodo de hoc verbo Levitici, "De ostio tabernaculi non exhibitis septem diebus."

De ostio tabernaculi non exhibitis septem diebus, usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestre. [Lev. 8:33]

Omni infra sacros ordines constitutorum tipum gerunt filii Aaron, quibus sermo iste dicebatur. Ideoque vobis, qui sacros ordines suscepistis vel suscepturi estis, idem sermo convenienter aptatur, in quo officii vestri et vite vestre agende magna pars describitur. Igitur ut singuli sciatis cui oneri mancipari debeatis, sicut scribitur in libro Numerorum de filiis Gersen, qui vestri tipum similiter gerunt, "et sciant singuli cui debeant oneri mancipari," [Num. 4:26] ut, inquam,

hoc sciatis, primi[?] sermonis expositioni quam vestris ordinibus suffragantibus Dominus vobis dederit aurem audiendi adhibeatis.

Tabernaculum itaque figuram gerit triumphantis ecclesie, ut legitur ad Hebreos 8: "Minister tabernaculi veri quod fixit Dominus et non homo." [Hebr. 8:2] Et iterum, in eodem epistola: "Tabernaculum non manufactum, id est, non huius creacionis." [Hebr. 9:11] Gerit etiam figuram ecclesie militantis, ut in Exodo 26, ubi iubetur fieri ex "decem curtinis de bisso retorta, et iacincto, et purpura coccoque bis tincto, opere plumario." [Ex. 26:1] Insuper et tipum gerit cuiuslibet fidelis et corporis huius mortalis, "Templum enim Dei sanctum est quod estis vos," [1 Cor. 3:17] ut ait Apostolus. Et Petrus ait: "Certus sum quod velox est depositio tabernaculi mei." [2 Petr. 1:14] Et Apostolus, ad Corinthios, ait: "Nam et qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri." [2 Cor. 5:4] Gerit etiam tabernaculum non solum tipum mundi increati, sed huius mundi sensibilis creati, sicut patet super Exodo, ex quibusdam expositionibus beati Ieronimi. [chk. De exodo; CCSL 78; glossa ord. ?]

De ostio /38vb/ tabernaculi itaque, secundum quemlibet dictorum modorum accepti, non exhibitis donec compleatur tempus vestre consecrationes. Est autem, ut scitis, ostium domus per quod fit ingressus et exitus, et in domo corporali per idem ostium fit uterque. In domo vero spirituali res plerumque se habet dissimiliter, quia non eodem ostio quo quis exit regredietur. Ostium enim quo exitur tam de tabernaculo ecclesie triumphantis quam militantis est superbia. Et per hoc ostium de triumphante ecclesia exivit primus homo et angelus apostata. Et per idem ostium exeunt prevaricatores animo de ecclesia militante, licet quidem remaneant in ea corpore et sacramentorum exteriori communione. Hoc ostium patet omni exire de tabernaculo volenti, sed clauditur et obstat omni per idem regredi intenti. Hoc ostium commune et idem est exeuntibus a Iherusalem et ingredientibus in Babilonem, relinquentibus celum et intrantibus in infernum.

Ymaginare celum et infernum quasi duos domos aut duas civitates contiguas inter quos nichil sit medium, quia sanctitas et iniquitas non habent medium. Et ymaginare aperturam ostii unam utrisque communem; similiter et valvam. Ipsa autem valva, licet sit communis utrique domui quo ad apercionem et clausionem ostii, erit tamen alteri tantum quo ad hoc propria, quia est solum de alterius substantia. Et ymaginare valvam talem, quod volenti exire de domo cuius ipsa valva est propria, ut de eius substantia, et ingredi reliquam, se claudendo semper et obiciendo obstat eadem valva, nec egredi per se sinat. De alia vero domo de cuius substantia ipsa valva non est, volenti exire semper se aperiat. Talis itaque valva est superbia communis aperture et ostio per quam fit exitus ad infernum de celo, aperiens se omni de celo exire volenti, claudens se omni per eandem regredi intenti, ipsa existens de substantia inferni, non celi. Econtrario valva communis inferno et celo, per quam fit ingressus in celum, humilitas et penitentia est, que se aperit omni cum veritate volenti celum ingredi, nec per se permittit aliquem de celo regredi. /39ra/ Et hec est de substantia celi, non inferni. Tales etiam due valve celi vel ecclesie et inferni sunt fidelitas et infidelitas, sapientia et insipientia, vel generaliter dicendo, virtus et vicium.

Precipitur itaque filiis Aaron ut septem diebus, hoc est toto tempore presentis vite, non exeant de tabernaculo per ostium superbie, vel infidelitatis, vel insipientie, vel alicuius vicii, sed in tabernaculo versentur, et etiam in ipso ostio utroque morientur. [cf. Ex. 29:29-37] In hac consideracione et cognicione solum ad vitandum, in illa consideracione et cognicione ad amandum et ad inherendum, ut possint reddere rationem omni poscenti de fide, [cf. 1 Petr. 3:15] et humilitate, et ceteris virtutibus sectandis, ipsi easdem etiam sectando, et infidelitatem, et superbiam, et cetera vicia propallare vitanda, ipsi eadem fugiendo.

Debent quoque filii Aaron versari in duobus ostiis tabernaculi huius mortalis corporis, ut assidua meditacione memorentur ingressum in hanc miseram et mortalem vitam per condiciones flebiles humane nativitatis, et exitum de eadem per amaritudines penales mortis, ut sic memorantes novissima non peccent in eternum. Ipsa quoque mors, que est ostium quo exitur de tabernaculo corporis, est ostium quo intratur in tabernaculum verum, quod fixit Dominus et non homo. [cf. Hebr.

8:2] Ipsaque eadem ostia sunt per que intramus in tabernaculum quod est mundus iste creatus, et eximus de eo. Mundi eciam huius ostia duo sunt, inicium creacionis eius et finalis transitus eius, de quo transitu dicitur: "Celum et terram transibunt," [Matt. 24:35 etc.] quo transitu innovabuntur in meliores qualitates, ut sit celum novum et terra nova. [cf. Apoc. 21:1]

In hiis itaque ostiis versari debent filii Aaron, ut sciant in quo principio creavit Deus celum et terram, progressumque huius mundi quantum datur mortalibus aspiciant usque ad transitum eius ab hiis corruptibilibus qualitatibus in nobiliores, ut per scalam huius mundi visibilis ad invisibilium Dei [cf. Hebr. 11:3] ascendant intellectualem conspectionem. Patet quoque per ostium tabernaculi /39rb/ intelligi sensus corporeus quinquepartitus, de quo non est exeundum per concupiscencias, sed intus in tabernaculo septem diebus manendum, hoc est in contexione, que est in anima ex quatuor coloribus preciosis quator virtutum, ubi vernat purpura regalis iusticie qua regale sacerdocium induitur, et albet bissus fortitudinis laboriose; ubi eciam celum similat iacinctus prudencie, et rubet coctus temperancie. [cf. Beda, De tabernaculo 2] Et in unoquoque colorum horum tot sunt filorum contexiones quot sunt spiritualium virtutum ex eis dirivatarum concatenaciones.

Et curtine decem tabernaculi, que eedem dicuntur tabernaculam, [cf. Bede, De tabernaculo, 2, lin. 82] sunt contexio scripture ex decem mandatis dirivate, in qua sunt quatuor colores, quatuor expositiones: Historia est bissus de terra nascens, tropologia coctus caritate rubens, allegoria purpura de testa historie profluens, anagogia iacinctus celeste fulgens.

Hanc pulcram et variam texturam interiorem exterius operit asperitas penitencie, ut saga cilicina, qua mortificatur caro, [cf. Ex. 26:7] ut fiat pellis rubricata et iacinctina, pellisque separata et divisa a carnalibus concupiscenciis, rubricata propter manifestatum in ea fervorem caritatis, iacinctina propter manifestacionem in ea celestis conversacionis desiderium. [? de suo MS] Hoc tabernaculo per ostia quinque sensuum ad illecebras voluptatum non est exeundum, ad quem exitum libido sciendi mollificat et trahit amorem rationis, et quasi meretrix capciosa et procax emollit sermones suos et verba sua dulcia facit, favum distillans, ut amara et acuta subinferat. Hec est "mulier stulta et clamosa, plenaque illicebris, et nichil omnino sciens, que sedet in foribus domus sue, in excelso urbis loco, et vocat transeuntes per viam et pergentes itinere suo: qui est parvulus declinet ad me," etc. [Prov.9:13-16] Sed ne amor rationis per hanc deceptus ad illecebras extrahatur, adducat ratio racionem, que de ordinibus causalibus et de connexionibus causatorum cum causis ab infimis sensibilibus usque ad supremam causam contexerat /39va/ cathenam, qua retrahat amorem ab infima pulcritudine, et trahat ipsum in pulcritudinem summam, ut a magnitudine et specie et ordine rerum infimarum assurgat amor in potenciam et sapienciam et bonitatem creatoris.

Non solum autem assit racionem, predicta cathena fortiter retrahens, sed et assit discrecio, dulciter commonens amorem ne per ostia sensuum egrediatur, et dicendum: "Post concupiscencias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si prestas anime tue concupiscencias eius, faciet te in gaudium inimicis." [Eccus. 18:30-31] Dicat quoque discrecio, cum videris has res omnes concupiscibiles, "recorderis omnium mandatorum Dei, nec sequaris cogitaciones tuas et oculos per res varias fornicantes." [Num. 15:39]

Si autem non retrahit predicta cathena, nec persuadet discrecio, occurrat et obstet amori exire volenti ianitor severus et rigidus, cui nomen terror, habens in manu virgam comminacionis, in qua virga describantur vermis qui non moritur et ignis qui non extinguitur, [cf. Marc. 9:43] subitus transitus ab aquis nivium in quibus est stridor dencium ad calorem nimium, [cf. Iob 24:19] palpabilitas tenebrarum vero quibus nil occuret visui nisi facies horrende demonum tortorum et, ut ad unum dicam, in predicta virga sculpantur omnes horrores penarum iehennalium. Hac itaque minaci virga ianitor severus reprimat amorem per ostium sensuum exire volentem ut quiete maneat in tabernaculo, sub quo est iocundissima mansio, quia in eo descripta est omnis pulcritudo.

Sicut enim in ipso corporali tabernaculo erat operimentum ex cortinis pulcra varietate contextis, in quibus quatuor preciosorum colorum fila per varias et spectabiles figuras, cum adinvicem in unam sectionem concurrebant, cum ab una sectione se diffundebant tamen equedistanter ibant, et sic texturam pulcra varietate conficiebant, sicut quoque in tabernaculo humani corporis est contextio nervorum et venarum, mirabilis ab ossibus supportata, velud cortine in tabernaculo litterali et tabulis. Et sicut etiam in celo visibili ex radiorum a qualibet stella ad quamlibet stellam protencionibus eorum que concursibus et a concursu diffusionibus /39vb/ fit textura omnimodarum figurarum, omnem habens figuralem pulcritudinem, et in hiis omnibus sunt quatuor nature prime, sicut quatuor preciosi colores, ita in tabernaculo ecclesie triumphantis singule substancie racionales sunt sicut singule tabule tabernaculi.

Radii vero cognicionis amantis sive amoris cognoscentis a singulis ad singulas et universas protensi, miro et ineffabili modo adinvicem concurrentes, et a concursibus se diffundentes quasi omnimodarum figurarum pulcherimam spectabilissimam que faciunt contexionem cortinarum, in qua contexione quatuor preciosi colores sunt quatuor prime virtutes, ubi pro prudentia celesti fulget iacinctus contemplacionis qua videtur ineffabilis pulcritudo summe veritatis. Loco iusticie albet bissus sanctificacionis quia bissum sanctificationes sunt sanctorum. Loco fortitudinis rubet coccus impassibilitatis. Loco temperancie vernat regalis purpura ordinacionis. Et cum ipsi superni spiritus cognicione amante sive amore cognoscente agant, quecumque agant ex cuius cognicionis amantis radiis fit supradicta contextio.

Possunt in eadem textura omnium supernorum spirituum conspici descripta ministeria. Omnes enim administratorii spiritus sunt missi in ministerium propter eos qui hereditatem capiunt salutis. In illa itaque textura conspici potest quomodo angeli, qui interpretantur nuncii, radios contemplacionis sue in lucem summe veritatis irrepercusse dirigunt, indeque quid divina voluntas velit de communiter agendis et observandis ab omnibus sine nubilo errorum agnoscunt, agnitamque voluntatem Dei de nobis occultis interioribusque verbis nobis nunciant, et per quasdam similitudines rerum corporalium in spiritu nostro nondum apto lucem incorpoream in se conspiciere describunt, ob quod ministerium et angeli, hoc est nuncii, nominantur. Et ex eorum persona, secundum aliam translacionem, dicitur in Canticis Canticorum: "Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti." [cf. Augustinus, De Trinitate, 1, 8]

Nos itaque qui de [sub] hoc tabernaculo diebus consecracionis nostre iubemur non exire, sed sub eo continue [?] contine MS] manere, de cuiuslibet /40ra/ [eius] pulcritudinis eius contuitu in mente nostra debemus pro modulo nostro aliquam pulcritudinem eius assimilata descriptione reportare. Hec est enim nostra iusticia, similitudo cum supernis divinisque substanciis secundum possibilitatem assimilandi illis. De contuitu itaque ministerii angelici reportemus et nos ut scimus Dei nuncii a fonte summe veritatis per scripturas et ora doctorum quasi per quasdam fistulas hauriendo que communiter ab omnibus observanda velud saluti necessaria predicando nunciemus, calamoque lingue nostre in mentibus auditorum describamus. Ob quod ministerium et nos angeli nuncupamus, testante Malachias: "Labia sacerdotis custodiunt scienciam, et legem ex ore eius requiram, quia angelus Domini exercituum est." [Mal. 2:7] Et Ysaias, ex hoc quod sumus pacem evangelizantes, et pro non suscipientibus illam amare flentes ait: "Ecce videntes clamabunt foras, angeli pacis amare flebunt."

Nisi itaque hoc ministerium nunciandi Domini verba valeamus complere, quid erimus nisi non angeli sed "canes muti, non valentes latrare?" [Is. 56:10] Et quid ridiculosius quam loqui ignarus vel mutus nuncius? Per qualem nuncium nec mittentis voluntas aperitur, nec is ad quem mittitur certior redditur. Cum hoc tamen sit nuncii officium ut de mittentis voluntate eum ad quem mittitur efficiatur certum, cumque nuncii officium muto non iniungatur nisi et iniungens sit stultus, et qui iniunctum officium suscipit presumptuosus, patet quod qui talibus committunt curam animarum argui possunt stulticie, et tales suscipientes curam presumpcionis temerarie. Quis enim homo mutus se audet gerere nuncium intermedium hominum, et tu impudentissimus, canis mutus, te audes

gerere nuncium intermedium Dei et hominum. Apostoli, ut essent nuncii, loquuti sunt omni lingua, [cf. Act. 2:4] et tu vis esse nuncius mutus in omni lingua. Non simus itaque impudenter muti, sed per verbi Dei predicacionem, Dei nuncii, imitatores ministerii angelici.

Insuper in textura tabernaculi superni ad hec speculemur quo Archangeli ad divina consilia contemplanda familiarius admittuntur, et per eosdem eadem consilia secrecius dispensentur, et ab hac speculatione nobiscum reportemus, ut et nosmetipsi non solum precepta /40rb/ communiter omnibus observanda, sed et consilia perfectioribus immitanda familiarius et diligentius investigemus, et secrecius operemur ut non solum ex precepto omnibus communi interiori affectu diligamus proximos, sed etiam ex consilio perfectiori exteriori exhibicione beneficii diligamus et inimicos. [cf. Mt. 5:44, etc.] Non solum ex precepto communi non occidamus, vel non percuciamus, sed ex consilio familiariori: “Si quis te percusserit in una maxilla, prebe ei et alteram.” [Matt. 5:39] Non solum ex precepto non rapiamus alienum, sed ex secreciori consilio: “Si quis abstulerit vobis tunicam, prebeamus ei et pallium.” [cf. Matt. 5:40] Hec et hiis similia Dei consilia diligentius investigando, et secrecius et arcus observando poterimus quadam, licet longinquam, imitatione archangelicum ministerium pro modulo humane fragilitatis complere.

Si itaque sumus admissi ut consiliarii et secretarii ad consilia Domini, ut simus iam non servi sed amici, quia omnia quecumque audivit a Patre nota fecit nobis, [cf. Ioan. 15:15] qua fronte contenti erimus si sola precepta etiam servis data faciamus, nisi et consilia ut amici superaddamus? Ex consilio itaque, quia et hoc non precepti sed consilii est, preceptis consilia superaddamus, ut similitudinem ministerii Archangelici qualem possumus in hac valle miserie geramus.

Reflectamus adhuc mentis nostre aciem ad superni tabernaculi preciosam texturam. In eiusque contexione perspiciamus qualiter illi superni spiritus, qui Virtutes appellantur, virtutem ac prodigiorum occultas perpetuasque causas rimantur, quorum ministerio eadem signa et prodigia ex elementis mundi quando volunt terris potenter exhibentur. Hii incerta et occulta sapiencie Dei in ipsa sapiencia continentur, et in manu ipsorum causarum in verbo Dei occultarum efficiencie mundo spectande mirandeque diriguntur. De huius mirande pulcritudinis contuitu reportemus et nos amorem rimandi incerta et occulta sapiencie Dei, ut possit in nobis perfici quod canitur ore Psalmigraphi: “Incerta et occulta sapiencie tue manifestasti michi.” [Ps. 50:8] Horum quoque beatorum spirituum imitationem habent spiritualem qui vite sanctitate mirabiles virtutes et miracula faciunt, /40va/ ut fidem quam verbis predicant et moribus ostendunt miraculis et signis sequentibus confirmant.

Sed quia nunc, fide confirmata, abiit tempus faciendi miracula, et etiam cum mirum sit cuius invencio est rara, si frequenter fierent, ut testatur Augustinus, iam non essent mira[cula]. [cf. Augustinus, Retractationes 1, 14] Si itaque horum beatorum spirituum operacionem spiritualem nunc volumus imitari, non de elementis mundi signa et prodigia exhibebimus, sed de nobismetipsis talia opera exeremus ad Dei laudem et proximorum edificacionem. Qualium operum in communitate humani generis invencio sit rara, ipsaque sint pre sue sanctitatis excellencia admiracione dignissima. Harum beatitudinum specialissimam imitationem nunc michi videntur hinc Fratres Minores, qui in vite sancte excellencia admiranda de seipsis faciunt mirabilia. Simus igitur et nos eorum imitatores, unusquisque in genere suo et in professione sua aliquid sanctitatis exerens quod a communitate sui generis merito sit, ipsum segregans ut unicuique nostrum sit illud proprium: “Non est inventus similis illi qui conservaret legem excelsi.” [Eccus. 44:20]

Talem itaque admirandam differenciam ad ceteros unusquisque nostrum adeptus, adhuc mentis contuitum in supernum convertat tabernaculum, et in pictura texture eius prospiciat qualiter illi beati spiritus, qui Potestates nominantur, potestatem accipiunt pro hiis qui hereditatem capiunt salutis exturbare et debellare demonum hominumque contrarias potestates. Et de hoc contuitu reportemus fortitudinem et audaciam opponendi nos murum viriliter pro domo Domini, ut “induti lorica iusticie, et calciati pedes in preparacionem evangelii pacis, assumentes galeam salutis et scutum fidei, accincti gladio verbi Dei.” [Eph. 6:15-16] Colluctemur non solum “adversus carnem et

sanguinem” pravorum hominum, “sed adversus principes, et potestates, et rectores tenebrarum harum,” [Eph. 6:12] non timentes “eos qui occidunt corpus.” [Matt. 10:28] Liberemus “pauperem a potente, pauperem cui non est adiuto,” [Ps. 71:12] eripientes “pauperem et egenum de manu peccatoris liberantes.” [Ps. 81:4] Alioquin audiemus illud probrosum: “Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis vos murum pro /40vb/ domo Israel.” [Ez. 13:5] Et consequenter illud eiusdem prophete timendum, quod adicit de talibus: “In consilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur.” [Ez. 13:9] Simus itaque et harum scienciarum Potestatum imitatores, cum Iosue et Machabeis, robusti pro domo Domini bellatores.

Sic itaque victoria potiti, referamus totidem mentis aspectum in texturam superni tabernaculi. Et in ea aspiciamus qualiter illi beati spiritus, qui Principatus vocantur, alcius predictis speculantur, liquidiusque previdenti Patris Verbum, omnisque creature principium et primogenitum. Et ex hac visione tanta dotantur Principatus dignitate, ut ubicumque terrarum habeant potestatem, quasi de summo quoddam rerum cardine regna, et principatus, et quaslibet pro arbitrio dignitates imitare et ordinare, et pro quorumcumque meritis primos novissimos, et novissimos primos facere, deponere potentes de sede et humiles exaltare. De hac itaque visione reportemus et nos amorem speculandi, et liquide previdendi, qualiter “in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum,” [Ioan. 1:1] et qualiter “in principio,” quod est Verbum, “creavit Deus celum et terram,” [Gen. 1:1] et est omnis creature principium. Horum sanctorum Principatum specialem imitationem habent hii prelati ecclesie quibus dictum est Ieremia: “Ecce dedi verba mea in ora tuo. Ecce constitui te hodie super gentes et regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipas, edifies et plantes.” [Ier. 1:9-10] Horum manifestissimam similitudinem inter homines gerit summus pontifex, in cuius manu precipue sunt omnes ecclesie dignitates et etiam omnia iura regnorum. Quod si nos minores tam familiarem imitationem horum Principatum habere non possumus per historicam imitationem potestatum et regnorum, ne eorum imitationis simus omnino expertes, commitemus in nobismetipsis regnum cupiditatis in regnum caritatis, deponamusque de sede fastuosum regem superbie, et elevemus in solium regni caput humilis obediencie. Hoc modo nos Principatum sanctorum imitatores referamus itidem mentis contuitum in superni tabernaculi texturam. /41ra/

Consideremusque in ea qualiter illi beati spiritus, qui Dominaciones nuncupantur, subtilius sublimiusque ceteris Christi interminabilem, frangibilemque dominatum contemplantur. Quomodo scilicet ipse ubique in universitate, non solum potens sed etiam presens, supra infraque, obsequi rectissime voluntati sue cursus temporum, motus corporum, motus mencium, ordine utique pulcherimo cogat, idque cura tam vigili, ut ne momento quidem unum horum omnium debitum subtrahere famulatum ullatenus liceat, opera cuncta tamen tam facili ut turbacionem aut anxietatem ullam omnino ipse gubernator non sentiat. Intuentes igitur ille beate Dominaciones Dominum Christum Patris Verbum cum tanta tranquillitate iudicantem, intensissime, suavissimeque contemplacionis stupore nimio sed sensato rapti in idem divine claritatis tam ingens pelagus, recipiunt sese in secreciora, quodam mire tranquillitatis recessu, ubi tanta pace ac securitate fruuntur, ut quiescentibus ipsis pro reverencia prerogative tanquam vere dominacionibus militare et ministrare videatur cetera iam dicta multitudo. De hac itaque Dominacionum sanctarum visione reportemus, et nos nobiscum amorem assurgendi in dominacionis Christi suavissimam contemplacionem, in eamque nosmetipsos totos recipiamus, et in ea tranquillissima pace fruentes securissime quiescamus, solumque Christum supra nos aspicientes, mundum totum nobis inferiorem despiciamus, soliusque Christi dominatui adherentes mundo toti tranquillissime dominemur. Fruicione namque dominacionis ipsius ipsi dominanti insolubiliter adherentes, et sic cum eo dominante spiritus unus effecti, quomodo in eo universitatis domino non dominabitur universitati? Has itaque sanctas Dominaciones specialissime imitantur viri contemplativi, qui mundo toti abrenunciantes, solius Christi Domino se subiugarunt. Et quanto plus a mundo sunt alieni, tanto plus

in Christo dominante ipsius mundi sunt domini. Si itaque solius Christi dominatui inhereamus, in ipso Christo mundo dominantes sanctarum Dominacionum similitudinem tenebimus.

Sed /41rb/ adhuc ut ulterius proficiscamur, referamus adhuc mentis aciem in tabernaculi superni descriptionem, consideremusque in illa qualiter Dominus ipse, qui ubique presens est in ipsis spiritibus, qui Troni nominantur, quodam dignitatis munere speciali resideat, que sessio magisterium signat. Ut ille, qui est nobis magister unus in celo et in terra, Christus videlicet Dei sapientia, [cf. Matt. 23:10] cum alios ubique attingat propter mundiciam suam, specialius tamen istos, atque principalius tanquam propriam sedem sua illustrat presencia, et idem tanquam de solempni auditorio docet angelum hominemque scienciam, inde Angelisque dominorum noticia iudiciorum, inde consiliorum Archangelis; ibi Virtutes audiunt quando, et ubi, et qualia proferant signa; ibi denique universi, sive sint Potestates, sive Principatus, sive Dominaciones, discunt quid ex officio debeant, quid pro dignitate presumant, et quod precipue omnibus tantum est accepta potestate ad propriam voluntatem seu gloriam non abuti.

Horum spirituum celestium precipuam gerunt in terris similitudinem magistri scholarum, de quibus quasi de cathedra magistrali Deus docet hominem scienciam, per quorum depromit ora universorum et singulorum officia. Quod, si Tronos ad sedes iudiciales referamus, quia et in hiis beatis spiritibus Dominus presidet, et per eos iudicia sua disponit, imitacione spirituali hos beatos spiritus imitantur iudices ecclesiastici, quibus cum doctoribus scolasticis eo ipso magna est inducta necessitas probitatis, quod sedes sapientie sunt et vocantur. Et sicut in regis palacio, cum plenum sit sellis, regia sedes in eminenti posita cernitur ceteris aliorum sedilibus. sic hii omni decoris ornatu cunctis aliis preeminere intelliguntur.

Qui autem nec magistri possunt esse scolastici nec iudices ecclesiastici, ne horum beatorum spirituum imitacione videantur omnino privari, diudicent semetipsos ne iudicentur. Quia "si nosmetipsos diudicaremus, non utique iudicemur." [1 Cor. 11:31] In civitate itaque anime nostre populus virium anime iudicem eligat rationem, cui sit lex Scriptura sacra, tribunal immobilitas et inflexibilitas a quatuor anime /41va/ affectibus, apparitores recordacio, contuicio, expectacio, qui populum voluntatum et actuum voluntariorum preteritorum, presencium, et in deliberacione futurorum vocent ad iudicium. Auditorium sit memorie aula, testis cuiuslibet consciencia. Si itaque hunc populum in civitate mentis nostre recte diudicet, superior ratio erit, et in nobis istorum spirituum, qui Troni dicuntur, nonnulla assimilacio.

Et licet iam in istis assimilacionibus cum supernis spiritibus magnum dignitatis et decoris cumulum adepti simus, ut aliquid adhuc amplius ad decorem accumulamus, elevemus mentis oculum in ipsum supernum tabernaculum, et in eius textura aspiciamus qualiter illi spiritus, qui Cherubin nominantur, interpretatur nomen eorum plenitudo sciencie, a dictis ordinibus inferioribus nichil cognicionis accipiunt, sed de ipso fonte sapientie, Patris Verbo, Domino Iesu Christo, in quo sunt omnes thesauri sapientie et sciencie absconditi, ad plenum, sine medio, hauriunt poculum sciencie, cuius non est merius, limpidissime in ipsa veritatis luce universam pulcritudinem contuentes. De huius itaque pulcritudinis contuitu reportemus, et nos oculi interioris mundiciam, qua sine nubilo fantasmatum lucem ipsam summe veritatis irrevolverato aspectu contueamur, "Beati," enim, "mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt." [Matt. 5:8] Et cum Psalmista dicere valeamus: "Audiam quid loquatur in me Dominus Deus," [Ps. 84:9] quia ibi idem est videre et audire.

Hanc autem mundiciam habebimus cum in terrenorum delectacione nulla experte versabimur. Nunc autem in quantum in horum delectacione versamur, in tantum oculo interiori agglutinantur fantasmata rerum corporalium, nec potest eius acies dirigi inmediate in puram et omnino incorpoream veritatem, nec fit ei huius manifestacio sine inferiori angelico per similitudines corporeas ministerio. Ut igitur ad assimilacionem cum celestibus spiritibus nominatis Cherubyn magis magisque accedamus, inferiorum amorem magis magisque relinquamus, quia tunc erimus per inmediate a Deo acceptionem sciencie in eorum similitudine cum non erimus in horum inferiorum delectacione. /41vb/

Horum beatorum spirituum specialem similitudinem habuerunt antiqui patres, quos Dominus docuit per se scienciam antequam scriberetur Testamentum Vetus, et per cessationem Veteris, eandem habuerunt Apostoli antequam scriberetur Novum. Non enim esset exterius magisterium per sermonem audibilem sive per scripturam, nisi esset nostra ineptitudo audiendi intus vinci magistri Christi internam doctrinam. Sed Dei misericordia multiplicat doctrinam exteriorem cum deficit ab aptitudine suscipiendi interiorem. Defecetur ideo oculus noster interior, et defecato iam oculo respiciamus adhuc semel in superni tabernaculi texturam.

Contueamurque ibi quomodo illos spiritus beatissimos, qui Seraphin nuncupantur, et ardentia vel incensa interpretantur, Deus noster, qui est ignis consumens [Hebr. 12:29] ardor videlicet caritatis, totos in se totum traxit et absorbit, rapuitque in sancte affectionis ardorem, ut cum eo spiritus unus efficiantur, ad instar ignis, qui aierem inflamat, et dum ei totum calorem suum inprimit, induitque calorem non iam ignitum, sed ignem fecisse videatur. Et de hac visione reportemus et nos ardentem et superfervidum amorem, quo supra nosmetipsos ebullientes toti in ipsum feramur, cui debemus amorem non solum quem universe creature quantavis proporcione maiorem, sed incomparabiliter maiorem, ut in supereminenti caritate, que nunquam excidit, geramus et horum spirituum similitudinem specialem.

Simus igitur imitatores Angelorum fideles, nuncii divinorum iudiciorum. Simus Archangelorum sectatores et amici, secretarii divinorum consiliorum. Simus eciam cum Virtutibus in vita nostra per sanctitatem eximiam signa, id est admiranda facientes, et cum Potestatibus aierarum potestatum et hominum malignancium armis iniurias propulsantes; cum Principatibus quoque summum cognoscentes principium principatum, et regnum cupiditatis commutemus in regnum caritatis, et cum Dominacionibus in tranquillissimam dominacionem Christi, dominantes erecti omnes sub nobis creaturas irracionales, /42ra/ malasque racionales despicientes eisdem tranquillissime dominemur creatis. Cum Tronis nosmetipsos, immo omnia, iudicemus, quia "spiritualis homo omnia iudicat et a nemine iudicatur." [1 Cor. 2:15] Cum Cherubyn mundato oculo simus omnes Dei docibiles, et cum Seraphyn supereminenti caritate que nunquam excidit sine fine ferventes.

### Dictum 53

#### De feno

Fenum signat hominem carnalem, sicut dicit Isa. 47: "Omnis caro fenum." [Is. 40:6] Et paulo post, seipsum exponens ait: "Vere fenum est populus." [Is. 40:7] Et iterum: "Quis tu ut timeres a mortali filio hominis qui quasi fenum ita arescet?" [Is. 51:12] Ecclesiasticus: "Omnis caro sicut fenum veterascit." [Eccus. 14:18] Iacobus primo: "Dives sicut flos feni transibit; exortus enim est sol cum ardore et arescet fenum, et flos eius decedit, et decor vultus eius deperiit." [Iac. 1:10-11] Petri primo: "Omnis caro" etc. [1 Petr. 1:24]

In verbis quoque istarum auctoritatum satis patet cur carnalis homo feno comparatur, quia scilicet cito desiduus est in eo viror prosperitatis, et flos iocunditatis, et omnis decor terrene potencie et dignitatis. Unde in libro Machabeorum: "A verbis viri peccatoris non timueritis, quia gloria eius stercus et vermis est; hodie extollitur et cras non invenietur, quia conversus est in terram suam et cogitacio eius periit." [1 Mach. 2:62-63] De hoc eodem, Ambrosius in Exameron: "Omnis caro fenum, et vere; viret enim gloria hominis in carne quasi fenum, et que putatur esse sublimis exigua quasi herba est, prematura ut flos, caduca ut fenum, germinans viriditatem in specie non in fructu soliditatem, hillarioris vite quasi flos pretendens iocunditatem, breviori spacio occasura, sicut herba feni quod priusquam evellatur exaruit." [Ambrosius, Exameron, 3, 7, 29: CSEL 32/1, p. 78]

Que enim fortitudo in carne, que salubritas potest esse diuturna? Hodie videas adolescentem validum pubescentis etatis, virtute florente, grata specie, suavique colore; crastina die



tibi facie et ore mutatus occurrat, et qui pridie lautissimus decore forme visus est graciosus, alia die miserandus apparet alicuius egritudinis infirmitate solutus, plerosque autem labor fatigatos aut inopia macerat, aut cruditas vexat, aut vina corrumpunt, aut senectus debilitat, aut eviratos deliciae /42rb/ reddunt, aut luxuria decolorat.

Nonne verum est quia aruit fenum, et flos eius decidit? Alius abavis attavisque nobilis et maiorum honestatus, infulis prosapie veteris clarus, insignibus amicis habundans, stipatus clientibus, utrumque latus tectus producens maximam ac reducens familiam, repente aliqua accidentis periculi mole turbatus destituitur, ab omnibus sodalibus derelinquitur, inpugnatur a proximis. Ecce verum est quod "sicut feni" vita hominum "priusquam evellatur exaruit. Est enim qui dudum affluens ubertate copiarum, liberalitatis fama per ora volitans singulorum, clarus honoribus, preeminens potestatibus, tribunalibus celsus, solio sublimis, beatus a populo estimatus, dum preconum clamore deducitur, subita rerum conversione in eum carcerem rapitur quo alios ipse detruserat, et inter reos suos iminentis pene luit erumpnam." [Ambrosius, Exameron, 3, 7, 29: CSEL 32/1, p. 78]

Huiusmodi est "gloria hominis sicut flos feni," [Iac. 1:10] que etiam cum defertur nichil operis adiungit, in qua nullus fructus acquiritur, et cum amittitur evanescit. Et quis homo videns hec non exclamat cum sapiente: "Vanitas vanitatum et omnia vanitas." [Eccles. 1:2]

Quia itaque predicto modo est omnis caro fenum, et omnis gloria eius tanquam flos feni, "Neminem decet," ut ait Beda super epistolam Petri 1, "claritatem ullam computare carnis et honorem, sed solum appetere sermonem Dei, bona in eternum mansura complecti; aut si carni sit gloriandum, tunc plane quando in nominis Christi cruciatur confessione, quando forcior femina viris torquentibus invenitur, quando ignes et cruces aut ferrum aut bestias patitur ut coronetur. Illa sunt carnis preciosa monilia, illa corporis ornamenta meliora." [Beda, In epistulas septem catholicas, 2 (in 1 Petr.) 1; CCSL 121]

Ideo autem fervente sole arescit fenum, quia non mittit radices in profundum unde trahat humorem siccato humore per fervorem solis in terre superficie. Sic homines carnales in superficie rerum sensibilibum radicem amoris figunt, nec ultra eam profundant. Cumque in hac superficie siccatur humor voluptatis per estum tribulacionis, vel apparente /42va/ in die iudicii sole iusticie, cum cessabit omnis voluptas in hiis transitoriis, arescunt et decidunt timore et tristitia. Boni vero per medium specierum sensibilibum creaturarum protendunt radicem amoris in creatorem, apud quem est "fons vite saliens in vitam eternam," [Ioan. 4:14] de quo trahunt humorem, quem estus tribulacionis non exsiccatur, nec exortus solis iusticie, sed potius auget.

Hii sunt non herba, sed "lignum plantatum secus decursus aquarum." [Ps. 1:3] De hiis Ieremias ait: "Et erit tanquam lignum quod transplantatur super aquas quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit estus, et erit folium eius viride et in tempore siccitatis non erit sollicitum nec aliquando desinet facere fructum." [Ier. 17:8] Et Isaias ait: "Et germinabunt inter herbas quasi salices iuxta prefluentes aquas." [Is. 44:4] Ezechiel ait: "Super torrentem orietur in ripis ex utraque parte omne lignum pomiferum, non defluit folium ex eo, et non deficiet fructus eius per singulos menses. Afferet primiciam quia aque eius de sanctuario egredientur." [Ez. 47:12]

Herba in virore suo a terra resecta, et sic arefacta, bonum pabulum est iumentorum. Que autem in terra radicata arescit, nulli usui apta est nisi igni. Sic qui falce timoris penarum iehennalium vel acumine tribulacionis, dum adhuc viget corporis validudo, dum aridet mundana prosperitas, a terrenis amatis dividitur, et sic arescit a iocunditate mundi in habitu et luctu penitentiali, exemplo suo pabulum et refectio bona erit simplicium. Taleque pabulum iumentorum fuit Paulus, qui acuta falce, dum vireret, resectus fuit in via et aruit; [cf. Act. 9:1-19] tale pabulum et illi qui dixerunt: "Ecce nos relinquimus omnia et sequi sumus te." [cf. Matt. 19:27]

Qui autem radicatur in amore terrenorum donec flos prosperitatis et validudo corporis arescat per morbum aut senium, et decidat per mortem, cui usui aptum est nisi igni? Vel si forte in ipso fine peniteat, per exemplum bonorum operum, que nulla fecit, non erit bonum pabulum

iumentorum. Si autem in terra radicum arescat et decidat, pabulum erit illius de quo dicitur in Iob: "Ecce Beeomoth quem feci tecum, fenum quasi bos comedet." [Iob 40:10]

Fenum /42vb/ resectum a terra et arefactum, si congregetur ante plenam desiccationem, sese exurit. Sic qui mundo abrenunciant, et arefiunt a virore mundi per susceptionem habitus penitentie et religionis, nisi plene siccetur in eis humor fluide concupiscencie mundialium, ex ipso humore nascitur ardor ire quo sibi succensentur, et penitent de habitu suscepto, et "devorat ignis iste speciosa deserti," [Ioel 1:20] hoc est speciosa illorum qui deberent esse desertum et solitudo. [cf. Is. 35:1]

Item nota quod fenum tunc primo bene flagrat cum resectum in virore arescit. Similiter cum carnem nostram offerimus hostiam Deo per mortificationem, sumus Deo odor suavitatis. [cf. Eccus. 35:8]

Fenum quoque crescit ex semine et sine semine; fruges vero non sine semine. Sic et ex semine verbi male suadentis et sine tali semine crescit fenum voluptatis in carne; fruges vero virtutum non sine verbi boni semine, etc.

#### Dictum 54

##### Quomodo lingua est calamus

Lingua <hominis> sapientis calamus est scribentis, sicut ait Psalmista: "Lingua mea calamus scribe velociter scribentis." [Ps. 44:2] Hic calamus cavatur per humilitatem. Unde Thobie 4o: "Superbiam in tuo sensu et tuo verbo numquam dominari permittas." [Tob. 4:14] Hic calamus circumcidi debet, ita ut aperte dextera tollatur ociositas, scurilitas, et temeritas. A parte sinistra tollatur falsitas, immundicia, detractionis acerbitas. Findi debet discretione, incurtari a tediosa prolixitate, subtiliari ipsius brevilocuii luciditate. Rigidus sit, nec plicet se bilingui duplicitate, nec nimis sit mollis palpante adulacione.

Acies vero sic calamum circumcidens et ad scribendum habilans timor est penarum vicia lingue sequentium. Ociositatem itaque abscindit, Matthei 12o, cum dicit: "Omne verbum otiosum quod loqui fuerint homines reddent rationem de eo in die iudicii." [Matt. 12:36] Scurilitatem et temeritatem et sermonis inmundiciam voluit Paulus abscindere cum dicit ad Ephesios 5o: "Fornicatio" etc. "et omnis inmundicia aut avaricia non nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurilitas, que ad rem non pertinet." [Eph. 5:3-4] Temeritatem etiam abscindit Ecclesiastico 9o [quo MS]: "temerarius in /43ra/ verbo suo odibilis erit." [Eccus. 9:25] Falsitatem abscindit liber Sapientie primo, cum dicit: "Os quod mentitur occidit animam." [Sap. 1:11] Et Psalmus: "Perdes omnes qui loquuntur mendacium." [Ps. 5:7] Detractionem tollit Paulus, cum dicit: "Detractores Deo odibiles," [Rom. 1:30] et Iacobi 4o: "Nolite detrahere alterutrum fratres, quoniam qui detrahit fratri detrahit legi." [Iac. 4:11]

Discretione findit hunc calamum Salomon, cum ait in Proverbiae 13: "Qui inconsideratus est ad loquendum senciet mala," [Prov. 13:3] quasi diceret loquelam precedet consideracio et discretio. Et iterum idem: "Os iustorum parturit sapienciam," [Prov. 10:31] quia premeditando cum discretione parit.

Multiloqui prolixitatem incurtat Salomon in Parabolis 10: "In multiloquio non deerit peccatum." [Prov. 10:19] Et Dominus ipse in Matthei sexto: "Orantes nolite multum loqui." [Matt. 6:7]

Luciditatem sermonis voluit Paulus cum dixit, ad Ephesios ultimo: "Ut detur mihi sermo in apercione [operacione MS] oris mei," [Eph. 6:19] et ad Colossenses 4o: "Orantes ut Dominus aperiat nobis ostium sermonis," [Col. 4:3] et 2 ad Thessalonicenses 3: "Orate pro nobis ut sermo currat et clarificetur." [2 Thess. 3:1] Aperto enim ore loquitur qui verba habet manifesta et dilucida; clauso ore qui verba loquitur obscura. Sic Dominus aperiens os suum doctrine lucidate docebat.

Rigorem autem ne plicet se bilingui duplicitate incutit Salomon in Parabolis 8, cum dicit: “Et os bilingue detestor.” [detector MS] [Prov. 8:13] Molliciem palpitantis adulacionis tollit Ezechiel cum dicit: “Ve qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universe etatis.” [Ez. 13:18]

Calamus autem iste nil obscurum strepat susurrando aut murmurando, sicut monet Sapiencie primo: “Custodite vos a murmuracione, que nichil prodest, et a detractioe parcite lingue, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit. [Sap. 1:11] Non nimis precipitanter discurrat precipitata velocitate, unde Iacobus: “Sit omnis homo velox ad audiendum,” etc. [Iac. 1:19] Non inhereant huic calamo pili mundanarum [mundanorum MS] superfluitatum que lituram [literam MS] faciant. Hos pilos abstraxit Iohannes in epistola sua canonica prima, 2o: “Nolite diligere mundum,” [1 Joan. 2:15] et Iacobi 4: “Amicicia huius mundi inimica [inimicicia MS] est Deo.” [Iac. 4:4] Manus autem hoc calamo scribens verbum Patris est, quod idem est et manus Patris, in qua manu sumus /43rb/ et nos et sermones nostri. Unde in Proverbiae 10: “Hominis est animum preparare, et Dei gubernare linguam,” [Prov. 16:1] quia “linguam nullus hominum domare potest,” ut ait Iacobi 3o, [Iac. 3:8] sed solus Deus, ut ait Augustinus, in cuius manu est. [cf. Confessiones 11, 2]

Intingi debet hic calamus in puro et summe veritatis perspicuo fonte, ubi humectetur non attramenti nigredine sed aureo splendore sapiencie. Unde inscribat non literas nigras in pelle mortua, sed literas aureas in mente viva. Usui alterius calami aptatur pellis mortua, usu huius calami mens mortua fit viva.

Alter calamus pellem cui inscribit a carne non separat. Hic autem calamus et mentem cui inscribit a carne [non] separat, et separatam ut dictum est vivificat.

Solet etiam altero calamo manus scribens pellem cui inscribit sordidare. Hoc autem calamo manus scribens, que ubique attingit propter mundiciam suam, solet cui inscribit mundificare. Debet autem id cui inscribit iste calamus abradi novacula timoris penarum iehennalium, et postea planari attricione lapidis cavernosi, id est frequenti recordacione Christi vulnerati, quia Christus lapis est per vulneracionem cavernatus. [cf. Act. 4:11] Erit id cui inscribitur molle receptione et sensibilitate, sed firmum et stabile inscripti retentibilitate. Unde tam tabulis carneis quam tabulis lapideis comparatur: carneis propter sensum et receptionem, lapideis propter firmam retentionem. Unde in Exodo 31: “Dedit Dominus Moysi lapideas tabulas scriptas utrasque digito Dei.” [Ex. 31:18] Ad Corintheos vero ait Apostolus: “Non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus.” [2 Cor. 3:3] Unde Ezechielis 2o: “Auferam cor lapideum,” quo ad duriciam receptionis, “et dabo eis cor carneum,” quo ad facilitatem et sensum receptionis. [Ez. 11:19]

Mala autem lingua calamus <cavus> [cavus del. MS] est per inanitatem vanitatis. “Vana enim loqui sunt unusquisque ad proximum suum.” [Ps. 11:3] Et alibi: “Loqui sunt vanitates.” [Ps. 37:13] Exuberant autem hinc ociositas, scurilitas, et temeritas, inde falsitas, immundicia, detractioe acerbitas. Non est fissus discrecione. Prominet in longum tediosa prolixitate. Nec subtiliatur brevilocuii luciditate. Plicat se bilingui duplicitate. Nimis mollis est palpanti /43va/ adulacione. Obscurum quid strepit susurro et murmure, discurrat precipitata velocitate, movetur enim furia aliqua agitante prius intinctus in attramento iehenne, unde et illud cui inscribit dinoscitur incendere.

“Lingua enim,” ut ait Iacobi 3, “ignis est, inflammata a iehenna, incendens rotam nativitatis nostre.” [Iac. 3:6] “Modicus est quidem ignis, sed magnam siluam incendens.” [Iac. 3:5] Unde Ecclesiastici 20: “Apercio oris eius inflammacio est.” [Eccus. 20:15] Inscribit autem tales literas aut superbia turgentes, aut invidia liuentes, aut ira inflammatas, aut immundicia lutas, aut in affectu aliquo pravo infectas et maculatas.

Nec solum calamus talis illud cui inscribit conmaculat, sed et ipsius in quo radicatur subversio est, et confusio, et ruina. Unde Ecclesiastici 5o: “Lingua imprudentis subversio est illius.” [Eccus. 5:15] Et in Proverbia: “Os stulti confusio proximum est.” [Prov. 10:14] Et iterum Parabolis: “Propter peccata labiorum ruina proximat malo.” [Prov. 12:13]

Quanta ergo diligencia lingua custodienda est, que et loquentem et auditorem secundum sui dispositiones informat aut deformat; cuius operatio a mentis intimo inchoat et ad mentis intimum penetrat, quia inchoatio operis eius verbum est interius, quo menti nichil intimius est, et in verbo interiori menti audientis inscripto eiusdem operis est consummatio. Per eam inscribitur anime veritatis pulcritudo, instillatque vite gracie infusio, ac per id ab omni morbo peccati sanatio. Hec est amicicie iocunde multiplicatio, animorum colligatio, secretorum propalatio in cuius ministerio ceteris creaturis precellimus, sine cuius ministerio in tenebris ignorantie obvoluti ceteris viliores essemus. Unde Salomon in Proverbiae 10: "Vena vite os iusti." [Prov. 10:11] Et eodem: "Sapientum lingua sanitas." [Prov. 12:18] Et Ecclesiastici 6o: "Verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos." [Eccus. 6:5]

Adde ad hoc quod in interiori verbo sumus Dei similitudo; in verbo autem sonante et signante exteriori est expressiva similitudo verbi incarnati. Quid igitur tam diligenti custodia observandum ut verbum in quo nostra summa consistit dignitas, quod qui custodit, ut patet ex iam dictis, custodit /43vb/ animam suam. Et sicut ait Salomon, Proverbiae 12: "Qui custodit os suum custodit animam suam," [Prov. 13:3] in quo "qui non offendit, perfectus est," [Iac. 3:2] sicut ait Iacobi 3. Et in Proverbiae 14: "Qui moderatur labia sua prudentissimus est." [Prov. 10:19] Et Ecclesiastico: "Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo." [Eccus. 14:1] Cum enim verbi nomen aglutinet simul verbum interius cum exteriori, verbumque interius omnis operis sit principium, patet quod qui non offendit in verbo in nullo offendit, quia si offendit in alio, prius offendit in verbo, quod est illius operis principium. [cf. Iac. 3:2]

Ne igitur offendas in verbo, "pone custodiam ori tuo, et ostium circumstantie labiis tuis," [Ps. 140:3] et sicut monet sapiens in Ecclesiastico: "Ori tuo facito ostium et seras ipsum." [Eccus. 28:28] Verbum autem interius, de thalamo memorie procedens, [cf. Ps. 18:6] quasi vehiculum verbi sonantis ascendit, et progreditur per cavum oris quasi per ostii aperturam, cuius ostii valve sunt instrumenta vocalia. Inter quod ostium et dictum thalamum quasi deductrix quedam sedet circumspectio prudens, que omne verbum volens egredi prudenter et vigilanter considerat an ipsum sit amictum veritatis lumine ut possit aspectum mentis, ad quam vult progredi, illuminare, et an sit effective rectum et vivax ut possit affectum rectificare et vivificare. Et si viderit illud tale, deducit illud ad ostiarium ut ei aperiat. Ubi autem viderit illud non tale, clamat ostiario ut ei claudat.

Est autem ostiarius aperiens amor illuminandi aspectum et accendendi affectio mentis aliene. Ostiarius vero claudens est odium contrarii. Valve ostii clause sunt instrumenta vocalia in quiete a motu formante vocem signativam. Eodem aperte sunt eadem instrumenta in motu formante vocem signativam, quas valvas aperit ostiarius cum imperat virtuti motive ut moveat ad vocis signantis formationem; claudit vero cum imperat quietem a tali motione.

Dictum 55

"Dedi te in lucem gentium," expositum de Iohanne Baptista

"Dedi te in lucem gentium ut sis salus mea usque ad extremum terre." [Is. 49:6] Verba sunt prophete, que nunc recitat ecclesia in laudem plus quam prophete Ysaie, videlicet verba in laudem Iohannis baptiste. Iohannes interpretatur "cui donatum est," [Hieronymus, De interp. hebr. nom., etc.] et quasi quereretur /44ra/ a quo quid ei donatum est, et ad quid, respondet propheta, donatum ei esse a Domino. Hec enim verba Domini sunt, per os Ysaie. Quid? Esse in lucem gentium. Ad quid? Ut sit salus eius usque ad extremum terre. Magnus cui donatur, quia "inter natos" etc. [Matt. 11:11; Luc. 7:28] Maximus a quo donatur, quia "magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis eius non est finis." [Ps. 144:3] Tanti donatoris ut decet "donum perfectum," lux videlicet, "que desursum est descendens a patre luminum." [Iac. 1:17] Doni perfecti finis optimus

idemque latissimus: “ut sis,” inquit, “salus mea usque ad extremum terre.” Quid enim hac salute melius aut hac extensione latius?

Cum igitur in hoc verbo prophete breviter expressa sit quatuor, donator scilicet, et cui donatur, donum, et finis doni, de doni magnitudine et perfectione prius intendat caritas vestra, quia non nisi tanti doni participacione tanta preeminet is cui donatur magnitudine. Ei enim cum ceteris dicitur: “Quid habes quod non accepisti.” [1 Cor. 4:7] Et ipsemet cui donatum est, ex accepto dono, non ex sese recognoscens aliquem, ait: “Non potest homo accipere quicquam nisi fuerit ei datum de celo.” [Ioan. 3:27] Donum itaque istud, ut predictum est, lumen est “descendens a patre luminum.” [Iac. 1:17] Lumen inquam magnum, non tamen maximum, quia lumen illuminans, sed illuminatum a lumine illuminante non illuminato.

Non enim erat ille Iohannes videlicet lux substanciandi vera, sed “ut testimonium perhiberet de lumine,” [Ioan. 1:8] quod lumen erat “lux vera,” id est ex se lucens, non ex alio illuminata, “que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,” [Ioan. 1:9] cuius participacione Iohannes illuminatus datus est “in lucem gencium.” [Is. 49:6] Iohannes igitur non ex se, sed aliunde lumen est. Ideoque de illo dicitur: “Ille erat lucerna ardens et lucens.” [Ioan. 5:35] Et alibi: “Paravi lucernam Christo meo,” [Ps. 131:17] quia lucerna est que aliunde illuminatur, que accendi potest et extingui. Ipsa autem lux cuius participacione Iohannes lucet nec accendi potest nec extingui, quia eterna est et inaccessibilis.

Lux autem omnis manifestacio est, vel manifestans, vel manifestata, vel cui manifestatur. Quedam enim lux [ma] /44rb/ manifestat se et alia quedam, cum ipsa sibi non possit esse manifesta, sed alii luci se pociori, utpote lux ista solis visibilis, cui nichil est manifestum, manifestat se et colores, sed luci pociori, hoc est visui. Visus enim lux est, aliter namque non dicerentur oculi videncium lumina, [cf. Isidorus, Etymologiae, 11, 1, 36] nec ceci carentes lumine.

Est enim et alia lux cui manifestantur quedam alia, nec ipsa adhuc sibi ipsi est manifesta, ut visus ceterique sensus particulares, quibus manifestantur sensibilia, nec ipsi tamen sibi ipsis sunt manifesti. Non enim visus se videt, vel auditus se audit, nec aliquis ceterorum sensuum particularium se sentit. Hec tamen lumina sensuum particulariorum superiori luci cuidam statim manifestantur. Sentit enim sensus quidam sensus communis sensus particulares agentes. Sed an sensus particulares se manifestant sensui communi, an in altero quodam lumine ei manifestentur, non temere diffinierim.

Est et tertium genus lucis cui et alia et ipsamet sibi manifestantur, non tamen ipsamet hec sibi manifestat, sed eget alio manifestante, utpote intellectiva, cui manifestantur intelligibilia, de quorum numero est ipsa intellectiva. Verumptamen non ipsa hec igitur manifestat, sed a superiori lumine sibi manifestantur.

Est autem quartum genus lucis, que ipsa sibi se manifestat et in seipsa omnia alia sibi sunt manifesta. Non ad huic luci aliquid manifestat, sed ipsa susceptilibus sue illustracionis, et se et alia que vult, manifestat. Lux itaque ista est perfectissima, que non accidentaliter nec aliena participacione lux est, sed essentialiter per se manifestans omnia per se manifestata. Sed solum illi nature, que per modum aliquem est omnia, cui hac luce non alico alio manifestante, manifesta sunt omnia. Huius lucis comparacione omnis alia lux in se considerata tenebra est, quia aut talis est ut nichil possit sibi fieri manifestum licet sit alicuius manifestacio, aut eget altero manifestante ut sibi fiat manifestacio.

In omni igitur alia luce in se considerata tenebre sunt alique. Deus autem, ut ait Iohannes: “Lux est, et tenebre in eo non sunt ulle.” [1 Ioan. 1:15] Ab hac luce, ut supradictum est, non ex se, lucebat ille /44va/ cui datum est esse in lucem gencium.

Quemadmodum enim sol iste corporalis non ab alia luce corporali lucet sed in se lucens, sydera, ut creditur, non ex se lucencia, illuminat, que illuminata, terram et noctem illuminant, fiuntque ex dono solis lumina noctis, sic lux illa que Deus est, ex se et in se lucens, omnes sanctas

mentes, que ex se non lucent, sui illustratione illuminat, que illuminate noctem peccatorum et tenebrosorum illuminant, et fiunt eius dono lux peccatorum.

Et quemadmodum sol iste corporalis, si haberet sermonem, dicere posset unicuique stelle, “dedi te in lucem noctis,” sic Deus potest dicere unicuique menti illuminate, que aut doctrina aut exemplo gentes peccatrices illustrat ad fidem et caritatem, “dedi te in lucem gencium.” Sed cum hoc possit cuilibet tali dici, qualiter dictum est hic quasi singulariter in laudem Iohannis, nisi quia Iohannes est inter ceteros sanctos velud lucifer inter ceteras stellas? Et quemadmodum, licet sol dicere possit cuilibet stelle, “dedi te in lucem terre,” prerogativa tamen quadam maioris et purioris lucis dicere possit lucifero, “te,” quasi per quandam excellenciam, “dedi in lucem terre.” Sic dictum est Iohanni, quasi quadam prerogativa, “dedi te in lucem gencium.” Ipse enim, ut dictum est, lucifero comparatur, quia ipse fuit precursor solis iusticie, eius exortum suo exortu precurrente denunciatis et predicacionem predicacione, velud lucifer precurrit exortum solis eius, que premonstrat adventum. Item quemadmodum lucifer finit noctis tenebras et inchoat diei lucem, sic Iohannes fuit finis umbre legis veteris et initium lucis legis gracie, “quia lex et prophete usque ad Iohannem.” [Matt. 11:13]

Item, eadem est stella lucifer precurrentis ortum solis, et vespere, diei finem monstrans. Sic idem sunt, non in persona sed in virtute, Iohannes, Christi precursor nascentis, et Helias, in fine mundi venturus, eius denunciatis terminum, [cf. Matt. 17:10-12] quia si vultis scire, Iohannes ipse est Helias, sicut lucifer ipse est vespere.

Item, equale est tempus quo sol et lucifer secundum motum medium et equalem uniformem /44vb/ cursus suos perficiunt, sic cursum huius vite Christus et Iohannes equali tempore perfecerunt, quia non fuit in spaciis vite eorum differentia computabilis. Lux autem maxima maximeque perspicua, qua Iohannis vita fuit preclara, vita fuit penitencialis, quam et precipue predicavit verbo et monstravit exemplo. Penitencia autem initium salutis est, quapropter Iohannes, datus in lucem vite penitencialis, recte fuisse dicitur salus Domini. Penitencia enim per ipsum predicata et monstrata, salus est gencium et propria medela vulneris peccati, que salus gencium eadem dicitur salus Domini, quia quod membrorum est, capiti attribuitur.

#### Dictum 56

De virtute, quid sit, et quomodo orientur quatuor virtutes cardinales, et de concordia quarundem diffinitionum virtutis, et quod nullus infidelis habet veras virtutes

Bonitas, que opponitur malicie vel viciositati, est amor ordinatus seu voluntas ordinata. Hoc enim primo posito ponitur bonitas, et hoc primo remoto removetur, et in tantum quisque a complemento bonitatis deficit, in quantum deest illi ordo amoris, tantoque in bonitate proficit, quanto eius amor est ordinatior. Videndum est igitur quid sit amor, et quis eius ordo.

“Amor,” ut dicit Augustinus in De Trinitate 8, “est vita quedam duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet et amatum.” [Augustinus, De Trinitate 8, 10] Et idem, De Trinitate 9: “Appetitus rei cognoscende dum inhiat, fit amor rei cognite dum tenet.” [Augustinus, De Trinitate 9, 12] Idem quoque dicit quod “amor est pondus anime, collocatque animam sicut pondera collocant corpora.” [Augustinus, Confessiones 13, 9; cf. idem, De Trinitate 6,10]

Sicut enim pondus in re inclinatur et impellit rem ad suum locum naturalem dum est extra locum suum naturalem, eodemque pondere quietatur res in loco suo naturali cum infuerit; estque illud idem principium in eodem motu et quiete. Sed dum est principium motus dicitur inclinatio, dum autem quietatur non habet hoc nomen proprie. Sic voluntas, dum non habet quod vult, impellit et inclinatur animam ad consequendum quod vult, et tunc proprie dicitur appetitus; apprehenso autem appetito, quietatur animum in apprehenso, et tunc proprie dicitur amor, quod innuit secunda diffinitio quam posui de Augustino. Quandoque tamen communiter dicitur amor ad utrumque, sicut insinuat

prima posita diffinitio. Voluntas autem ab Anselmo diffinitur quod est "instrumentum seipsum movens." [cf. Bonaventura, Breviloq. 3, 10 (line 34) for ref.] /45ra/

"Ordo autem," secundum Augustinum, "est parium et disparium rerum sua cuique tribuens loca dispositio." [Augustinus, De civ. Dei 19, 13] Consistit autem ordo in tribus, scilicet ut res ordinanda collocacione ad ea que extra se sunt, sit ut debet, habeatque ad extrinseca omnia collacionem et proporcionem debitam. Et ut ipsius rei unaqueque pars ad quamlibet sui partem aliam debita commensuracione proporcionetur, et insuper ut ipsa res, secundum statum suum debitam, habeat proporcionem ad perfectum in suo genere, verbi gracia, tunc est aliquod corporum naturalium, utpote corpus alicuius animalis, ordinatum, cum est ubi esse debet inter cetera corpora, et ut esse debet ad illa, et cum quelibet pars ad aliam debitam tenet in eodem corpore proporcionem, ut caput commensurata proporcione correspondeat corpori et ceteris menbris, et econverso, et cum illud corpus proporcionatur corpori perfecto in eadem specie secundum quod exigit etas, et regio, cetereque sui status circumstancie. Aliam namque proporcionem habere debet corpus pueri septennis ad perfectum in specie hominis, et aliam cum sit iam maioris etatis.

Locus autem amoris res amata est. Ibi enim est amor, teste Augustino, ubi est quod amatur. [Augustinus, De Trinitate 9,2; 8,10 etc.] "Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum." [Matt. 6:21] Item, rerum plurium amatarum ab eodem amore ipsius tocius amoris qui est in eius anima sunt partes. Teste enim Augustino, dividitur unius anime amor per plura amata, et tantum deest de amore toto amanti unius amatorum quantum de amore eodem toto adest alteri amatorum. [chk. Augustinus, Enarrationes in Ps., 145, 5; PL 37.1887] Est itaque ordinatus amor quo ad collacionem, vel ad ea que extra sunt collacionem, amare omne quod amandum est, nichilque amare quod non sit amandum. Tunc enim est ubi debet esse, quia locus amoris, ut predictum est, est res amata, nec abest ubi debet adesse, nec adest ubi debet abesse. Est quoque ordinatus quo ad suarum partium proporcionem ad invicem debitam, cum quod plus amandum est maiori amore amat, et quod minus minori, et quod equaliter equali, et quod duplo plus amandum duplo plus, et quod triplo in triplo plus, et sic secundum ceteras omnes proporciones.

Est etiam de complemento /45rb/ ordinis amoris debita proporcio ad perfectum sui generis. Altera enim est proporcio amoris Lini ad amorem creatum perfectissimum, et alia amoris Petri, cum uterque sit amor ordinatus, nichil habens inordinatum. Est quoque de complemento ordinis amoris scire quid a se, quantum, et quomodo amandum. Si enim amat aliquid, ignorans illud esse amandum, nondum amat ordinate, aut si ignorat tantum esse amandum quantum amat. Est itaque, ut puto, plene ordinatus amor scienter amare unumquodque amandum, quantum amandum est, nichilque non amandum amare.

Quod si dicat quis de ordine amoris esse amare propter quod amandum est, dico hoc esse comprehensum in eo quod dictum est, quantum amandum est. Si enim amo propter aliud quod amandum est propter se, cum illud propter quod magis ametur, patet quod non amo illud tantum quantum amandum est, immo minus. Nec est talis amor recte proporcionatus in suis partibus.

Sed numquid istud potest esse in viatore aliquo ut habeat amorem sic plene ordinatum? Ymmo vere quilibet ab hac perfectione longe abest. Quis enim, ut cetera omittam, novit unumquodque amandum et non amandum, et de amando unoquoque quantum illud amandum?

Quapropter amor ordinatus in viatore est amor amoris predicto modo ordinati. Et est amor expresse ordinatus in amore sui velud arbor in semine que, data oportunitate, de semine ubi fuit occulte, prorumpit in arborem expresse formatam. Hic itaque amor amoris ordinati, habens in se seminaliter amorem expresse ordinatum, est virtus in viatore a qua dicitur bonus. Sed qui amorem amat hunc ordinatum, necessario amat nosse unumquodque amandum et non amandum, et de amandis unumquodque quantum qualiterque sit amandum, et hec cognicio amata prudencia est.

Item, qui amat amorem ordinatum, non seminatio amoris, sed qualis data oportunitate prorumpet in ordinatum amorem, amatum necessario amat inseparabilitatem ab amato. Hoc est ut

nequeat ab amato separari, nec timore terribilium, nec illicebra voluptatum, atque inseparabilitas ab ordine amoris per terribilia fortitudo /45va/ est. Inseparabilitas vero per voluptatum illicibras temperancia est, quia ipsa inseparabilitas non est aliud quam ipse amor constans inseparabilitatis. Item, qui amat se amare quemlibet ut debet, amat facere erga quemlibet quod debet. Amat igitur reddere unicuique quod suum est, atque iste amor iusticia est. Sic itaque ex amoris ordinati amore sequuntur et oriuntur quatuor virtutes principales.

Hoc viso, considerandum est qualiter supradicta virtutis descriptio non dissonet a descriptioibus virtutis que alibi inveniuntur. Quis enim est alius habitus mentis bene constitute quam amor ordinatus? Qui bene habitus dicitur propter inseparabilitatem, cum hic amor ab invito non potest avelli. Et que est etiam bona mentis constitutio, nisi supradictus amoris ordo quo unumquodque amandorum tantum amatur quantum amari debet, nec plus amandum amatur minus, nec minus amandum amplius, nec non amandum amatur? Nonne sic ordinata mens bene est constituta? Immo optime est constituta, cum sic ordinatur plene. Bene autem est constituta cum hunc ordinem habet quasi in semine, scilicet in amore amoris ordinati.

Item amor ordinatus medium est viciorum, utroque redactum, quia nec exuberat in amplius plus amando quod minus amare debet, nec contrahit in minus, minus amando quod plus amare debet.

Item, virtus est ars vite regende, ut dicit Augustinus. [Augustinus, De civ. Dei, 4:21] Ars autem proprie in cognitione est. Ars itaque vite regende cognitio est regularum actus interiores et exteriores voluntarios ordinantium. Sed ad hanc cognitionem amor illustrat aspectum, nec describitur hic pura cognitio nisi in amore dicto. Amor itaque dictus propter harum regularum in se inscriptionem, et propter ad eas contuendas aspectus excitationem et illustrationem, recte vite regende ars nuncupatur.

Item, secundum Augustinum, "Virtus seu bona voluntas est qua appetimus recte honesteque vivere et ad summam sapienciam pervenire." [Augustinus, De libero arbitrio, 1, 12] Et quid est hec voluntas nisi amor ordinatus? Aut quid amor ordinatus secundum quod hic in via potest ordinari, nisi hec voluntas? Hec autem voluntas, ut aperte dicit Augustinus, terrenis omnibus regnis, omnibusque /45vb/ voluptatibus corporis," omnibusque bonis in nostra potestate non constitutis, longe prestancior est et anteponeunda. [Augustinus, De libero arbitrio, 3, 11]

In nostra etiam voluntate constitutum est ut hoc tanto et tam vero bono vel fruamur, vel careamus. Quid enim tantum est in nostra potestate quam ipsa voluntas? Hoc quoque tantum bonum inviti amittere non possumus, quia Deus vel bonus angelus hanc invitis auferre non vult; diabolus vel malus homo non potest. Preter hanc autem omnia inviti amittere possumus. Est itaque virtus bonum in nostra voluntate constitutum quod [quos MS] inviti amittere non possumus, omnibus aliis prestancius, que omnia etiam inviti amittere possumus. Inmanis est igitur amencia hanc non tenere, et eius comparacione omnia alia abiectissima non reputare. Cum itaque virtus sit tantum bonum, patet quod amor ordinatus eam preponit omnibus que vel inviti amittere vel pati possumus. Igitur ab ea non divellit ordinatum animum voluptas, nec separat terror. Propter hanc igitur tenendam, coerces et cohibet appetitum ab hiis rebus que turpiter appetuntur, et hec affectio temperancia est. Et propter hanc tenendam, contempnit omnia incommoda rerum non in nostra potestate positarum, et hec affectio fortitudo est. Item, amor ordinatus sentit virtutem omnibus preferendam et omnia adversancia vitanda, atque cognitio rerum appetendarum et vitandarum prudencia est. Item, amor ordinatus, qui amat predicto modo predictam bonam voluntatem, que virtus est, male velle cuiquam non potest. Et si nemini male vult, nemini facit iniuriam. Ergo unicuique tribuit que sua sunt, et hoc iusticie esse constat.

Patet namque quomodo quatuor virtutes, que cardinales dicuntur, procedunt ex radice virtutis. Ipsa autem virtus, numquid aliud est a caritate? Si non est aliud, tunc neque S<c>ipio, neque Cato, neque alii qui fidem Christi non habuerunt, et ita nec caritatem, virtutes habuerunt. Quod autem aliud non sit virtus et caritas patet, quia caritas, ut dicit Augustinus, "est amor rectus."



[Augustinus, Enarrationes in Psalmos 9, 15] Amor autem rectus, quid est nisi amor ordinatus? Nunquid amore inordinato bene operari quis potest? Atque virtus est qua bene operatur qui eam habet. Non igitur est virtus nisi amor ordinatus, et is non est nisi caritas. Caritas autem /46ra/ non est sine fide Ihesu Christi. Quapropter concedimus cum Augustino quod sine fide Ihesu Christi nullus unquam virtutes habuit vel habere poterit. [cf. Augustinus, Contra Iulianum 4; PL 44, 750.] Non enim potest esse amor ordinatus ubi contempnitur aut non amatur quod maxime amandum est. Cum vero non amatur nisi quod scitur aut creditur, patet quod qui nescit vel non credit dominum nostrum Ihesum Christum non amat, aut contempnit, quod maxime amandum est. Quapropter in tali virtus non est. Quod eciam probat Augustinus talibus argumentis, sic dicens: "Absit ut in alico sit vera virtus nisi sit iustus. Absit autem ut sit iustus vere nisi vivat ex fide; iustus enim ex fide vivit." [Augustinus, Contra Iulianum 4; PL 44, 745; cf. Gal. 3:11]

Item, quis diabolo mancipatum dicitur esse iustum? Tamen omnis infidelis diabolo est mancipatus, licet sit ille Fabricius aut Fabius aut Scipio. [cf. Augustinus, Contra Iulianum 4]

Item, "secundum Putagoricos eciam et Platonicos, vere virtutes non sunt, nisi que menti imprimuntur a forma illius eterni inmutabilisque substancie, que deus est." [Augustinus, Contra Iulianum 4] Sed nunquid mens infidelis ab hac forma imprimitur cum illi forme conformis non sit?

Item, "quomodo vere iustus est cui vilis est humilitas vere iusti?" [Augustinus, Contra Iul. 4]

Item, "quomodo est in eis vera iusticia in quibus non est vera sapiencia?" [Augustinus, Contra Iul., 4] In infidelibus autem vera sapiencia non est, quia scriptum est: "Concupiscencia sapiencie deducit ad regnum." [Sap. 6:21; cf. Augustinus, Contra Iulianum 4] Quod autem vera sapiencia sit cum vera iusticia patet, quia qui iustus est vult recte honesteque vivere, et ad summam sapienciam pervenire. Sed velle ad summam sapienciam pervenire vera sapiencia est. Sed nunquid infidelis non volunt ad summam sapienciam pervenire? Volunt quidem, sicut volunt omnes beati esse. Sed tamen sicut nolunt mali illud quod est vera beatitudo, sed vellent illud quod ipsi appetunt esse beatitudinem, et sic appetunt beatitudinem. Sic amant infideles non illud quod est vera sapiencia, cum Christum, qui est vera sapiencia, contempnant. Sed quod hii reputant summam et veram sapienciam, hoc vellent eam esse, et ad eam talem cupiunt pervenire, que concupiscencia non sapiencia est, sed stulticia.

Item, "sicut de lege verissime ait Apostolus: Si per legem iusticia, ergo Christus gratis mortuus, [Gal. 2:21] sic verissime dicitur, si per naturam aut voluntatem aut doctrinas hominum iusticia /46rb/ est, ergo Christus gratis mortuus est. Per quod enim vera iusticia, per hoc regnum Dei. Deus enim ipse, quod absit, est iniustus, si ad eius regnum non admittatur iustus, cum ipsum eius regnum iusticia sit, sicut scriptum est: Non est regnum Dei esca vel potus sed iusticia, pax, et gaudium." [Augustinus, Contra Iulianum, 4; PL 44, 746]

Item, "cum dona Dei non referantur ad suum auctorem, male hiis utuntur qui ea acceperunt. Sed infideles ad suum auctorem, Christum videlicet, non referunt que acceperunt. Male igitur hiis utuntur, et male eis utendo iniusti fiunt." [Augustinus, Contra Iulianum, 4]

Item, "virtutes vere non officiis sed finibus distinguntur. Officium autem est quod faciendum est, finis propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur." [Augustinus, Contra Iulianum, 4; PL 44, 749] Quapropter cum infidelis non propter hoc facit, peccare convincitur, nec est in eo vere virtutis opus.

Item, sicut vera virtus non est que servit voluptatibus, aut fame, vel qualibuscumque temporalibus commodis, vel emolumentis, sic nec est vera virtus que nulli servit. [cf. Augustinus, Contra Iulianum, 4; PL 44, 749] Debet enim vera virtus ei servire a quo donatur. Quapropter, cum ei non servit, vera virtus non est. Quapropter infidelibus vera virtus non inest. Quid autem mirum si in anima que fornicatur adeo vera virtus non sit?

Item, De Trinitate 13: "Iustus ex fide vivit, que per dilectionem operatur ita ut virtutes quoque ipse quibus prudenter, fortiter, ac temperate, ac iuste vivitur, omnes ad eandem fidem referantur." [Augustinus, De Trinitate 13, 20] Non enim aliter vere poterunt esse virtutes.

Item, quatuor "virtutes ipsas quibus in hac temporali mortalitate prudenter, fortiter, temperanter, et iuste vivitur, nisi ad eandem licet temporalem fidem referantur, veras non esse virtutes. [Augustinus, De Trinitate, 14, 1]

Item, Retractacionum libro primo, 3: "Displicet michi quod philosophos non vera pietate preditos dixi virtutis luce fulsisse." [Augustinus, Retractacionum libri 1, 3]

Item, idem Augustinus, super Psalmum 13: "Iste est melior intellectus ut nemo intelligatur fecisse bonitatem usque ad Christum, quia non potest quisque hominum facere bonitatem nisi ipse monstraverit. Et illud verum, quia usquoque quisque cognoscit Deum non potest facere bonitatem." [Augustinus, Enarrat. in Ps., 13, 2]

Item, idem: "Si vere iustus est infidelis, iniustus est qui a regno iusticie ipsum repellit." [Augustinus, ???]

## Dictum 57

### De timore

Quid appetibile non confert timor Domini? Vis sapienciam? "Inicium sapiencie timor Domini." [Ps. 110:10; Eccus. 1:16; cf. Prov. 1:7] Si forte parum est tibi sapiencie, inicium eius desideras plenitudinem, "et plenitudo sapiencie timere Deum," [Eccus. 1:20] "quia omnis sapiencia timor Domini." [Eccus. 19:18]

Et quomodo hoc? Quia qui timet penam vitat malum ne penam incurrat, et hoc est sapiencia prima: stulticia caruisse. Et quia non solum facere malam, sed eciam torpore a bono meretur penam, qui timet ne torpendo a bono penam incurrat, inquit que beneplacita sunt Deo, ut faciat. Unde Ecclesiasticus 20: "Qui timet Dominum inquit que beneplacita sunt illi." [Eccus. 2:19] Sed numquid inquirunt solum ut cognoscant, quemadmodum curiosi? Non, sed ut faciant. Unde subditur: "Qui timent Dominum custodiunt mandata illius et pacienciam habebunt usque ad inspectionem illius dicentes, si penitentiam non egerimus incidemus in manus Dei et non in manus hominis." [Eccus. 2:21-22]

Item, timor Domini mandatorum est custodia. Custodia autem mandatorum sapiencia, sicut dicit Moyses in Deuteronomio 4: "Scitis quod docuerim vos precepta atque iusticias sicut mandavit michi Dominus. Sic facies ea in terra quam possessuri estis, et observabitis et implebitis opere. Hec enim est sapiencia vestra et intellectus coram populis, ut audientes universa precepta hec dicent en populus sapiens et intelligens." [Deut. 4:5-6]

Vis salutem? Apostolus ait: "Cum timore et tremore vestram salutem operamini." [Phil. 2:12] Timor enim, ut ostensum est, operatur sapienciam. Sapiencia autem salutem, sicut scriptum est: "Per sapienciam sanati sunt quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio." [Sap. 9:19]

Vis esse magnus? Scriptum est in Ecclesiastico: "Quam magnus est qui invenit sapienciam et scienciam; sed non est super timentem Deum. Timor Domini super omnia superponitur." [Eccus. 25:13-14] Timor namque humiliat, et mensura humilitatis mensura est magnitudinis et exaltacionis.

Vis regnare? "Et nunc reges intelligite; erudimini qui iudicatis terram. servite Domino in timore." [Ps. 2:10] Ecce, timor regnare facit, et quid mirum, cum timor inducat sapienciam. Sapiencia autem dicit: "Per me reges regnant et legum conditores iusta /46vb/ discernunt." [Prov. 8:15]

Vis esse sine peccato? "Timor expellit peccatum; nam qui sine timore est non poterit iustificari." [Eccus. 1:27-28]

Vis divicias? Tobie 4: "Memento, fili mi, quam pauperem vitam gerimus; habebimus multa bona si timuerimus Deum." [Tob. 4:23]

Quid tandem vis? Gloriam, leticiam, et exultacionem? Ecclesiastici primo: "Timor Domini gloria, et gloriatio, et leticia, et corona exultacionis. Timor Domini delectabit cor, et dabit leticiam, et gaudium, et longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis sue benedicetur." [Eccus. 1:11-13]

Quod est igitur appetibile quod non affert timor? Sed forte dices, nonne timor penam habet? Et quomodo in timore sunt hec delectabilia? Respondeo quod sunt in timore casto qui penam non habent, sicut in conservante, et sunt in timore penali, sicut in introducente, qui hiis introductis foras mittitur, quia "perfecta caritas foras mittit timorem." [1 Ioan.4:18] Timor autem castus manet in seculum seculi. [cf. Ps. 110:10]

De timore autem penali dicit Augustinus super canonicam Ioannis, omelia 9: "Stimulat timor, sed noli timere. Intrat caritas que sanat quod vulnerat timor. Timor Dei sic vulnerat quomodo medici ferramentum; putredinem tollit, et quasi videtur vulnus augere. Ecce putredo quando erat in corpore minus erat vulnus sed periculosum. Accedit ferramentum medici. Minus dolebat illud vulnus quam dolet modo cum secatur; [cecatur MS] plus dolet cum curatur quam si non curaretur. Sed ideo plus dolet accedente medicina ut numquam doleat succedente salute. Occupet ergo cor tuum timor ut inducat caritatem; succidatur cicatrix ferramento medici. Talis est medicus ut nec cicatrices appareant; tu tantum subde te dextere ipsius. Nam si sine timore es, non poteris iustificari. Opus est ergo ut intret timor primo per quem veniat caritas. Timor medicamentum, caritas sanitas. Qui autem timet non est perfectus in caritate. Quare? Quia timor tormentum habet." [Augustinus, In Iohannis epistolam ad Parthos, 9; PL 35, 2048]

Ecce, ex hiis verbis Augustini perpendere potes quam salubris sit timor, etiam penalis. Quapropter, si vis carere pena timoris, time ne timeas, dole ne doleas. Timor namque penalis se expellit, quia timor penalis inducit caritatem. [1 Ioan. 4:18; cf. Augustinus, In Iohannis epist. ad Parthos, 9; PL 35, 2049] /47ra/

Caritas autem expellit timorem penalem. Ac per hoc ipse timor sui est expulsivus. Timor autem, non dico penalis, sed simpliciter timor, semper nobis est necessarius, quia, ut ait Augustinus, De bono virginitatis: "Si non amas, time ne pereas; si amas, time ne displiceas." [Augustinus, De sancta virginitate 38, 39]

#### Dictum 58

Brevis ratio quod Deus non potest perfecte a nobis hic videri

Si oculus corporalis eger, et non plene sanus, posset plene et perfecte intueri lucem perfectissimam et splendidissimam corporalem, idem oculus sanus potencior esset quam ad videndum perfectissimam lucem corporalem. Ergo cum oculus natus sit ad lucem contuendam, si predicto modo oculus sanus in plus posset quam in lucem corporalem perfectissimam, ea pars potencie qua posset in plus supervacua esset; nec esset in creaturis commensuratio. Igitur oculus corporalis infra sanitatem perfectam non potens est in visionem perfectissimam lucis perfectissime corporalis.

Similiter oculus mentis, quia sanus non est potencior quam in lucem perfectissimam videndum, eger non est potens ad eandem perfecte videndam.

#### Dictum 59

De egritudine anime

Egritudinem oculi dicimus quandoque aut humorem extraneum infusum oculo, aut maculam, aut aliquid tale. Set hec et talia sunt cause, aut occasiones, aut comitancia egritudinem.

Vera autem egritudo est armonie dissolutio et distancia sui a se perfecto, et tam eger est quantum distat a se in naturali perfectione se habente. Sic dicimus egritudinem anime quandoque fantasmata rerum corporalium ei per amorem aglutinata. Sed vera egritudo eius est distancia sui a se naturaliter se habente. Tunc autem se habet anima naturaliter cum, adherens summo bono, eidem non per equalitatem, sed per quamdam imitatoriam conformitatem comensuratur. Cum vero avertit se ab incommutabili bono et adheret bono commutabili, eidem adherendo ad eius commensurationem et conformitatem se trahit.

Vide ergo quanta est distancia ab anima summo bono commensurata et conformata, ad seipsam bono cui vis commutabili commensuratam et conformatam, et secundum mensuram huius distance iudica de eius egritudine. Vide quantum infra sibi congruentem magnitudinem contracta est quam /47rb/ decrevit, quantum morbum in magnitudine patitur, a quanta latitudine ad quantas devenit a<n>gustias.

Quapropter philosophus, cum detestaretur avariciam, hunc animi morbum in sui diminutione videns consistere dixit: "Nichil tam angusti animi est quam appetere divicias tibi." ["Philosophus,"?; cf. Boethius, Philosophiae consolatio 2, pr. 5] Si sermo fuisset simpliciter de egritudine anime, dixisset forte eam consistere simpliciter in sui magnitudinis diminutione.

Et si quis forte bene investigaret egritudines anime, inveniret eam non solum patientem morbum in magnitudine, sed in numero, et figura, et qualitate, et si que sint alie morborum divisiones.

#### Dictum 60

De vestigiis quibusdam Trinitatis in creaturis, et qualiter mens rationalis est summa similitudo Trinitatis et ipsius speculum, et de rectitudine et mundicia huius speculi, et quas impressiones de speculatione Trinitatis referre debemus

Omnis creatura speculum est de quo resultat similitudo creatoris, unitatis scilicet et trinitatis. Nec de unica creatura quasi de unico speculo resultat tantum similitudo una, sed quilibet creatura est quasi speculum unum sic artificialiter compositum, ut de eo resultent unius faciei simulacra plura, utpote omne compositum quasi unam similitudinem trinitatis reddit esse potenciale materie, esse actuale forme, et compositionem forme cum materia.

Alia quoque similitudo Trinitatis est in qualibet creatura numerus, pondus, et mensura.

Item, alia similitudo est in qualibet creatura quod ad unum tendit, similitudine et qualitate pulcra est, ordinemque servat. Esse quidem potenciale, et inchoatio et ad unum tencio Patrem innuunt, cui attribuitur potencia, qui est principium non solum creaturarum sed etiam Filii et Spiritus Sancti. Esse actuale, perfectio et pulcritudo Filium <innuunt>, qui est Patris sapiencia, "splendor glorie, et figura substancie eius." [Hebr. 1:3] Compositio vero <et> in esse conservacio, in ordineque collocacio Spiritum Sanctum, qui est amor et connexio Patris et Filii, et benignitas qua res in ordine et in esse servantur.

Augustinus autem aliam insinuat similitudinem Trinitatis in numeris, dicens: "Numerus ab uno incipit, equalitate ac similitudine pulcher est, et ordine copulatur. Quamobrem quisquis fatetur nullam esse creaturam vel naturam que non, ut sit quicquid est, appetat unitatem, sui similisque, in quantum potest, esse /47va/ conetur, atque ordinem proprium in locis et temporibus, vel in corpore quodam libramento salutem suam teneat, decet fateri ab uno principio per equalem sibi ac similem speciem diviciis bonitatis eius, qua intra se unum et de uno unum karissima et, ut ita dicam, ea reguntur, omnia facta esse atque condita quecumque sunt in quatumcumque sunt." [Augustinus, De musica 6; PL 32, 1191]

Item, omnis creatura est, et ab eo quod non est discernitur, suisque partibus sibi congruit. Sed aliud est quod est, aliud quod discernitur, aliud quod sibi congruit. Causam igitur trinam oportet esse.

Item, ponamus quod non esset creatura nisi una rationalis et una corporalis, eademque vilissimum et minimum et minus utile corporum, utputa atomus qualis volitat in sole. Videamusque qualiter rationalis creatura possit in hoc corpore quasi in speculo deprehendere Trinitatem creatricem. Ecce quam prope est ut videatur, et non obscure, licet tamen in vili speculo. Ratione, si ratio consideret atomum, inveniet illum compositum, mutabilem, et materialem, decurretque ratiocinando ad hoc, quod factorem habuit qui illum ex nichilo fecit. Ex factore igitur decurrit ad facere, et a facere ad potenciam, nec ad finitam sed ad immensam et infinitam.

Videbit enim ratio investigans, quod omnis potencia mensuratur per proporcionem facti ad illud ex quo fit. Tanta est enim facientis potencia, quanto factum excedit illud ex quo fit. Omne autem aliquid, quantumcumque vile et parvum, <in> infinitum excedit nichilum. Igitur, cum ratio invenerit atomum esse aliquid ex nichilo, et decurrerit ab eo ad potenciam facientis, mensuraveritque eam per proporcionem facti ad illud ex quo fit, videbit atomum egressum in esse non a minori quam ab infinita potencia. Sic igitur egressus atomi in esse aliquid ex nichilo simulacrum est infinite potencie efficientis.

Item, ratio eadem considerans amplius inveniet atomum esse corpus, et in eo tres lineas intersecantes se ad angulos rectos, in qua sectione posito pede circum describere poterit spheram intra atomum, et in sphaera infinitos circulos et omnia corpora sphere inscriptibilia, et in circulis omnes figuras inscriptabiles circulis, que sunt infinite. Videbitque ratio quod supra quamlibet illarum infinitarum figurarum potest erigi sciencia demonstrativa. /47vb/ Invenietque in atomo descripcionem infinite sciencie, non solum de magnitudinibus, sed etiam de numeris. Cum igitur invenerit ratio atomum factum ex nichilo ab infinita potencia, videritque in atomo descripcionem infinite sciencie, perpendet eandem infinitam potenciam descripsisse in atomo a se facto infinitam scienciam. Sed non posset infinitam scienciam describere nisi per infinitam sapienciam. Videbit ergo infinitam potenciam fecisse atomum per infinitam sapienciam.

Iam ergo ex atomo decucta est ratio in cognitionem potencie et sapiencie infinite. Sed huius summe rei cognitio magnum est bonum rationis cognoscentis, quia bonorum honorabilium noticiam opinamur. Creator igitur atomi rem valde utilem creavit rationi, et hoc sine meritis rationis precedentibus. Igitur creator bonus. Sed quam utilis est atomus uni rationi create, tam utilis, quantum in se est, esset infinitis rationibus si create essent. Igitur atomi utilitas, quantum in se est, infinita est. Et etiam non aliquantum utilis est atomus uni rationi quin etiam eidem possit esse utilior, quia non aliquantum percipit in eo sciencie quin etiam per amplius possit in eo percipere. Igitur infinite utilitatis est atomus. Ergo potencia per sapienciam creans est infinitum bona.

Ecce qualiter videre potest ratio in atomo infinitam potenciam, infinitam sapienciam, infinitam bonitatem creatoris, et hoc videre est videre Trinitatem creatricem. Tali itaque modo, quasi de speculo uno de qualibet creatura una resultant plura Trinitatis creatricis simulacra. Non solum que dicta sunt, sed credo quod alia plurima.

Quedam autem similitudines Trinitatis resultant eedem de qualibet creatura, quedam autem sunt proprie quibusdam creaturis, ut de igne velud similitudo Trinitatis resultat lux, splendor, calor; nec de alio quam de igne videtur hec similitudo Trinitatis depromi, nam astra et ether a philosophis ignis nominantur, [cf. Honorius Augustudunensis, De philosophia mundi, 2, 1; PL 172.57] aut si de alio quam de igne hec similitudo resultat, de paucis aliis resultat.

Verisimileque est, licet non temerarie asserendum, de qualibet specie creature propriam Trinitatis creatricis resultare similitudinem, que de /48ra/ alia specie non resultat, velud de rationali creatura et non de alia resultat hec Trinitatis similitudo, scilicet memoria, intelligencia, et amor. Et hoc est limpидissimum speculum Trinitatis, scilicet creatura rationalis. [cf Augustinus, De Trinitate, 10, 11-12]

Nec est similitudo tam clara nec tam summa Trinitatis increate ut memoria, intelligencia, et amor rationalis creature. Unde hec similitudo non solum similitudo est, sed eciam ymago Trinitatis, maxime memoria, intelligencia et amor rationalis creature cum meminit, intelligit et amat Trinitatem creatricem. Ymago enim suprema similitudo est.

Expresse, aut valde, ut diximus, potest videri Trinitas creatrix in hac sui similitudine. Consideret enim unusquisque mentem suam propriam, et inveniet in sua memoria quasdam sciencias repositas, quas actu non intelligit quarumque scienciarum actualem intelligenciam potest memoria de se gignere et in actum ducere. Intelligat itaque memoriam suam gignentem de se actualem intelligenciam quarundam scienciarum. Cum vero actu intelligit que prius meminit, ipse actus intelligendi non destruit memoriam, sed potius confirmat et roborat eam in nobis. Simul itaque possunt esse in nobis, et sunt, memoria et actualis intelligencia de memoria genita. Nec potest esse quin amet intelligencia memoriam se gignentem, et memoria intelligenciam de se genitam.

Potest itaque homo videre in se memoriam actu gignentem intelligenciam, quarum utraque in reliquam amorem reflectit. Per memoriam itaque suam, que non omnia simul meminit, et que quandoque intelligenciam actu de se non gignit, sed quedam meminit et aliquando intelligenciam actualem intelligentem quedam de se gignit, intelligat homo memoriam quandam omnia memorabilia simul memorantem, nec precedentem intelligenciam de se generabilem sed semper de se gignentem intelligenciam omnia intelligibilia intelligentem, harumque utramque in reliquam amorem suum reflectentem. Intelligatque has tres, scilicet memoriam gignentem, intelligenciam genitam, et amorem mutuum, /48rb/ nec incepisse nec desitutum esse, nec alicui permutabilitati aut vicissitudini subiaccere. Quarum scilicet trium, sicut indivisa substantia et essencia, sic indivisa potentia, tamque efficax ut quicquid meminit et intelligit cum beneplacito ut sit, solo ipso beneplacito ut sit sic et tunc in esse prodit quomodo et quando in esse prodire beneplacitum est.

Has igitur tres, scilicet memoriam talem eternam gignentem, et intelligenciam eternam de tali memoria genitam, et amorem eternum quo se mutuo diligunt memoria gignens et intelligencia genita, has inquam tres intelligere unius et indivise simplicisque essencie, est intelligere Trinitatem unum Deum.

Ad quam intelligenciam, licet adhuc enigmaticam, non potest homo pervenire expressius quam per speculum mentis proprie, sicut predictum est.

Omni igitur diligencia observandum est, ne speculum istud sit prave figuratum et distortum aut sordidum. Sicut enim nullum corporale speculum nisi solum planum representat rem in eo visam talem qualis est, sic nisi anime speculum planum sit, non representat Deum talem qualis est. Fiunt autem corpora plana per regulam rectam. Sic anime speculum fit planum per sue regule rectitudinem.

Est autem regula ad quam plana fit anima voluntas divina, ut omnem scilicet suam voluntatem voluntati divine subiciat, dicens cum Christo, "non quod ego volo sed quod tu." [Marc. 14:36] Cum autem ab hac summa regula separatur anima, fit distorta, et sicut distortum speculum pulcre faciei reddit distortum simulacrum, faciesque in se pulcra in distorto speculo apparet distorta, sic in distorta anima apparet Deus, qui in se rectissimus est, distortus et perversus.

Hinc est quod quidam, ex distorcione anime sue Deum iudicantes, reputant Deum aut crudelem cum iustos punit, aut remissum vel non curantem mundum cum malorum dissimulat et defert supplicia, aut iniquum cum sinit malos in temporalibus prosperari et bonos adversis deprimi. Noli sic de Deo iudicare. Non sunt hee distorciones in Deo, sed in anime tue distorto speculo. Qui taliter de Deo iudicas, facias anime tue speculum ad regulam suam planum, et nichil in Deo apparebit tibi, sicut nec est in eo aliquid distortum. /48va/

Solet vas pulverulentem pulvere confricari, et pulvis adherens non adherentis pulveris confricacione separari. Sic si quid terreni pulveris speculo anime tue adhererit, recordacione fragilitatis proprie, dicens cum Abraham: "Loquar ad Dominum meum, cum sim cinis et pulvis." [Gen.

28:27] Pulverem adherentem tolle, ut confricacione pulveris in memoria separetur pulvis qui heret in amore. Deinde ablue speculum lacrimis penitencie, et absterge molli panno leticie. Dolendum est enim de peccato, et de dolore gaudendum tandem.

Ne igitur speculum tuum sordidetur aut a sua rectitudine flectatur, capsulam illi facias in cavo humilitatis. Humilitas namque custodia virtutum est.

Cum autem per similitudines Trinitatis in creaturis perspectas sic ad eius speculationem ascendimus, ut fructuosus sit ascensus iste, decet ut ab eadem summa Trinitate nobis impressas similitudines eius reportemus, ut de potencia sit nobis impressus timor, de sapientia veritas, de bonitate benignitas, ut timor peccatum occidat, veritas sepeliat, benignitas ad vitam gracie resuscitet.

Timor autem impressus de potencia sub quadam oppositione imprimantis potencie gerit similitudinem, velud cum de sigillo habente figuras cavas imprimitur cera, cera impressa reportat figuras similes sed convexas et ordine converso legendas. Unde similitudinem sigilli sub quadam contrarietate reportat cera. Taliter videtur timor impressus a potencia. Aliter vero veritas et benignitas a sapientia et bonitate, quia non est hec similitudo contraria sed solum imitatoria.

Item, debemus et hanc similitudinem de summa Trinitate reportare, ut sicut indivisa sunt Trinitatis opera, sic in nobis indivisibiliter operentur sapientia, potencia, voluntas recta. Cum enim in nobis operatur potencia sine sapientia, efficit errorem; cum vero operatur sine voluntate recta, efficit iniquitatem; cum vero potencia operatur sine utrisque, efficit errorem et iniquitatem. Cum vero vel utraque vel altera predictarum operari incipit absque potencia, efficit defectionem, invenitque illud probrosum. "Hic inceptit edificare et non potuit consummare." [Luc. 14:30] /48vb/

#### Dictum 61

Conclude elemosinas in sinu pauperis

"Conclude elemosinam in sinu pauperis et hec pro te orabit," etc. [Eccus. 29:15]

Elemosina in sinu pauperis a te concluditur vel absconditur cum hoc a te intenditur ut ipsa relevacio a miseria qua a te pauper relevatur, ab ipso recipiente ad solacium senciatur, et ab aliis abscondatur, ab ipso eciam recipiente ad solacium ignoretur unde sibi ipsa proveniat relevacio, nisi cum ipsa manifestacio sit Dei, non tui, glorificacio. Quod enim in sinum occulte ponitur ab aliis absconditur, sed ab eo in cuius sinum ponitur tandem invenitur, unde tamen venerit ab eo ignoratur.

Ipsa autem elemosina orat pro dante ipsam, non solum in desiderio et ore eam recipientis, sed eciam in desiderio et ore cuiuslibet misericordiam diligentis. Quemadmodum enim dicimus omnem creaturam laudare artificem Deum [cf. Eccus. 9:24] per corda et ora laudantium ipsum ex immensitate, et specie, et ordine creaturarum, sic vere dicitur elemosinam orare per corda et ora non solum ipsam recipientium, sed eciam ipsius erogacionem approbantium.

#### Dictum 62

Quid sit scribi in libro vite et in celo, et quid sit scribi in terra

Sicut boni predestinati scribuntur in libro vite et in celo, [cf. Luc. 10:20; Phil. 4:3; Apoc. 3:5, etc.] sic finaliter mali in terra. Unde Ieremias: "Recedentes a te in terra scribentur." [Ier. 17:13] Sicut autem proprietas nominis uniusquisque persone est collectio accidencium quam non est in alio reperire, ita nomen cuiusque scribendum in libro vite vel celo est collectio bonitatum seu virtutum quam non est in alio reperire, et nomen cuiusque scribendum in terra est collectio maliciarum illi propria quam non est in alio reperire.

Nomen itaque bonorum lux est; nomen vero malorum tenebra. Et quid congruencius quam lucem scribi in celo et tenebram in terra? Liber autem vel celum in quo scribuntur hec bonorum nomina est mens divina, ubi est noticia cum dilectione seu approbatione eorumdem nominum, que noticia cum dilectione, ut dicit Augustinus, proprie verbum est interius et scriptura interior. [cf. Augustinus, De trinitate 9, 11] Scribi ergo in libro vite est esse in noticia approbante mentis divine.

Quecumque autem nomina sic scripta sunt in mente divina scribuntur etiam in mentibus omnium, /49ra/ tam angelorum quam hominum, in quibus est eorumdem nominum cum approbatione noticia ad congratulationem glorie nominatorum et laudandum Deum, qui ad has nominationes per suam gratiam vocavit, et nominatos glorificavit. [cf. Rom. 8:30] Hac etiam scriptura in mentibus electorum possunt predestinati intelligi in celis scribi, secundum quod habetur in Luca: "Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in celis." [Luc. 10:20]

Quam gloriosa est hec scriptura, quam non delet etas, non obfuscat obscuritas, non obliterat obscenitas; a cuius scripture lectione non siletur, quia ipsamet et est vita et sermo indesinenter seipsum legens! Hec scriptura non fuscatur corruptibilis auri rutulo colore, sed fulget lucis inaccessibilis nativo splendore.

Recedens autem a Deo in terra scribetur, quia in eiusdem mentis memoria, que terrena sapiendo terra recte nominatur, propriarum maliciarum infigetur collectio. Ipsaque collectionis propriarum maliciarum in sua memoria impressio est sui nominis in terra scripcio. Mali namque suorum malorum erunt memores, ipsaque memoria contra seipsos clamans, eos intus exuret. Unde Beda, super canonica Iacobi: "Non solum impios [ipsos MS] immisericordes divites visibilis iehenne ignis in tormentis excruciat, sed etiam ipsa putrefactorum diviciarum inanium [in animo MS] memoria quibus facillime possent suas redimere nequicias, non minus et ante iudicium animas eorum, et post resurrectionem etiam carius exuret, dum sibi ipsis graviter irasci incipiunt, quare sua scelera elemosinis redimere noluerunt." [Beda, In epistolas septem catholicas, 1 (in Iac.), 5]

Sed numquid, sicut nomina bonorum sunt in noticia divina ad glorificationem, sic nomina malorum sunt vel erunt in noticia diaboli ad punitionem? Quod si sunt, ipsa eorum ibi cognicio recte dicitur in terra pessima scripcio. Forte etiam non incongrue ipsa in mente divina et mentibus electorum angelorum et hominum noticia malorum improbativa et pene debite adiudicativa dici poterit reproborum in terra scriptura, ut ipsa malicie improbatio et pene ignis materialis et terrestris adiudicatio terrenitatis nomen sorciatur. Vel forte, quia malicia non agnoscitur nisi sicut privatio et tenebra, ipsa malicie /49rb/ agnicio per non invencionem speciei est in terra scripcio, quia terra inter omnia corpora maxime specie et luce privata est, privacionique assimilata. Vel cum dicitur alios scribi in celo et alios in terra, potest hec dictio "in" significare ordinem non scripture ad illud in quo scribuntur, sed rei scripture ad illud ad quod per ipsam scripturam adiudicatur; utpote si de duobus iudicatis, altero ad regnum, altero ad patibulum, scriberentur sentencie diffinitive, recte diceretur, hic scriptus est in regno, ille vero in patibulo. Sic intelligi potest eos scribi in celo quos scriptura eterna in mente divina adiudicat celo, et eos scribi in terra quos adiudicat inferno, qui in terre medio esse creditur.

Non solum autem unus istorum intellectuum, sed omnes qui de hiis veri sunt in sermone prophetico intelliguntur.

#### Dictum 63

Quomodo receditur a Deo, et reditur ad ipsum, et in recessu ab ipso curritur in ipsum

Cum quis a Deo recedit, abiit cum filio prodigo in "regionem longinquam." [Luc. 15:13] Et vere in longinquam, quia in regionem dissimilitudinis, [cf. Augustinus, Confessiones 7, 10] a regione similitudinis quam deserit infinita distancia remotam.



Amor namque est cum amato, et amans cum amore. [cf. Augustinus, De Trinitate, 9, 5] Unde unusquisque amans cum summe a se amato esse convincitur. "Ubi enim est thesaurus tuus ibi est et cor tuum." [Matt. 6:21] Cum Deo itaque est qui Deum summe diligit. Cum autem avertit amorem suum a Deo ad summe amandum aliud ab ipso, ipsa amorum a Deo aversio et ad aliud plus amandum conversio, a Deo est recessio et in longinquam regionem abicio. Sed quicquid citra Deum est, etiam nobilissima creatura pura in se considerata, infinitum minus est Deo, quia Deus omni creatura infinitum maior, potencior, et melior. Deus itaque infinite excelcior est omni creatura. Cum itaque amans sit cum amato, qui amorem suum avertit a Deo et convertit ad aliud, etiam si ad nobilissimam creaturam illum convertat, recedit ab excelciori ad per infinitum inferius. Igitur per infinitum recedit ab eo ubi fuit. Quam longe igitur abeunt qui a summo bono ad ymas voluptates corporeas descendunt, et qui tam longe abeunt? Qua virtute redibunt? Non enim possibile est ut infinitum [infiniter MS] transeatur a virtute finita. /49va/

Omnis autem creature virtus, etiam creature potentissime, virtus solum finita est. Non est ergo possibile ut de tam longinqua regione ad summi boni celsitudinem fiat redicio sola virtute creata, etiam universa simul sumpta, quia etiam universe creature virtus finita est, cum fuit virtutis finite creature singule. Non igitur lapso patet reditus ad Deum nisi per virtutem infinitam. Sola namque virtute infinita possibile est infinitum pertransiri. Virtus autem infinita qua transeatur hoc infinitum ut ad Deum redeatur sola gracia est, que Spiritus Sanctus est, cuius tam bonitas quam potencia immensa est. A qua gracia separacio, cum sit virtutis infinite desercio vel a virtute infinita defectio, infinita mocio est qua peccator abiit in regionem dissimilitudinis, a regione similitudinis infinita distancia semotam.

O si vellet, qui tam longe abivit, audire vocem post tergum monentis et clamantis: "Adam, Adam, ubi es?" [Gen. 3:9] Et excitatus hac voce salubriter exprobrante et etiam misericorditer revocante considerare que bona reliquit, quam longe ab illis discessit, in quas miseras cecidit, inveniret se reliquisse vitam sine defectu, fortitudinem sine debilitate, pulcritudinem sine deformitate, dulcedinem sine amaritudine, lucem sine tenebris, et, ut ad unum dicam, omne bonum sine omni mali adiunctione, et ab hiis non mediocriter, sed infinitum, longe abiisse, et se inveniret, ubi nisi in morte, et debilitate, et deformitate, et amaritudine, et tenebris et, ut ad unum dicitur, ubi se inveniret nisi in ve, qui reliquit omne gaudium. Unde Dominus per os Osee dicit: "Ve eis cum recessero ab eis." [Os. 9:12] Hoc est enim ipsum recedere ab illis, quod eos recedere ab eo.

Et quis inveniens seipsum tam longe a salute sua, nisi amens, non clamat gemens: "Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam: Pater, peccavi in celum, etc." [Luc. 15:18] Licet autem dictum sit peccatorem per infinitatem a Deo recedere, non tamen sic ab eo recedit quin eum ubique inveniat, qui immensus est. "Quo enim ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in celum tu illuc es, et si descendero," /49vb/ etc. [Ps. 138:7-8] Ubi enim non invenit peccator legem tuam, Domine? "Et lex tua veritas. Et tu veritas." [Augustinus, Confessiones, 4, 9] Ubi ergo te non invenit? Invenit quidem! Recedens enim "a te placido invenit te iratum," [Augustinus, Confessiones, 4, 9] et quanto plus recedit a te placido, tanto plus invenit te iratum. Recedens a te leni, offendit in te asperum. Recedens a te dulci, gustat te amarum.

Nec mirum si tu, Domine, licet in nullo tibi dissimilis, bonis et malis contrarius inveniaris. Lux enim huius visibilis solis suavissima est ad videndum oculis corporalibus perfecte sanis, eadem tamen non sibi dissimilis asperima oculis egris.

Dictum 64

De malo conceptu et partu anime, super hoc verbum Ysaie, "Conceperunt laborem," etc.

"Conceperunt laborem et pepererunt iniquitatem." [Is. 59:4]

Verbum est non solum quod sonat exterius, sed quod per illud in cogitatione formatur interius. Verbum autem semen est. Mala itaque cogitatio a diabolo inmissa semen eius est, unde vult animam impregnare. Quod si mali inmissa cogitatio in amore anime suscipiatur, ut velit et amet malum cogitatum opere perpetrare, ipsa mali cogitatio in amore suscepta est seminis proiecti a diabolo in matrice conceptio. Ymaginatio autem et in mente ingeniatio qualiter malum iam conceptum producat ad effectum est quasi concepti partus in utero formatio. Per spem iam perficiendi quod conceptum est intumescit uterus. Cum autem nititur ad mancipandum effectum malum ymaginatum, in ipso nisu et conatu quasi parturit et evitentis et parturientis angustias sentit. Cum vero malum conceptum plene in actum educitur, iam proles paritur. De sic pregnantibus dicitur: "Ve pregnantibus et nutrientibus in illis diebus." [Matt. 24:19, etc.]

Et vide quod mulier habens in utero de semine uno non potest iterum concipere de semine altero. Hic autem secus accidit, quia non est possibile uno tantum pravo semine animam pregnantem esse. Que enim pregnans est de semine spiritus superbie, necesse est esse pregnantem de semine spiritus invidie, et de semine spiritus iactantie, et multis aliis seminibus aliorum spirituum inmundorum. Spiritus enim inmundus non zelat animam quam inpregnat, sed quasi ad prostitutam quoscumque potest constupratores invitat. Heu! Quam dolendum est talis anima! Quis enim sine dolore /50ra/ meditari potest regis filiam, virginem mundam, lilio castitatis candidam, rosa verecundie vernantem, omni pulcritudine decoratam, omni varietate decoris amictam, regis filio unico, potencia, sapientia, bonitate, specie, fortitudine, divitiis superhabundanter preedito desponsatam, eidemque dilectissimam, sponsum tantum et talem spernere, liliu castitatis et rosam verecundie abicere, decorem suum in deformitatis [difformitatis MS] habitum commutare, in prostibulum intrare, inmundissimorum et deformissimorum libidini se subicere, de illisque concipere, inmerisque fetibus monstruosis usque ad uteri dirupcionem turgere, in angustiis maximis deformissimos et nocuos partus, qui nati statim in matrem insurgunt, parturire et parere? Quis, inquam, talia meditabitur sine dolore?

Nonne hec virgo est anima in baptismo mundata, Christo desponsata, que per peccatum ruit in dictas turpitudines? O, anima misera, si non pudet te harum turpitudinum! Si non tedet te harum molestiarum! Si non delectant te delicie sponsi quem spernisti! Si non terrent te eius mine, quem calce abiecisti! Ut illis stimulata, hiis attracta, velis ad eum redire, saltem tangat cor tuum eius suavissima dulcedo, qua tue miserie miserens, et sue iniurie obliviscens, et tuo pudori parcens, leniter insurrat auri tue: "Vulgo dicitur, si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit virum alterum, nunquam revertetur ad eum ultra. Numquid non polluta et contaminata est mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me et ego suscipiam te." [Ier. 3:1]

Dictum 65

Quod qui honorant histriones, et qui tales sunt, diabolum honorant

Qui honorat servum alicuius in quantum servus eius est, ipsum dominum eo ipso honorat. Unde cum peccator, in quantum huius servus sit peccati, et eciam diaboli, secundum illud: "Qui facit peccatum servus est peccati," [Ioan. 8:34] et illud Apostoli: "Cui exhibetis vos servos ad obediendum servi estis cui obedistis, sive peccati ad mortem, sive obediencia ad iusticiam." [Rom. 6:16]

Qui honorat peccatorem in quantum ipse peccator est, peccatum honorat /50rb/ et diabolum. Unde qui mimos et histriones et hoc genus, quia tale sunt et in quantum tale sunt, honorant et venerantur, peccatum et diabolum honorant et venerantur.

## Dictum 66

## Quomodo diabolus et vicia forcia et debilia

Diabolus et vicia fortissima sunt ad tenendum prostratum ne surgat, et ad deiciendum eum magis ac magis inferius, sed debilissima sunt ad prosternendum stantem.

Cum enim diabolus sive vicium vicio tenet prostratum in ymmo, nullo conatu suo quamvis magno, quamvis magnus et fortis, valet se erigere. Immo quamcumque sit solius creature nisus ad surgendum, et cum nisu molicio, ipso vicio et diabolo tenente et opprimente, retunditur, omnem itaque creature prostrate conatum ad surgendum superant et vincunt. Unde non inmerito frequenter in scriptura fortibus et eciam fortissimis comparantur.

Cum enim vicia sint corrupciones et defecciones, heeque non superantur nisi per a non esse ad esse erectiones, a non esse autem ad esse non erigit nisi quod per se est, patetque quod hee non possunt superari nisi ab eo quod per se est essentia. Unde, cum hoc non sit creatura, patet quod vicia non superat creatura per se, sed solum virtute ipsius qui est per se, et per se opponitur corrupcioni et defectioni et non esse.

Forcia itaque sunt vicia, quia omni creature nisum ad surgendum superant et vilipendunt. Ad deiciendum vero erectum sunt debilissima, quia cum non stet erectus nisi virtute eius qui per se stat et per se est, in quem nihil possunt corrupciones et vicia, manifestum est quod in stantem nihil possunt, nisi sponte reliquerit eum qui per se stat, cuius virtute stetit. Propter vim ad tenendum prostratum dicitur in Evangelio: "Fortis armatus," [Luc. 11:21] et in Iob: "Non est potestas super terram que comparetur ei." [Iob 41:24] Et in tipo fortitudinis viciorum dicitur in Numeris: "Nequaquam ad hunc populum valebimus ascendere, quia forcior nobis est." [Num. 13:32] In quorum debilitatis tipo ibidem dicitur a Iosue et Caleph: "Ne timeatis populum terre huius, quia sicut panem ita possumus eos devorare; recessit ab illis omne presidium; Dominus est nobiscum, nolite metuere." [Num. 14:9]

In quibus verbis satis exprimitur quia nobis solis sunt vicia forciora, set nobis effectis unus spiritus cum Deo longe debiliora. /50va/

## Dictum 67

## Quod omnia opera nostra radicanur in caritate aut superbia

Omnia opera nostra in amore magnitudinis nostre radicanur. Verumptamen quod dico "nostre" dupliciter dicitur: quia amamus nos esse magnos non ex nobis, sed ex participacione eius qui vere magnus est, et per se magnitudo est, scilicet, Dei, et hic amor caritas est, et magnitudo amata nostra est participacione et non efficiencia. Aut amamus nos esse magnos ex nobismetipsis, et iste amor distendit animam et facit eam intumescere et interius inanire, et superbia est, et magnitudo amata, que vere inanitas est, amatur ut sit nostra participacione et efficiencia.

Due sunt radices operum nostrorum, aut caritas aut superbia. Ipsa autem opera sunt sicut plante que inseruntur in hiis radicibus, et ferunt fructum connaturalem non plante sed radici cui inseruntur, econtrario ei quod accidit in plantis corporalibus. Si enim planta piri inseratur in radice spine, non fert fructum spine sed pira. Opera autem bona in caritate radicata idem habent pro fructu quod est in intimo radicis, scilicet Domini opera. Eadem radicata in inanitate superbie ferunt fructum inanitatem, scilicet temporalis fame et inanis glorie. Estque fructus iste similis pomis terre Sodomorum, que in cortice pulcerima sunt, et sui pulcritudine et specie quam pretendunt ad esum sui spectantes alliciunt, [allicerunt MS (post corr.)] sed cum carpuntur manu vacua inveniuntur, fractoque cortice fumum exalant. Sic nitor inanis glorie nichil soliditatis intus continet, sed fumum mentis oculum excecantem.

Quecumque autem opera prodeunt de radice caritatis preter amare Deum et proximum, eadem prodeunt de radice superbie. Utraque enim nudos vestit, esurientes pascit, ceteraque opera misericordie facit.

Dictum 68

Qualiter valeant opera bona ex caritate facta

Opera bona extra caritatem facta, licet non mereantur celum, tamen hiis modis valent: Bona male facere minus malum est quam bona omittere male, et hoc est minus malum quam mala male facere. Qui itaque bona male faciens decedit, minus dampnabitur quam qui bona male omittens decedit, et eiam is minus quam qui mala male faciens decedit. /50vb/ Preterea, dum est in via, minus profundus est in peccato qui bona male agit quam qui bona male omittit, et is minus quam qui mala male agit. Sed quanto minus profundus est in peccato tanto minus est longiquo a Deo et eius gracia.

Non parum autem est dampnato minus dampnari, sicut non parum est incarcerato minus profunde in carcere poni, minusque torqueri. Similiter non parum est peccatori minus a gracia elongari, sicut non parum est lapso minus profunde labi, minusque limo infigi, minusque a sublevante removeri. Ad hoc omne bonum opus, licet eiam extra caritatem factum, donum Dei est. Quod autem male fit ab agente est, non a Deo. Ipsum tamen bonum opus a Deo est. Sed cum datur sine gracia, parvum et leve donum est; cum gracia, magnum et preciosum est.

Cum itaque donum parvum et leve non tanquam vile repellitur, congruum est ut donum magnum et preciosum cicius et facilius conferatur. Unde congruum est ut propiores sint gracie Dei, qui dona eius bonorum operum, licet extra caritatem, viliter non repulerunt. Ceterum bona opera extra caritatem assuefaciunt hominem ad exercitium bonorum, ut data gracia facilius faciat que inassuefactus faciet cum difficultate.

Ad hoc, cum extra caritatem fiant opera misericordie, hii qui per illa a miseriis sublevantur, cum obnoxii sint orare pro suis benefactoribus, possunt per oraciones suas et alia bona sua promereri primam graciā eis quorum beneficia susceperunt, quam ipsi opera misericordie exhibentes sibi promeri non possunt.

Dictum 69

De caritate, qualiter diligit totum Deum propter se et proximum, et qualiter mali diligunt et odiunt Deum

Caritas est amor rectus, [cf. Augustinus, Enarr. in Psalmos 9, 15; Lombard, 2 Sent. 38, 4, 3] et amor rectus est amor recti vel rectitudinis propter se, et is amor est amor Dei propter se, cum ipse sit veritas et rectitudo.

Criminosi autem Deum non propter se, sed propter dona sua, que ut largissimus dator ille confert, utpote dives avarus amat Deum propter pecuniam quam illi donat, non propter se, cuius signum est quod cum amittit pecuniam Deo irascitur, illumque blasphematur. Dives itaque avarus amat Deum secundum quod ipse est largissimus dator, non quia largissimus dator sed propter dona largita. Non est autem aliquis /51ra/ tam crimosus cui Deus aliqua non conferat, que ipse licet libidinose amat. Ideoque non est tam crimosus quin aliquo modo Deum amet, saltem in quantum largitor est doni ab eo accepti quod amat, licet non amet ipsum quia largitor et bonus est, sed propter donum quod largitur.

Omnis autem qui sic Deum amat Deum odit. Sicut enim Deus est largissimus dator omnium bonorum, sic est iustissimus ablator bonorum quibus ea accipientes abusi sunt. Abutentes autem

bonis donis Dei, et ea libidinose diligentes, odiunt eum eorundem bonorum quibus fruuntur iustum ablatorem. Similiter omnes criminosi odiunt Deum iustum iudicem iustumque vindicem; vellent enim impune bonis suis abuti.

Itaque qui non diligunt Deum propter se non totum eum diligit, id est non secundum omnia secundum que describi potest eum diligunt, sed forte secundum plura odiunt quam diligunt. Deus autem toto corde est totus diligendus. [cf. Deut. 6:5; Matt. 22:37, etc.] Caritas itaque Deum totum diligit, id est secundum omnia quibus describi potest eum diligit. Non enim tantum diligit Deum largissimum datorem, misericordissimum condonorem, lucis veritatis manifestatorem, et secundum ceteras proprietates eius benignitatem exprimentes, sed etiam diligit eum bonorum quibus abutimur iustum ablatorem, iustumque iudicatorem, districtum vindicatorem, lucis pravitatis redargutorem, et secundum ceteras proprietates ad severitatem eius pertinentes.

Criminosi itaque qui non diligunt Deum propter se sed propter bona eius, et sic diligunt Deum secundum proprietates benignitatis eius, et odiunt ipsum secundum proprietates severitatis eius iusto iudicio, non habebunt ipsum talem qualem ipsum diligit, sed habebunt ipsum talem qualem eum odiunt.

Item, qui diligunt Deum propter aliud, non propter se quantum in ipsis est, faciunt Deum minorem eo propter quod ipsum diligit. Omne enim quod propter se est appetendum melius est eo quod propter aliud est appetendum. Igitur qui appetit unum propter se et alterum propter illud, ipso suo appetitu dicit illud quod propter se appetit /51rb/ esse melius reliquo. Igitur qui diligunt Deum non propter se sed propter temporalia, ipso suo diligendi modo dicunt, et quantum in se est faciunt, Deum minorem ipsis temporalibus. Sed quantum Deum sub se detrahunt quantum in ipsis est, tantum disRICTO iudicio deberent sub seipsis detrudi quantum in Deo est.

Sed quo ruerent hii miseri si vel sub millecuplo tantum sub se propellerentur? Quis, inquam, locus eos reciperet? Quod profundum, immo quod sine fundo eorum precipicio, satis profundum esset? Ne igitur tanto precipicio ruamus, ei qui per se stabilis est sincera caritate adhereamus, ipsumque propter se totumque diligamus, quia eum qui Deum sic diligit, sicut dicit sapiens: "Non contristabit quicquid ei acciderit." [Prov. 12:21]

Ponatur enim quod quantavis tribulatio illi accidat, atque omnis tribulatio. Aut est iusta pena peccati preteriti, aut est peccati preteriti purgatio, aut a futuro preservatio, aut ad coronam probatio, aut glorie Dei manifestatio. Sed qui supradicto modo Deum diligit, diligit eum iustum punitorem, ergo non displicet illi eius iusta punicio, ergo illum non contristat. Similiter qui diligit Deum criminum purgatorem, non displicet ei eius purgatio, et ita illum non contristat. Simili modo de ceteris facile est intelligere. Hec est itaque vera caritas que Deum diligit propter se totum.

Qui autem diligit Deum propter se diligit alia propter ipsum, et illa plus aut minus prout ipso plus aut minus participant aut participare possunt. Ergo homines et angelos diligit tanquam se, quia Deo participant aut participare possunt ut ipse, et ipse tanquam illi. Ceteras autem creaturas diligit minus quam se, quia non possunt Deo participare similiter illi. Ex dilectione itaque Dei sequitur dilectio proximi, qua diligitur in Deo et propter Deum.

Quod autem alia ratione patere potest: Qui enim diligit Deum, diligit dilectionem Dei. Et si diligit eam, vult eam quantum potest ampliari et dilatari. Igitur vult eam multiplicari in omni suo susceptibili. Igitur vult dilectionem Dei esse in omni eo quod potest Deum diligere. Igitur vult eam esse in omni homine /51va/ et angelo. Sed hoc est maximum bonum hominis et angeli, scilicet Deum diligere. Igitur vult cuilibet homini et angelo suum maximum bonum. Ergo quemlibet angelum et quemlibet hominem diligit.

Item, qui diligit Deum odit odium Dei, igitur vellet illud destrui in quolibet suo subiecto in quo possibile est destrui. Ergo vellet nullum hominem odire Deum. Ergo vellet quemlibet hominem diligere Deum. Ergo diligit quemlibet hominem diligere Deum. Ergo diligit quemlibet hominem.

Est autem caritas appetenda quia facit hominem deiformem et summe pulcritudini conformem. Facitque eum participem suppremi nominis, ut propter deiformitatem Deus dicitur, non

substancialiter, sed per denominationem, facitque illum celi habitatorem, et ab omni insultu insuperabilem, omniaque possidentem, etc.

Dictum 70

Quomodo iusticia tribuit cuique quod suum est

Iusticia reddit unicuique quod suum est. [cf. Iustinianus, Institutes, 1, ?] Sed numquid in potestate cuiuslibet iusti est unicuique quod suum est reddere, non equidem ut hoc faciat actu et opere, sed ut vel actu et opere, vel voluntate et beneplacito?

Qui enim vere iustus est vult unicuique tribui quod suum est, et si hoc esset in eius potestate tribueret. Beneplacet autem iusto quod unicuique quod suum est tribuitur, et quod unusquisque quod suum est possidet, displicetque contrarium. Unde qui voluntate et beneplacito quod suum est alii aufert, licet non actu, iniustus est. Perpetua itaque est iusticia creature et immortalis non quo ad actum largiendi et tribuendi unicuique quod suum est, quia talis actus non erit in patria, sed quo ad beneplacitum quo bene placebit iustis quod unusquisque quod suum est habebit et possidebit, sive pro bene meritis gloriam graciosam, sive pro male meritis penam iustam.

Dictum 71

De hoc verbo, "Pulcra ut luna"

"Pulcra ut luna." [Cant. 6:9]

Luna gerit tipum tam ecclesie et cuiuslibet anime sancte, quam beate Virginis. Similiter mundi et anime stulte. Mundum et stulticiam signat propter sui mutabilitatem, et vagitatem, et defectionem, et maculam. De sumpcione eius in signum stulticie dicitur: "Stultus ut luna mutatur." [Eccus. 27:11] Mundum vero signat in Apocalypsi, ubi dicitur: "Mulier amicta sole et luna sub pedibus eius." [Apoc. 12:1] Hec enim mutabilia et deficiencia calcant ecclesia, que eadem mutabilia et transitoria signantur. Item, per lunam in Psalmo, ubi dicitur: /51vb/ "Donec auferatur luna," [Ps. 71:7] hoc est rerum mutabilitas et defectus, quia "celum et terra transibunt," [cf. Apoc. 21:1] "et preterit figura huius mundi," [1 Cor. 7:31] "et nova fient omnia." [cf. Apoc. 21:5] In tipum vero ecclesie ponitur luna cum dicitur: "Fecit lunam in tempore." [Ps. 103:19] In tipum eciam tam ecclesie quam anime sancte et beate Virginis ponitur in Canticis, cum dicitur: "Pulcra ut luna." [Cant. 6:9] Signat autem luna hec tria omnia, scilicet animam, ecclesiam, et beatam Virginem, per quasdam sui proprietates easdem et singula per quasdam sui proprietates diversas, utpote sui pulcritudine communiter signat hec tria.

Est autem pulcritudo lune maxima maximeque conspicua refulgencia luminis solis in ipsa. Is est decor eius, et amicta est lumine solis sicut vestimento. Ymmo, quia non sunt diversarum substanciarum sol et eius lumen, sed eiusdem substancie, ipsa vere est amicta sole. Per hanc proprietatem signat luna tam ecclesiam quam fidelem animam, quarum utrumque est mulier amicta sole iusticie, Christo scilicet, secundum illud Apostolicum: "Induimini Dominum Ihesum Christum." [Rom. 13:14]

Secundum hanc eciam proprietatem quodam speciali modo signat luna beatam Virginem, quia ipsa est specialiter amicta sole, eadem scilicet carne qua Ihesus Christus. Et preter hoc, amicta est hoc sole sicut quelibet fidelis anima, sed excellencius et ornacius, quia de sole iusticie plus ceteris splendet, et in hac vita splenduit affectus rectitudine a qua, post conceptionem Ihesu Christi, nec per veniale peccatum declinavit, et plus ceteris splenduit illustratione aspectus, qua limpidius veritatem saluti necessariam vidit et firmius credidit, utpote in qua sola salvata est fides in passione Ihesu Christi, deficientibus Apostolis. Hoc amictu solis interiori beacior quam illo exteriori, scilicet

eiusdem carnis cum Christo participatione. Beacior enim fuit Christum credendo quam Christum concipiendo et pariendo. [cf. Luc. 11:27] Is est enim ille interior amictus quo induimur, “ut honeste sicut in die ambulemus,” [Rom. 13:13] aspectus veritatis per fidem sive intelligenciam, et amor rectitudinis, quorum utrumque splendet in anima sancta non aliunde quam de sole iusticie, de luce “que illuminat omnem hominem venientem in hunc /52ra/ mundum,” [Ioan. 1:9] de veritate, que Christus est, velut splendet luna de solis illustracione.

Quemadmodum autem luna, lucem a sole receptam, refundit in terram et illuminat eam, sic lumen veritatis et amoris recti, quod anima recepit a Christo tanquam a sole, exerit se per quinque sensus in exterioribus bonis operibus, ut lumine exempli suorum operum illuminet terrenos et tenebrosos ut verum agnoscant et rectum diligant, illud explens evangelicum: “Luceant opera vestra bona coram hominibus,” etc. [cf. Matt. 5:16]

Cum igitur anima habitum mentis interiorem lucidum exerit extra per opera sancta, quasi radios recepti luminis de se refundit, quibus non solum ornatur sicut vestimento, sed etiam munitur tanquam armis, quod enim dicit Apostolus: “Induimini Dominum Ihesum Christum,” [Rom. 13:14] hoc alio loco dixit: “Induimini armis lucis.” [Rom. 13:12] Quomodo enim quilibet radius solis, qui suavissimus est oculo plene sano et speciosissimus ad videndum, speculum est acutissimum oculo egro, in quod si intendat eo citissime perforatur et gravissime leditur, sic quodlibet opus sanctum de iusticia et veritate refulgens, quod suave et delectabile est in conspectu Dei et sanctorum, telum est acutissimum, et citissime perforat, et gravissime ledit spiritus lucifugos et refugos, rectores scilicet tenebrarum. Harum econtra, qui de habitu interiori infidelitatis et iniusticie opera prava exerunt, quasi tenebrarum de se caliginem effundunt quibus delectantur, et in quibus habitant spiritus lucifuge, tenebrarum rectores.

O miseri! qui abicientes arma lucis induunt arma tenebrarum. O felices! qui abicientes opera tenebrarum induunt arma lucis. Hac armatura speciali prerogativa induta est beata Virgo, que ex nulla parte alicuius peccati vel venialis nube est obfusca. Unde et ipsa prerogativa pulcra ut luna, preclarius cereis, amicta et armata sole iusticie.

Attende adhuc quomodo ista specialiter ut pulcra luna dicitur. Pater plerumque in scriptura ipsi soli comparatur; Filius radio luminis a sole genito. Notum est autem quod sol radium luminis a se genitum transmittit in lunam, quem a sole susceptum, luna remittit in terram, noctisque tenebras /52rb/ illustrat. Verumptamen radius a sole ad lunam manet in virtute solari, nichil adhuc participans de debilitate lunari. A luna vero ad terram refusus, occultus est in virtute solari, manifestus autem in proprietate et debilitate lunari. Sic Pater Filium, in virtute divinitatis sibi equalem, misit incarnandum in beatam Virginem, qui ab ipsa per partum in mundum editus, in virtute deitatis fuit occultus, in infirmitate humanitatis assumptus ex matre manifestus. Sic ecclesia, quo ad contemplaciones purioris intelligencie recipit, et intelligit, “Verbum in principio apud Patrem.” [cf. Ioan. 1:2] Quod sic receptum, predicat infirmis, “Verbum carnem factum”; [cf. Ioan. 1:14] “nichil se scire iudicans inter eos nisi Dominum Ihesum Christum, et hunc crucifixum.” [cf. 1 Cor. 2:2]

Merito igitur tam ecclesia quam beata Virgo pulcra ut luna, quarum utraque concipiens ipsum, “qui in forma Dei est equalis Patri,” [cf. Phil. 2:6] parit eundem “exinanitum in forma servi,” [cf. Phil. 2:7] velut luna suscipiens radium in virtute solari dedit eundem mundo exinanitum infirmitate lunari. Luna autem plus omnibus stellis est terre proxima, inferiorique incedit via. Sic beata Virgo per affectum miseracionis plus ceteris sanctis peccatoribus approximat, et profundius ceteris fundamentum locavit humilitatis.

Et considerandum quod luna, dum plena est, non tantum reciperet quantum recipit luminis a sole si esset incessu sublimior et situ terre remotior, sed tunc quo est incessu inferior, eo soli propinquior et luminosior, sic quanto quis per humilitatem demissior, tanto soli iusticie propinquior et luce eius gracie luminosior.

Hec etiam prerogative miseracionis et humilitatis, que respectu ceterorum membrorum ecclesie convenit beate Virgini per lunam signate, convenit etiam toti ecclesie respectu singulorum

membrorum per eandem lunam signate. Quod enim miseracionis et humilitatis singulis convenit membris, toti per quamdam excellenciam non incongrue attribuitur.

Item attendendum quod luna quandoque illuminatur tota in parte que patet aspectibus hominum, quandoque illuminatur tota in parte opposita, scilicet que latet aspectus /52va/ hominum. Verumptamen cum illuminatur in parte que latet aspectus humanos, plus ibidem habet luminis quam habeat cum illuminatur in parte que patet, quia in illa parte que latet, que etiam superior est et a terra remocior, forte maculam non habet, vel si habet, tamen illa pars inferiori parte non sit impurior, vel non habet tantam maculam, vel saltem non maiorem, set sive in illa parte maculam habeat sive non, illa pars superior latens cum illuminatur, multo est soli propinquior quam sit pars inferior patens cum illa illuminatur. Unde propter propinquitatem maiorem ad solem illuminantem, pars illa latens suscipit lumen intensius. Et cum sol sit maior luna, semperque secundum veritatem plus mediate lune illustret, quanto sibi proximior est luna, tanto supra medietatem plus illuminat suo lumine. Unde omnino verum est quod pars latens lune cum illustratur plus habet luminis parte patente.

Et quid est hoc nisi quod superior facies rationis, que superiora solium contemplatur, que non intendit actionibus disponendum nec se manifestat aspectibus hominum per actiones, magis est irradiata lumine quam inferior pars rationis actionibus disponendis attributa, que se in actionibus propalat quodammodo humanis obtutibus. Et hoc idem est contemplativos, sursum intentos, qui sunt in occulto, esse clariores activis inferioribus intentis, qui sunt in manifesto. Clarius enim quamvis lateat est in illis lux contemplacionis quam sit in istis quamvis pateat lux operis. Hoc idem est quod maior est gloria testimonii consciencie latentis quam testimonii hominum patentis. Hoc idem est quod nostrum velle benefaciendi quod nemo videt interius, multo debet esse magis quam posset esse bonum opus nostrum quod homo videt exterius, lux scilicet voluntatis occulta multo maior luce operis aperta.

Interior claritas precellens exteriori excellenter congruebat beate Virgini, que omnia verba illa mirifici luminis conservabat, in corde suo conferens. /52vb/

Cum ceteri planete in motibus suis quandoque retrocedant, sol et luna semper procedunt, quia "Christus proficiebat semper sapientia, etate, et gracia apud Deum et homines," [Luc. 2:52] "qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius." [1 Petr. 2:22] Beata quoque Virgo post conceptum Christi nec veniali peccato aliquando retrocessit, cum ceteri quantumcumque sancti tamen, aliquando fervorem caritatis remittendo, tum venialiter peccando retrocedant; sed sicut planete retrogradi etiam cum retrocedant habent quosdam motus processionis, sic sancti quo ad augmentum substance caritatis semper proficiunt.

Item, quantum luna crescit in lumine in parte inferiori que terram aspicit, tantum decrescit in lumine in parte superiori que respicit celum, et vice versa, quia quantum crescit sensus carnalis et amor mundi, minuitur sensus spiritualis et amor Dei, et quantum minuitur sensus carnalis et amor mundi, crescit sensus spiritualis et amor Dei.

Lumine namque ab inferiori parte lune in terram reflexo, plerumque signatur sensus carnalis et amor mundialium, sicut lumine a superiori parte in celum reflexo amor et sensus celestium. Tenebratur itaque luna in parte una secundum quantitatem illuminacionis in parte alia, quia quantum clauditur oculus concupiescencie, aperitur et lucet oculus intelligencie, et quantum tenebratur oculus intelligencie, aperitur oculus concupiscencie, secundum illud: "Qui non vident videant, et qui vident ceci fiant." [Ioan 9:39] Sicut tenebre eius ita et lumen eius.

Est autem luna larga roris, et beata Virgo pariendo Christum stillavit nobis rorem. De quo dicitur in Osee: "Ero quasi ros, et Israel germinabit quas liliium." [Os. 14:6] Similiter ecclesia per predicatores eundem rorem largitur. Unde dicitur: "Rorate celi desuper." [Is. 45:8]

Luna etiam fovet semen, et fructo auget. Et quid apercius quam quod beata Virgo Verbum Patris eternum de se temporaliter natum fovit, quod Verbum predicatum semen est, idem quoque et fructus, quem fructum beata Virgo auxit dum carnem in qua crevit Dei Verbum vestivit. Luna



quoque augmentata crescunt et augmentantur humida et alba; et candore virginitatis beate Virginis mundo /53ra/ manifestata crevit et augmentata est in carne fragili et fluida candor castitatis et liliū virginitatis.

Luna aquas maris movet et facit fluere que propria natura refluunt. Et ecclesia amaritudinem movet penitencie, que fluit in amaras lacrimas, que tamen in quolibet cito a fluxu desistunt, quia "lacrima nichil cicius arescit." [a common proverb; cf. Walther?]

Quod autem luna ostendit diversas facies sui luminis secundum omnes figuras intra duos arcus contentas, quid est nisi quod ecclesia ostendit diversas personas prelucentes in diversis honeste vite formulis, regulatis secundum precepta varia intra duo testamenta contenta?

Et quid est quod macula in luna est forma hominis cum spinea sarcina, nisi quod macula in ecclesia sunt prelati quos premunt diviciarum onera?

## Dictum 72

Sermo de hoc verbo, "Nonne cor nostrum ardens," etc.

"Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Ihesu, dum loqueretur nobis in via, et aperuit nobis scripturas?" [Luc. 24:32]

Verba ista sunt duorum discipulorum recordantium quid in eis ageretur dum Veritas in via eis loqueretur. Verba sunt iam illuminatorum ad videndum ignis splendorem cuius prius in se senserant ardorem.

Concaluerant enim intra se eorum corda desiderio veritatis cognoscende. Sed ardor ille adhuc fumabat ambiguitatis obscuritate, quia adhuc erant ad credendum stulti et tardi corde. Sed per flabellacionem operacionis bone in panis fractione, de fumo ambiguitatis prodiret lux veritatis agnitione. In quo docemur quod ad veritatis manifestacionem et agnitionem, plus valet operacionis experientia, quam erudientis verbo doctrina. Sicut in Ecclesiastico legitur: "Omnia fecit Dominus, et pie agentibus dedit sapienciam." [Ecclus. 43:37] Et Sapiencia 3o: "Bonorum operum gloriosus est fructus," etc. [Sap. 3:15] Et eidem astipulatur quod sparsim in prophetis dicitur loquutum esse Dominum "in manu prophetarum." [1 Sam. 28:15; 4 Kings 21:10; Ez. 38:17; Zach. 7:7 etc.] Hoc est enim in eorum opere veritatis agnitionem eorum mentibus impressisse.

Hii ergo duo discipuli in luce perspicunt [perspicuit MS (ante corr. perspicit)] veritatis iam cognite, gloriantes de illo eciā quem /53rb/ ante lucis eruptionem senserant ardorem, dicunt: "Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Ihesu," etc. [Luc. 24:32] Nec mirum si ardebant dum illis loqueretur, quia et qui loquebatur ignis erat, et sermo quem loquebatur ignis erat. "Deus enim noster ignis consumens est," [Hebr. 12:29] et "omnis sermo Dei ignitus clipeus est sperantibus in se." [Prov. 30:5]

Quomodo ergo ignis ignem efflans, hoc est Deus Verbum loquens, ignis ardorem non imprimeret? Impressus autem ignis ardor est caritatis, de quo dicit Dominus: "Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat." [Luc. 12:45] Ardor autem caritatis bene igitur comparatur, quia ignis est subtilissimum et levissimum corporum, natura tendens sursum. Sic et caritas subtilissima est, quia omnium perscrutativa: "Spiritus enim omnia scrutatur, eciā profunda Dei," [1 Cor. 2:10] et "spiritualis homo omnia iudicat," [1 Cor. 2:15] et "unctio docet de omnibus." [1 Ioan. 2:27] De huius levitate ipsa Veritas ait: "Iugum enim meum suave est et onus meum leve." [Matt. 11:30] De eius tensione sursum ait Apostolus: "Scire supereminentem sciencie caritatem Christi," [Eph. 3:19] et iterum: "Super omnia autem hec caritatem habete." [Coloss. 3:14]

Tria igitur in primis pollicetur nobis caritas: ut scilicet per ipsius subtilitatem agnoscatur veritas; ut in agnitione non sit laboriosa difficultas sed suavis levitas ut in superioribus sit nostra conversacio, ac per hoc istorum infimorum contemptus et despectio. In amatore enim veritatis necessario erit despectio vanitatis. Et sicut ignis natura subtilitatis et levitatis sue et sursum tensionis

superiorem et celestem locum tenens, a motibus et perturbacionibus inferiorum elementorum manet imperturbatus, in se tranquillus, fervens et lucidus, sic vera et perfecta caritate inflammati, in celo cum Apostolo conversantes, motibus istorum inferiorum non perturbantur, quia in adquisicione istorum temporalium non delectantur, nec in amissione tristantur, sed se ipsis et interioribus bonis suis, que invitis auferri nequeunt, contenti, quia “sapiens,” ut ait Seneca, “seipso contentus est,” [cf. Seneca, Epistulae ad Lucilio, 1, 9, 5] et “nichil [non? MS] /53va/ extra se eget.” [cf. ibid, 1, 9, 14] In seipsis permanent tranquilli, ferventes veritatis amore, et lucidi ipsius agnitione.

Tales maxime decet nos esse, qui superiorem locum in ecclesia velud in mundo sortiti sumus. Quia proculdubio quantus esset horror in hoc mundo sensibili si ad motus et turbulenciam inferiorum elementorum turbaretur ordo et tranquillitas mocionis celestium corporum, tantus in conspectu celestium civium est horror in ecclesia cum nos amplexantes hec infima ad eorum mociones a tranquillitate contemplacionis et spiritualis iocunditatis decidimus, et ab ordine recte operacionis deviamus.

Nonne maximum esset mirum et horrendum si sol et luna, vel stelle, vel ipsum celum moverentur ab austro in septentrionem, vel a septentrione in austrum, eo quod turbo venti hic inferius sic movetur? Sic sine dubio horrendum est in ecclesia cum prelati ecclesie rectum cursum vie veritatis deserunt ut hec temporalia incomoda vitent et comoda apprehendant. Ne igitur simus mundi horror et perturbacio, qui deberemus esse eius tranquillitas et ordo, ardentibus cum ipsis discipulis, superiorem locum igni debitum ascendamus, et loci superiorum tranquillitatem et ordinem teneamus. O quam miserabile est auditu quod ista corporalia irrationabilia suum retinent modum et ordinem, et nos rationales facti, cum ipsa ratio sit modus et ordo, et modum deserimus, et ordinem quorum desercio, si in nobis est, ipsis irrationabilibus posteriores sumus, ipsaque irrationabilia evidencia modi et ordinis quos tenuerunt, quos nos rationabiles abiecimus, in magno iudicio nos condempnabunt! Igitur ne hec in nobis fiant, caritate inflammati, superioris loci tranquillum ordinem conscendamus.

Considerantes quod ignis, quo plus ascendit eo amplius dilatatur, sic caritas, quo plus sursum nos evehit eo amplius nos dilatat, ut eciam usque ad inimicos amorem nostram extendat. Ad omnes autem /53vb/ qui salvari volunt, pertinet eciam inimicos tanquam se diligere, quia ubi precipitur nos diligere proximos sicut nos, [cf. Marc. 12:33; Ioan. 13:34] nomine proximi omnis homo intelligitur, quia omni homini idem bonum et tantum bonum quantum nobis debemus desiderare, quia omni debemus summum bonum desiderare, hoc est eum sicut et nos diligere. Sed tamen spiritualiter precipitur perfectioribus, tanquam aliquid perfectius, eciam inimicos diligere. Hec dilectio vocatur non solum predicti desiderii affectio, que communis est omnibus salvandis, sed eius affectionis intencioris in exhibendis exterioribus beneficiis in opus exercicio, ut scilicet maledicenti non maledicamus sed e econverso benedicamus, persequentem non persequamur, [cf. Matt. 5:11] sed si esurierit, cibum da illi, si sicierit, potum, [cf. Matt. 25:35] exemplo Domini, “qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos.” [Matt. 5:45] Et hec pertinent magis ad nos prepositos, qui ceteris perfectiores esse debemus, et rationis veritatem quam libidinosam voluntatem magis sequentes. Stultum enim est et pusilli animi inimicum persequi, quia aut naturam persequeris aut inimiciam. Si naturam eius, igitur et teipsum, ymmo et Dei Filium, quia ipse tecum homo est. Si inimiciam persequeris, ergo eam vis destruere, sed non destruitur, ymmo augetur persecucione. Et quid stulcius quam illud quod niteris evertere eo ipso augere? Quo maxime evertitur inimicicia est patratio beneficii. Si vis quod persequeris maxime occidere, hoc ictu percute.

Item, ignis omnia purgat, segregans ethromogenia et congregans omogenia. Sic et caritas animam distractam et dispersam per hec terrena, eis que quodammodo coniunctam et ipsa coniunctione maculatam, adunat et in se recolligit, a coniunctione tamen terrenis maculantibus segregans, et sic a terrenorum fetulencia purgans.

Ignis quoque omnia opera, vel pene omnia, nature et artificii efficit. Sic caritas in moribus nostris omni operi nature et artificii aliquid efficit proporcionale. Omne enim opus nature et artificii

aliquod exemplar habet honesti, et est /54ra/ in moribus nostris mundus quidem intellectualis, habens in se eiam in morum honestate omni artificio et naturali operi aliquid simile, et propter hoc nominatur homo nomine omnis creature.

Ignis duros lapides solvit in era, et caritas cordium duriciam lapideam vertit in predicacionis perseverantem sonoritatem, ut in Paulo actum est, qui prius fuerat lapideus blasphemus, et persecutor. [cf. 1 Tim. 1:13] Hoc igne tactus, effectus est maximus et constantissimus predicator.

Item, ignis in humido efficit nigrum, et in sicco efficit album. Quia caritas cor fluidum terrenorum fluctivaga concupiscencia vertit in tristitiam et dolorem penitentialem velud in nigredinem, et cor siccatum per penitentiam vertit in spiritualis leticie candorem, hoc precedenti tempore quadragesime et luctus velud humida nigrificavit, hoc presenti tempore paschali iocunditatis et leticie velud sicca candificabit. Unde et ecclesia, glorians tam de dicta nigredine quam candore, ait: "Nigra sum sed formosa." [Cant. 1:4]

Obstat quoque ignis pestilencie, que ex eclipsi solis solet provenire. Eclipsis autem solis fit per interposicionem lune. Sic in mentibus nostris fit obscuracio et vere lucis privacio cum hec mundialia mutabilia, per lunam signata, inter nos et verum solem iusticie Deum fuerint interposita, ex qua interposicione nascitur quam multiplex pestilencia, sed omnem repellit et curat caritatis habundancia.

Ignis est species elementorum; sic et caritas forma virtutum. Et quia longum est caritatis laudem per comparacionem ad ignis proprietates prosequi, ne nimis in longum protrahatur sermo vel remaneat illaudata caritas, pauca verba abbreviata ipsius Augustini de laude caritatis interseremus, qui sic de illa tam graviter quam breviter ait:

"Ille tenet et quod latet et quod patet in divinis sermonibus qui caritatem tenet in moribus. Caritas est sine qua dives pauper est, et in qua pauper dives est. Hec in adversitatibus tollerat, in prosperitatibus temperat; in duris passionibus fortis est, in bonis operibus hillaris; in temptacione tutissima, in hospitalitate latissima; inter veros fratres letissima, inter falsos patientissima. In Abel /54rb/ per sacrificium grata, in Noe per diluvium segura, in Abrahe peregrinacione fidelissima, in Moyse inter iniurias lenissima, in David in tribulacionibus mansuetissima. In tribus pueris blandos ignes innocenter expectat; in Machabeis sevos ignes fortiter tolerat. Casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria preter virum. Libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum. Sola est caritas quam felicitas aliena non premit, quia non emulatur. Sola est quam felicitas sua non extollit, quia non inflatur. Sola est quam consciencia mala non pungit, quia non agit perperam. Inter obprobria segura est, inter odia benefica est, inter iras placida est, inter insidias innocens est, inter iniquitates gemens, in veritate respirans. Quid illa forcus, non ad retribuendas, sed ad noncurandas iniurias? Quid illa fidelius, non vanitati, sed eternitati? Nam ideo tollerat omnia in presenti vita quia credit omnia de futura vita, et suffert omnia que hic inmittuntur quia sperat omnia que ibi promittuntur. Merito igitur numquam excidit. Ergo sectamini caritatem, et tam sancte cogitacionis afferte fructum iusticie. Et quicquid uberius quam ego dicere potui invenietis in eius laudibus, appareat in vestris moribus." [Augustinus, Sermo 350; PL 39, 1534-1535]

Huc usque de laude caritatis Augustinus. Igitur tam laudabili et salubri igne cum illis ardeamus quorum ardencia verba audimus.

"Nonne cor nostrum ardens erat?" [Luc. 24:32] Sequitur "in nobis," et congrue. Sunt enim corda que ardent, sed non ardent interius sed extra; nec ardent igne predictae caritatis vivificante et foveute, sed cupiditatis mortificante et corrumpente. De quo in propheta: "Ignis devoravit speciosa deserti," [Ioel 1:20] et in Ysaia: "Civitates vestre succense sunt igni." [Is. 1:7]

Corda hoc igne ardencia non intus ardent sed foris, quia non intus sunt sed foris. "Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum." [Matt. 6:21] Unde cum amantur hec bona exteriora, extra nos effusum est cor nostrum; cum amantur bona interiora spiritualia, intra nos est cor nostrum, sicut fuit cor prophete dicentis: "Concaluit cor /54va/ meum intra me," etc. [Ps. 38:4] Ignis iste similis fuit

discipulis dicentibus: “Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?” [Luc. 24:32] Quid est aliud “concaluit cor meum,” etc.? Econtra, cor habuit effusum extra se cui dictum est: “Ruben, primogenitus meus, effusus es[t] ut aqua, non crescas.” [Gen. 49:3-4] Hec est vita nostra primitiva animalis, quia “primum est quod animale est, deinde quod spirituale,” [1 Cor. 15:46] que per concupiscencias fluidas extra se est effusa, que crescente vita spirituali non crescit, sed proporcionabiliter eiusdem augmento minuitur. De hac effusione iterum in Ecclesiastico dicitur: “Quid superbit terra et cinis?” quia “in vita sua proiecit intima.” [Eccus. 10:9-10]

Imaginare itaque hominem cuius cor corporale esset corporaliter extra se effusum, quod etiam arderet igne fumoso oculos obtenebrante, igne fetenti, torquente et corrumpente. Ymaginare etiam cum corde extra fuso quod haberet omnia interiora viscera exterius reversa. Nonne hic homo talis esset in corpore maxime deformis et miserabilis? Proculdubio. Quanto spiritus corpore nobilior, tanto amator istorum exteriorum in sui spiritus effusione et interiorum proiectione turpior et miserabilior. Voco autem exteriorum amatorem qui hec in amore divinis preceptis preponit, qui scilicet pro hiis adquerendis vel retinendis aliquod preceptorum divinorum transgredi vellet.

Amor autem, qui nulli precepto divino preponit quantascumque temporalium possessiones, mortalis non est. Si tamen cum leticia possidet et cum tristitia amittit, maculat animam, et necesse est per ignem purgari, aut tribulacionis aut penitencie in presenti, aut purgatorii in futuro. Hic enim talis “Christum habens in fundamento,” hoc est in amorum intimo, “salvus erit, sic tamen quasi per ignem.” [1 Cor. 3:15] Et quis transiturus corporaliter per ignem corporalem, si corpus suum ardere non posset nisi ex fomento stipule, feni, seu lignorum infixorum corpori, [cf. 1 Cor. 3:12] nonne iure reputaretur demens si hoc corpori suo infigeret intente et aglutinaret?

Sic extreme demencie est amores istorum temporalium, licet veniales, qui per lignum, fenum, et stipulam signatur, unde et non aliunde ardere potest /54vb/ anima, nobis infigere et aglutinare. Quam sedule igitur avelleremus a nobis ista si essent nobis affixa transitoris per ignem corporeum, tam sedulo avellamus illa cum transitori sumus per ignem purgatorii. Ymmo tanto magis sedulo quanto ille ignis isto est acerbior, et anima corpore dignior.

Non ardeat itaque cor nostrum extra nos ad penam, sed ardeat in nobis ad gloriam, et hoc de Ihesu. Sic enim sequitur: “Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Ihesu?” [Luc. 24:32]

Ardeat itaque cor nostrum in nobis de Ihesu ut ipse sit finis quo tendat ardor nostre caritatis, et non solum finis sed etiam efficiens eiusdem ardoris. Utraque enim circumstantia notari potest per hanc repositionem, de finalis scilicet et efficientis.

Attendit autem in nobis ardorem hunc caritatis modo quodam inusitato et non omnibus noto, sed sicut inflammantur combustibilia ex crystallo perspicuo rotundo per penetracionem radorum solis ad unum punctum congregatorum. Eius enim divinitas est sicut sol radians, sol iusticie calefaciens affectum et intelligencie illustrans aspectum. Eius caro assumpta est sicut lapis crystallinus. Cristallus enim est aqua congelata ob defectum caloris penitus. Caro autem mortalis et in mortem fluens aque frequenter comparatur. Caro itaque Christi mortalis assumpta aqua est, sed ob defectum caloris penitus congelata, quia ex purissima carne virginis penitus absque omni calore concupiscencie et libidinis adunata.

In beata enim Virgine, in conceptu salvatoris, calor fomitis penitus est extinctus, et in Christo fomes peccati et calor concupiscencie nunquam fuit ullus. Ideo et caro Christi congrue aqua congelata est, ob defectum caloris penitus, et ita cristallus. Per huius cristalli medium penetrant ad corda nostra incendenda radii divinitatis sue, quia non perveniunt ad nos radii amorum et cognicionis divinitatis nisi per fidem humanitatis. Sed hic per hanc ad corda nostra penetrant, ibique adunati et collecti corda nostra amore inflammant, et inflammata luce veritatis illustrant, ut sit cor nostrum cum cordibus discipulorum, “ardens in nobis de Ihesu.” [Luc. 24:32]

Et hoc /55ra/ “dum loquitur nobis in via,” [ibid.] id est in huius vite decursu, quia finita hac vita, non erit ultra tempus audiendi. Loquitur, inquam, extra per litterarum apices, vel per creaturarum species. Sicut enim omnes littere scripture loquitur creatorem, sic et omnes species

creature validissima et limpidissima voce eundem confitentur auctorem, et earum voces liquidissime audiremus, nisi strepitu fantasmatum et vanitatum intus obsurdissemus. [? absurdissemus MS]

Loquitur etiam intus duobus modis, uno cum per seipsum absque omni corporali similitudine mentis nostre superiori intelligencie veritatis pure et incorporee imprimat agnitionem. Altero, cum ministerio angelico in spiritu nostro, parte scilicet mentis inferiore, corporalium rerum imprimat similitudines, in quibus similitudinibus quasi in quibusdam speculis in corpore veritatis quamdam ostendit refulgenciam. Et hec duplex interior loquutio verissima est scripturarum apercio. Sic igitur loquitur nobis in via duplici sermone exteriori, et exponit scripturas duplici interiori.

### Dictum 73

#### De vini proprietatibus

Vinum bonum dat nutrimentum corpori, sanitatem reddit et custodit, si accipiatur secundum quod oportet et quantum natura valebit sufferre, digestivam confortat virtutem. Nec ullus invenitur cibus aut potus qui adeo sit caloris naturalis confortativus aut augmentativus, et hoc est propter eius assimilacionem cum calore naturali. Et cito convertitur in naturalem et mundissimum sanguinem, turbidam clarificat sanguinem, et aditus totius corporis, maxime venas, aperit et mundificat. Epacis opilacionem aufert, tenebrosam obscuritatem tristitia generatam a corde expellit, tocusque corporis membra corroborat. Facit quoque animam oblivisci tristitie et angustie, datque sibi leticiam. Confortat eam ad investigandum subtilem ac difficilem rem, eique tribuit sollicitudinem et audaciam, neque ab ea sentiri laborem, vel dolorem dimittit. Partat quoque cibum cum sua subtilitate ad tocus corporis membra. Velociter etiam calefacit corpora frigida et in frigidat calida; humectat sicca /55rb/ et humida extenuat.

Has vini proprietates partim narrant sacre scripture et expositores sacri. Unde Ambrosius: "Vinum sobrie potatum sanitatem dat et auget prudenciam." [Ambrosius, Hexaameron 3, 17, 72] Et Ecclesiasticus 31o: "Equa vita hominibus vinum in sobrietate; si bibas illud moderate sobrius eris." [Eccus. 31:32] "Vinum in iocunditatem creatum est, non in ebrietatem, ab inicio. Exultacio anime et corporis vinum moderate potatum, sanitas est corpori et anime sobrius potus." [Eccus. 31:35-37] Augustinus, Super Genesi ad litteram: "Quis enim ignorat aquam concretam terre, cum ad radices vitis venerit, duci in saginam vitis illius, atque in eo sumere qualitatem qua in uvam procedit paulatim erumpentem, atque in ea grandescendente[m] vinum fiat maturum que dulcescat, quod adhuc fervereat expressum, et quadam vetustate fermentatum, ad usum bibendi utilius iocundiusque veniat." [Augustinus, De Genesi ad litteram 6, 13]

Similiter tribulacio et penitencia virtus quoque nutrit corpus bonorum operum: "In tribulacione enim sua mane consurgunt ad te"; [Os. 6:1] consurgunt quidem per bonas operaciones. Ysaie 26o: "Domine in angustia requisierunt te." [Is. 26:16] Sanitatem reddit et custodit tribulacio: Ysaie 19o: Percuciet Dominus Egiptum plaga et sanabit eam," et Osee 6o: "Percuciet et sanabit eos." Ysaie 38: "Corripies me et vivificabis me."

Quod autem confortat et augmentat calorem naturalem et vim digestivam est quod confortat caritatem: "In tribulacione enim dilatasti michi." [Ps. 4:2] Nil tam assimilatur caritati et spirituali iocunditati ut tribulacio, quia uterque separant affectum a mundo, interficiuntque iocunditatem mundi, dilatantque animam ad Deum capiendum. Et utraque est mors hominis veteris: "Fortis enim est ut mors dilectio." [Cant. 8:6]

Ipsa quoque tribulacionis angustia cito convertitur in sanguinem mundum quia in puram spiritualeticiam, "quia post tempestatem tranquillum facis, et post lacrimacionem et fletum exultacionem infundis." [Tob. 3:22]

Confortat quoque vinum tribulacionis animam ad investigandas subtilitates quia tribulacio eruditiva est: "Per omne namque flagellum et dolorem erudieris tu, Israel." [non inveni] /55va/

Ieremie 30: "Castigasti me, Domine, et eruditus sum, quasi iuvenulus indomitus." [Ier. 31:18]  
 Ezechielis 6o: "Complebo indignacionem meam in eis, et scietis quia ego Dominus." [Ez. 6:12-13]  
 Ione 2o: "Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum." [Ion. 2:8]

Quod autem tribulatio pellit obscuritatem ex tristitia mundi generatam, patet ex Michea: "Iram Domini portabo, quia peccavi ei, donec iudicet causam meam et faciat iudicium meum, deducet me in lucem, videbo iusticiam eius." [Mic. 7:9]

#### Dictum 74

##### Quod iusticia triplex est

Est iusticia triplex: Prima est que consistit in doctrina moralium et observacionum ab humana ratione et sapientia inventorum. Et quia humana sapientia ad divinam non potest attingere, necesse est ut alicubi dissonet a iusticia divina, et ita in alico repugnet iusticie Dei, et ita simpliciter iusticie Dei, quia: "Qui in uno offendit factus est omnium reus," [Iac. 2:10] et "qui non est mecum contra me est." [Matt. 12:30] De sic iustis dicit Apostolus: "Ignorantes iusticiam Dei et suam volentes statuere iusticie Dei non sunt subiecti." [Rom. 10:3] Et Dominus ait: "Frustra colunt me servantes doctrinam et mandata hominum." [Matt. 15:9]

Est quoque secunda iusticia que consistit in observancia exteriori mandatorum Dei. Hec est iusticia legis et factorum, et iusticia scribarum et phariseorum, supra quam iusticiam nisi nostra habundaverit, non intrabimus in regnum celorum. [cf. Matt. 5:20] Hec est iusticia quam "qui facit homo vivet in ea," [Deut. 18:5, etc.] hoc est, temporaliter pro transgressione a iudice homine non punietur.

Tercia iusticia est cum opus rectum et a sacra scriptura regulatum a radice caritatis procedit, et finem habet summum bonum. Hec itaque iusticia habundat a iusticia scribarum et phariseorum in radice et fine, communicat autem in opere. Ipsi enim faciebant opera ex amore terreno, sive terreni comodi consequendi et incomodi vitandi. Idem itaque in quo vestra iusticia ab illorum iusticia habundat per se meretur regnum celorum, [cf. Matt. 5:20] quia ex operibus non iustificatur omnis caro coram ipso, sed ex fide per dilectionem operante. [cf. Gal. 2:16; 1 Tim. 1:14, etc.]

#### Dictum 75

##### Quod ira duplex est

Est ira duplex, quia simpliciter ira est appetitus pene. Potest itaque alicui /55vb/ appeti pena hoc fine ut ipsa pena sit eidem alicuius mali purgatio et expiatio. Et hic appetitus pene radicem habet amorem, quantoque plus quis amat tanto hac ira plus irascitur. Est quoque idem ordo huius ire qui et caritatis, et est huius ire premium ire Dei dimissio, ut patet in ira Phinees, qua occidit Hebreum fornicantem cum Madianitide. [Num. 25:7-15]

Altera ira est appetitus pene ut ipsa pena sit illa cui appetitur alicuius boni privatio vel corruptio. Qui sic irascitur, quantum in se est, opus Dei destruit, et contrarius est Deo. Et hec ira est esuries qua aliena saciatur miseria, unde et hec debet sua propria saturari miseria.

De hac dicitur ira: "Viri iusticiam Dei non operatur." [Iac. 1:20] Et iterum: "Sol non occidat super iracundiam vestram." [Eph. 4:26] De priori dicitur: "Irascimini et nolite peccare." [Eph. 4:26]

## Dictum 76

De habitacione in terra, et sub terra, et super terram

Domine Deus meus “exaltasti super terram habitacionem meam.” [Eccus 51:13] Terra est caro hominis. Unde et primo homini dictum est: “Terra et pulvis es, et in pulvere reverteris.” [Gen 3:19] Et ibidem: “Maledicta terra in opere tuo.” [Gen 3:17]

Quidam itaque habitant sub hac terra, quidam super hanc terram, quidam vero supra hanc terram, longe elevati ab illa, sicut quedam animalia habitant sub hac terra visibili, utpote vermes quidem et talpe, quedam vero super terre huius superficiem, ut homines et bestie, aves vero sublime petunt, angeli autem habitant in celestibus, longe a terra remoti.

Hii itaque sub terra carnis sue habitant quibus dominatur carnalis voluptas, utputa luxuria et gula. Qui autem domant et subiciunt sibi carnem usque ad castitatem coniugalem, hii terram tangunt, sed super illam habitant, habentes lucem celi et liberum ayera haurientes. Qui autem a carne seiuncti sunt usque ad castitatem vidualem quasi cum avibus sublime volant. Qui vero usque ad castitatem virginalem quasi cum angelis celum tenent.

Item, terra est amor terrenorum sive terrena amata. Cui ergo per cupiditatem /56ra/ dominantur terrena, sub terra habitat in tenebris, de quibus ait Psalmista: “Introibunt in inferiora terre.” [Ps 62:10] Qui vero amat terrena, non tamen progrediens in amorem illicitum ut sit cupiditas terre, adhuc incola est sed super illam habitans. Qui vero terrena contempnunt et abnegant pre amore celestium, hii cum Apostolo non iam in terra sed in celo conversantur. [cf. 1 Cor 15:47; Col 4:1] Hii precipue dicere possunt: “Exaltasti super terram habitacionem meam.” [Ecclus 51:13] Qui itaque abutuntur mundo, sub terra sunt. Qui licite utuntur in terra, cum hominibus habitant. Qui respuunt mundum, in celo conversantur cum angelis.

## Dictum 77

Brevis comparacio oculi interioris et exterioris

Pupilla est pura cordis intentio in Deum, sive ipsa intelligencia, pusilla per humilitatem, pura per interiorem virginitatem, ut pupilla, in qua apparent omni rerum ymagines, quia omnium similitudines sunt in intelligencia, et tamen homo non videt in ea nisi sui ymaginem, quia omnis res exemplar est homini ad videndum.

In mortuo autem post triduum non apparet pupilla, [cf. Isidorus, Etymologiae, 11, 1, 37] quia in mortuo, in triplici concupiscencia obscurata est mentis intelligencia. Pupilla, medius scilicet oculi punctus, ubi est vis videndi, triplici humore circumdatur, sic intelligencia sana fide, spe et caritate. Deinde septem donis Spiritus Sancti, vel septem virtutibus principalibus, velud septem tunicis circumdatur. Palpebre, que muniunt ne pulvis incidat, sunt meditacio ortus et occasus rerum labilium, et meditacio ortus et occasus proprii. Hec enim prohibent pulverem temporalium ne incidat in amorem intelligencie nostre, quia “memorare novissima et non peccabis in eternum.” [Ecclus 7:40] Ipsiusque ortus rei aspectus quasi palpebre est apercio, occasus rei quasi palpebre clausio. Pili palpebrarum sunt cogitare punctiones afflictionum que sunt in hiis temporalibus in quibus non est nisi vanitas et afflictio spiritus.

Oculus autem ininfrigidabilis est, quia intelligenciam predicto modo munitam non ledit frigus mundane tristicie, sed delectat frigus, quod est privacio ardoris concupiscencie. /56rb/

Dictum 78  
De nubibus

Calore solis elevatur vapor de terra et aquis marinis qui, cum venit ad frigidam ayeris regionem, ipsa frigiditate tam regionis medie quam sue naturis proprie congregatur et inspissatur, reditque ad terram pluvia. Congregatus autem et inspissatus, dum sursum suspenditur, nubes est.

Nubes itaque Christum signat, ut in Ysa.: "Ecce Dominus ascendit super nubem levem." [Is 19:1] Et Spiritus Sancti protectionem, ut in Evangelio: "Et nubes lucida obumbravit eos." [Mt 17:5] Et obscuritatem scripturarum, ut in Psalmo: "Qui operit celum nubibus." [Ps. 146:8] Et predicatorum, ut in Psalmo: "Tenebrosa aqua in nubibus aieris." [Ps. 17:12]

Predicatoribus itaque bene congruit nubis generatio. Calor namque solis gratia est Spiritus Sancti qui, tangens affectum adhuc terrenis deditum et amarum, seperans eum paulatim a terrenis, sursum elevat celestium desiderio. Quantoque plus sursum elevatur tanto plus a terrestri calore relinquitur et in frigidatur et adunatur vi congregativa superioris regionis et nature proprie. Quanto enim aliqua plus sunt celestia, tanto plus unitatem appetunt. Cum autem adunatum fuerit, et a terrenis sursum suspensum, desiderium ipsa desideracione sursum manendi, non solum in se sed in aliis, ipsis aliis inferioribus in verbis doctrine se influit, ut terra compluta, et calore solis tacta, iterum evaporet, vaporque ascendat in nubem. Hoc est ut corda irrorata verbis doctrine, et calore gratie attacta, sursum ascendant celesti desiderio, et privata calore terrestri, adunentur in nubes spiritualis. Hee itaque nubes, sicut et nubes corporales, pluunt ut regenerentur. Sed hoc habent differens, quod pluendo non minuuntur. Hee itaque nubes, ut dicit Gregorius, pluunt verbis, coruscant miraculis, tonant minis. [cf. Moralia in Iob, 30, 2]

Nubes semper sunt in motu, et quomodo flat ventus, eo eunt et nubes. Ita et predicatorum, quomodo eos impellerit Spiritus Sancti instinctus, eo discurrunt ad predicandum. Et si quandoque quiescant corpore, numquam tamen ab hoc discursu quiescunt desiderio. Unde: "Ubi /56va/ erat spiritus impetus illuc pariter et rote gradiebantur." [cf. Ez 1:12] Habent infixum cordi illud sapientis: "Discurre, festina, suscita amicum tuum." [Prov 6:3]

Nubes eciam superius habent superficiem spericam et inferius cavam; in lateribus nullam manentem figuram, sed secundum tempora se semper variantem. Et quid est hoc nisi quod superior ratio cavo celi, hoc est complexui divini amoris, se conformat, et inferior ratio incavitate amplexantis amoris subditos sibi continet? Proximis vero, qui, in quantum proximi sunt, a lateris sunt, pro loco et tempore se varie conformant. Hanc variam diversis conformationem habuit Apostolus dicens: "Omnibus omnia factus sum." [1 Cor 9:22]

Nubes umbraculum est ab estu solis. Sic et predicatorum ab estu ire Dei nos protegunt, sicut fecit Moyses, qui inter Deum iratum et populum se interposuit medium dicens: "Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti." [cf. Ex 32:31-32] De hiis nubibus dicitur: "Qui sunt isti qui ut nubes volant." [Is 60:8] Et iterum: "Mandabo nubibus meis ne pluant super eos ymbrem." [Is 5:6] Hiis nubibus pluit Dominus "super unam civitatem et non super alteram." [Amos 4:7] Et in Apoc.: "Hii enim habent potestatem claudendi celum nubibus ne pluat." [Apoc 11:6]

Dictum 79  
De ignis proprietatibus

Ignis aliquando zelum Dei exprimit, aliquando Spiritum Sanctum, aliquando caritatem, aliquando cupiditatem, aliquando maliciam, aliquando intellectum, aliquando tribulationem, aliquando iram, aliquando voluptatem.

Zelum Dei notat cum dicitur: "Deus ignis consumens est." [Deut 4:24; Hebr. 12:29] Spiritum sanctum tamen dicitur in igneis linguis super apostolos descendisse, ubi eos luce sapientie illustravit.



[cf. Act 2:3] Caritatem signat, ut est illud in evangelio: "Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat." [cf. Luc 12:49] Cupiditatem, ut in Exodo: "Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati," [Ex 35:3] hoc est ignem cupiditatis in cordibus humanis sive in conventiculis universis vetat ascendere. Maliciam signat per incurvationem cordis ad inferiora, de quo igne dicitur: "Ignis adversarium consumet." [Hebr. 10:27] Sicut enim ignis amoris mentem erigit, ita ignis /56vb/ malicie mentem involvit. Tribulationem signat, ut in Psalmo: "Igne nos examinasti," [Ps. 65:10] et alibi: "Consumam vos igne ire mee." [cf. Ez 22:31] Voluptatem signat et libidinis ardorem ut est illud: "Omnes adulterantes sicut carbo ignis ardens corda eorum." [cf. Os 7:4] Item ignis signat in sacris eloquiis bonum, ut ibi: "Sermo Domini clipeus igneus sperantibus in eum," [cf. Prov 30:5] malum, ut in Levitico de filiis A<a>ron, qui optulerunt ignem alienum Domino et ibi consumpti sunt. [cf. Lev 10:1-2; Lev 16:1]

Ut autem sciamus quomodo ignis tam diversa signat, considerandum est que sint ignis proprietates, et que ignium genera. Est itaque ignis simpliciter dictus levissimum corporum, ascendens sursum, congregans omogenia, ethromogenia disgregans. [cf. Dictum 72] "Nichilque pene est quod non igne efficiatur. Alibi enim vitrum, alibi argentum, alibi plumbum, alibi pigmenta, alibi medicamenta facit. Igne lapides in era solvuntur; igne ferrum figuratur [gignitur Isidorus] ac domatur, igne aurum perficitur, igne cremato lapide cementa et parietes ligantur. Lapidem nigro ignis coquendo candificat, ligna candida urendo obfuscant, quia calidum in humido nigrum et in sicco album facit, carbones ex pruna fulgida nigros facit, de lignis duris fragiles, de putribilibus imputribiles reddit, stricta solvit, soluta restringit, dura mollit, mollia dura reddit. Habet medicaminis usum, nam sepe uri prodest. Pestilencie quoque, que obscuracione solis contrahitur, auxiliari certum est. In opere quoque aliud gignit primis ignibus, aliud secundis, aliud terciis. Habet quoque et in se aliam diversitatem ignis, nam alius usui humano, aliis qui in iudicio apparet divino, sive qui de celo fulmen abstringit, sive qui de terra per vertices montium eructuat. Ignis quoque dictus quod nichil gignitur ex eo. Est enim inviolabile elementum assumens cuncta que rapit." [Isidorus, Etymologiae 19, 6, 2-5]

Est et ignis triplex: Alius vitalis et fovens, alius nocivus non tamen plene corrumpens, tertius vero destructivus corrumpens. Est etiam ignis lucens non urens, et est lucens et /57ra/ urens, et est urens et non lucens, ut ignis iehenne.

Ignis quoque iste communis semper in motu, et non rectus est, sed acutus, quasi lingua circumstantia lambens. Ignis itaque simplicissimum corporum, per sui simplicitatem signat Deum, Spiritum, caritatem, intellectum etiam scripture, quia quodlibet horum simplex est natura. Aut simplicitate cordis nos informat, ut simus cum Iob, "simplices et recti." [Iob 1:1] Et sciamus "de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis" queramus eum, [Sap. 1:1] ambulemusque confidenter, quia "qui ambulat simpliciter ambulat confidenter." [Prov. 10:9]

Quodlibet etiam horum levissimum est. Dicitur autem leve et quod vi sua supremum tenet locum, et quod vi sua sursum nititur. "Dominus autem excelsus super omnes gentes." [Ps. 112:4] Caritas etiam sursum tendit, unde ad Corinthios primo, capitulo 13o: "Adhuc excelsiorem viam vobis demonstro," [1 Cor. 12:31] et ad Eph. 3o: "Supereminentem sciencie caritatem." [Eph. 3:19]

Similiter scriptura sursum ducit, "erat enim rotarum altitudo." [Ez. 1:18] Quodlibet istorum congregat omogenia et segregat singenia, quia animam distractam et dispersam per hec terrena, eisque quodammodo commixtam, adunat et recolligit in se, et a commixtione cum terrenis segregat. Nichilque est quod non efficiat ignis iste, quia omnium(?) ei quod verum esse habet in creaturis aliquid comproporionale efficit in nobis Deus Spiritus Sanctus, caritas, et scripture intellectus. Omnis enim creatura aliquod habet exemplar honesti quod honestum per quodlibet dictorum in nobis efficitur. Est enim in moribus hominum mundus quidem intellectualis.

Consumit autem iste ignis non id quod est, set id quod non est, peccatum scilicet, cum econtra ignis concupiscencie id quod est consumat, quia ab esse ad minus esse hominem inflammando trahit. De priori igne dicitur Isa. 33o: "Quis ex vobis habitabit cum igne devorante?" [Is.

33:14] De secundo, Iohannis primo: "Ignis comedit speciosa deserti, et flamma succendit omnia ligna regionis." [Ioel 1:19]

Lapides in era solvit cum duriciam philosophorum infidelium in sonoritatem predicacionis et perseveranciam convertit. Es enim /57rb/ sonorum est et durable. Duricia quoque mentis ferree hiis ignibus domatur et mollitur, et signatur reformacione ymaginis sui conditoris.

Item, duricia mentis lapidee hiis ignibus cremata vertitur in cementum, quia in ligamentum discordium et divisorum et in unum pacis vinculum. Sic crematus, Paulus vertebatur in cementum colligans discordes, Iudeos scilicet et gentiles, in unum parietem et unam edificacionem, per totam epistolam ad Romanos. [cf. Rom. 1-16] Tale cementum sunt qui concordiam fraternitatis diligunt.

Isti ignes nigros peccatis candificant virtutibus, et candentes candore prosperitatis mundane vertunt in nigritudinem penitencialis tristicie. Faciunt nigram animam per merorem et habitum penitenciam, set tamen intus formosam.

Humidos quoque per fluxum fluide concupiscencie similiter nigrificant in habitu penitencie. Siccos vero ab hoc fluxu candificant virtutum nitore. Duriciam eciam quorundam vertunt hii ignes in consideracionem fragilitatis proprie, ut qui se reputant fortes agnoscant se fragiles. Faciunt eciam de hiis que computruerunt per luxuriam, ut iumenta in stercore suo, extracto humido concupiscencie imputribiles, qui iure ponantur in fundamentis ecclesie velud carbones, qui propter imputribilitatem in fundamentis poni consueverunt.

Quid est quod stricta solvit, soluta stringit, nisi quod avaros solvit in largitatem, prodigos redigit in moderamen. Que infra modum coartantur dilatant in modum que supra modum effunduntur. Contrahit in modum omnes herbas viciorum malas collectas in latitudinem memorie velud in agro latissimo, ignes isti absumunt et omnem humorem noxium exsudare faciunt, ut fiat ipsa anima ager fertilis, cuius odor sit "sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus." [Gen. 27:27]

Occurrunt eciam isti ignes pesti, que provenit ex solis obscuracione. Obscuracio solis est per interposicionem lune, et hoc est cum mundalium mutabilitas inter Christum, solem iusticie, et animam dividit. Ex qua divisione nascuntur pestes innumere, quibus /57va/ predictos ignes manifestum est auxiliari.

Gignuntque predicti ignes primis calefactionibus homines mundo bene utentes, secundis calefactionibus homines a mundo se exuentes et mundum labilem contempnentes. Tercis vero iam exutos in sponsi amplexibus suaviter quiescentes.

Ignes hii vitales sunt, lucent, et tempore calefaciunt. Nichil quod fit absumunt, sed solum id quod non est, scilicet peccatum; et hec absumpcio non est nisi a defectione in esse provectione. Ignis autem tribulacionis urit quidem affligendo, sed tamen lucet et sanat. Ignis vero concupiscencie urit quidem et corrumpit, nec lucet, sed obfuscatur spiratque tenebras. Separant quoque hii ignes boni quod spirituale est a terreno, et in sui similitudinem convertunt, sicut ignis separat elementa subtiliora a terreno incombustibili.

Sunt autem quedam tota convertibilia in naturam ignis, nichil in combustionem habentia cineris. Sic homo totus, hoc quod conditus est, configurabilis est hiis ignibus spiritualibus, nec remanet cinis, nisi in quantum aglutinat sibi per concupiscenciam hec terrena que aliene sunt nature.

Ignis est species elementorum, sic et caritas forma virtutum.

Dictum 80

De duabus molis anime

Molendus est animus inter spem et timorem quasi inter duos moles, quarum superius volvitur, inferior vero immobilis est, quia timor est penarum infernalium quarum locus est medium terre immobilis, spes vero est gaudiorum celestium, et forte in celo quod nunc volvitur corporaliter

erunt homines in corporibus glorificatis, et sic mollitur inter spem glorie habendam in celo quod volvitur, et timorem pene future in terra que non movetur.

Tribulacio eciam, que purgat per motus non entes in nostra potestate, nonne quidem effectus est celi superius moventis et terre inferius iacentis? Et inter has duas molas purgatur anima per tribulacionem, et exiit a cortice et fantasmatis rerum terrenarum ut sit pura similia que offertur in Domini sacrificium et intrat in panis compositionem, de quo dicitur quod "unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et de uno calice participamus" etc. [1 Cor. 10:17] Amen. /57vb/

#### Dictum 81

##### De proprietatibus cervi

Cervus signat viros sanctos Deum desiderantes. Unde Psalmus: "Sicut cervus desiderat" etc. [cf. Ps. 41:2] Cervi patriarche. Unde in Cantico, de Christo, filio patriarcharum: "Fuge dilecte mi, assimilare capree hinnuloque cervorum." [Cant. 8:14] Cervi apostoli. Unde: "Vox Domini preparantis cervos." [Ps. 28:9] Cerva caro Domini: "Cerva karissima et gratissimus hinnulus." [Prov. 5:19] Cerve apostoli. Unde Iob: "numquid nosti tempus ibicum aut parturientes cervas considerasti?" [Iob 39:1]

"Cervi autem dicti "apo tau [apo tau: a potu MS] ceraton," id est a cornibus. Cerata enim Grece cornua dicuntur. Hii serpentum inimici cum se gravatos infirmitate presenserint, spiritu narium eos extrahunt de cavernis, et superata pernicio veneni eorum pabulo reparantur." [Isidorus, Etymol., 12, 1, 18] Cum autem eos spiritu narium extractos voraverint, veneno estuante permoti, ad fontes aquarum quanta possunt velocitate festinant. Amant enim dulci aqua purissimaque saciari. "Dictamnium [diptamium MS] herbam ipsi prodiderunt, nam eo pasti excuciant acceptas sagittas. Mirantur autem sibilum fistularum," unde et cantu capiuntur. "Erectis auribus acute audiunt, summissis nichil. Si quando immensa flumina vel maria transnatant, capita clunibus precedencium superponunt, sibi invicem succedentes nullum laborem ponderis sentiunt." [Isidorus, Etymolog., 12, 1, 18-19] Cerve paulo ante partum purgant se quadam herba que seselis dicitur.

Estque istud animal primo innoxium, postea velocissimum, spinosa transiliens et in summis montium habitans. More itaque cervorum predatores maxime oportet esse innoxios, ut possint dicere cum Psalmista: "Ego autem in innocentia mea ingressus sum." [Ps. 25:1] Sintque innocentes non virium imbecillitate, aut animi fatuitate, sed non nocente sapienti voluntate. Unde eis dicitur: "Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbe." [Mt. 10:16] Et alibi: "Nolite pueri esse sensibus sed malicia parvuli estote." [1 Cor. 14:20] Secundo, sint velocissimi, ut sint, sicut docet Iacobus: "Veloces ad audiendum, veloces ad discurrendum." [Jac. 1:19] Sicut docet Sapiens: "Festina discurre, suscita amicum tuum." [Prov. 6:3] Veloces ad volandum, ut sint de hiis de quibus dicit Ysaias: "Qui sunt isti qui ut nubes volant?" [Is. 60:8] Sint et veloces ad spoliandum et predandum, ut sit "nomen eorum Accelera, /58ra/ velociter spolia detrahe, cito predare." [Is. 8:3]

Delectari eciam debent potu aque limpidissime, de qua dicitur: "Omnes sicientes venite ad aquas." [Is. 55:1] Et alibi: "Qui sitit veniat ad me et bibat." [Ioan 7:37] Sed caveant ne cum bibant pedibus suis eam perturbent. De qualibet dicit Ezechielis: "Cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbastis, et oves mee hiis que conculcata pedibus vestris pascebantur." [Ez. 34:18] Quod exponens Gregorius dicit: "Aquam limpidissimam pastores bibunt cum fluentia veritatis recte intelligentes hauriunt. Sed eandem aquam pedibus perturbare est sancte meditationis studia male vivendo corrumpere. Aquam eorum turbatam oves bibunt cum subiecti quique non sectantur verba que audiunt, sed ea sola que conspiciunt exempla pravitatis imitantur, que cum dicta siciunt que per opera pervertuntur, quasi corruptis fontibus in potibus lutum sumunt." [Regula Pastoralis, 1, 2]

Quid est autem quod spinas transiliunt, nisi quod huius mundi divicias, que habent punccionem solitudinum, contempnunt, scientes quia omnia hec non nisi labor et afflictio spiritus. Et quid est quod hiancia transiliunt, [cf. Cassiodorus, Expos. Psalmorum, Ps. 17, lin. 525] nisi quod vicia, que sunt defectiones et vacuitates, non amant, audientes illud Apostoli: "Nolite diligere mundum, nec ea que in mundo sunt, quia omne quod in mundo est aut concupiscencia carnis aut concupiscencia oculorum aut superbia vite." [1 Ioan. 2:15-16]

Hii habitant in summis montium, in celsitudine scilicet virtutis contemplacionis intelligencie scripture, de quibus dicitur: "Montes excelsi cervis." [Ps. 103:18] Audiunt enim illud consilium angelicum: "In monte salvum te fac." [Gen. 19:17]

Cornua autem virtutes sunt, in quibus sibi ipsis et carni supererminent. De qua supererminencia dicit Ieremias in Trenis: "Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se supra se." [Lam. 3:28] In cornibus quoque carni supererminent dum per virtutum continenciam carnis curam non faciunt in desideriiis. Et nota quod animalia que habent cornua non habent dentes in superiori mandibula, quia virtutum erminencia preditioni, licet habeant in exteriori correptione et odio vicii mordacitatem quasi dentem in mandibula inferiori, carent tamen omni mordacitate in racionis affectu superiori, diligit affectu inferiori quem quasi lacerat /58rb/ correptione mordaci.

Quid est autem quod herba commesta sagittas ex corpore excutit antequam infixae mortem generent, nisi quod medicamento penitencie excutiunt peccata, secundum quod canit ecclesia: "Peccata mea Domine quasi sagitte infixae sunt in me," [cf. Ash Wednesday liturgy] sed antequam vulnera generent in me, "sana me Domine" medicamento penitencie Deus. [cf. liturgy? cf. Ps. 6:3]

Quid etiam est quod transeuntes flumina sese supportant, nisi quod transeuntes mundi fluxum faciunt illud preceptum apostolicum: "Alter alterius onera portare" etc. [Gal. 6:2] Et ad Ephesios: "Cum paciencia supportantes invicem in caritate." [Eph. 4:2] Et ad Collosenses 3: "Supportantes invicem et donantes vobiscum ipsis." [Col. 3:13]

Nil mirantur nisi sibilum fistularum. Fistule sunt qui per humilitatem cavi, ab ore Dei Patris flatu procedente, idest flamine sacro, replentur, cuius flatus impulsu sibilum suavem, hoc est vocem iubilationis, emittunt. Is est sibilus de quo in Regum 3o c. 19: "Egredere et sta in monte coram Domino, et ecce Dominus transiet, et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petros ante Dominum; non in spiritu Dominus. Et post spiritum commocione; non in commocione Dominus. Et post commocionem ignis, non in igne Dominus. Et post ignem sibilus aure tenuis, et ibi Dominus." [3 Reg. 19:11-12] Oportet enim primo querere Dominum in timore, subvertente superbiam et conterente cordis duriciam, et in hoc tamen non ostendit se Dominus, sed potius in amore quem precedit hic timor.

Cum autem queritur, sciendum quod ipse nichil horum est de quo dubitatur an ipsum sit Deus. Ipse enim est oculo mentis sicut sol iste est oculo corporis, qui cum se ostendit mentis oculo iam in lumine suo cognoscitur ipsum lumen; in commocione igitur dubitacionis non est.

Preterea, ipse nichil horum est que in hoc corpore mortali adhuc positae aperta visione manifestantur. Aperta autem visio ignis nomine signari potest propter hoc: "Non in igne Dominus." [3 Reg. 19:12]

Ipse autem Dominus verbum est Patris, et est in seipso quasi vox litterata et articulata. Sed talis non potest intra nostra labia interiora contineri. Est enim nobis ineffabile, et tamen ab ore nostro interiori aliquo modo fatur. /58va/ Dum famur ipsum esse ineffabile aliquo modo ipsum famur subtilissimum, ergo et tenuissimum, quod aliquo modo susurrare possunt et non effari labia interiora, ipsum est ubi Dominus. Hoc est sibilus quem mirantur spirituales cervi. Auribus erectis acute audiunt, summissis nihil. Auris est amor audiendi et percipiendi disciplinam veritatis. Hanc aurem sursum erigunt, cum ad percipiendum "sapientiam, que desursum est," hanc amorem intendunt. [cf. Iac. 3:17] Huiusque vocem acute audiunt, quia perspicue intelligunt quid loquatur in illis Dominus, dicentes cum Psalmista: "Audiam quid loquitur in me Dominus Deus." [Ps. 84:8] Hic autem auris submittitur, cum ad audiendam veritatem aliquam sciencie mundialis ob necessitatem

fratrum inclinatur, nec tunc acute audit quia nil talium in affectum interiore traicit. Aures erigunt prelati sancti ad divina. Submittunt autem ad iudicia secularia discutienda.

Purgant autem se cervice propinque partui, quia cum nituntur opus preconceptum et per deliberationem formatum in actum quasi in lucem educere, omnem vigilanter purgant inmundiciam que possit partum operis maculare, considerantes videlicet ne aut illud agant quod non debeant, aut ubi non debent, aut quo fine non debent, aut quando non debent. Sic se purgabat qui dixit: "Verebar omnia opera mea." [Iob 9:28] Et ad hanc purgationem monuit qui dixit: "Omnia fac cum consilio et post factum non penitebis." [Eccus. 32:24]

Quid autem sit quod serpentes vorant ad vetustatem deponendum, super Psalmos exponitur. Potest autem et per serpentem intelligi mortalitas sive mors que per serpentem intravit. [cf. Rom. 5:12] Cum itaque morbo aliquo spirituali vel vetustate mentis gravemur, nare discrecionis traicienda est in recordationem mentis nostra mortalitas, qua diligenti consideratione quasi masticata et commesta, fontem gratie sciamus. Quis enim bene considerans suam mortalitatem non ingemiscit cum Paulo dicens: "Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis huius?" [Rom. 7:24] Quis non cum eo statim currit sitibundus ad fontem gratie, subdens: "Gratia Dei per Dominum /58vb/ nostrum Ihesum Christum," [Rom. 7:25] quo fonte hausto deponit senium et renovat iuventutem? Hoc modo serpentem devoravit Iob infirmatus, cum dixit: "Nudus egressus sum de utero matris mee et nudus revertar illuc." [Iob 1:21] Devorabitur igitur serpens iste cum "absorta erit mors in victoria," et deponetur omnis vetustas et renovabitur iuventus non senescens "cum mortale hoc induerit immortalitatem," et "corruptibile hoc incorruptionem." [1 Cor. 15:53-54]

Dictum 82

De infirmitate hominis, super hunc versum, "Miserere mei Domine quoniam infirmus sum"

"Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum." [Ps. 6:3]

Stimulus ad orandum ut ab infirmitate liberetur homo est proprie infirmitatis consideratio. Quid enim, ut dicit Bernardus, affectius hominem ad orandi studium excitaret quam miseria et calamitas tantorum malorum quibus adductus premitur? [cf. Sermones super Cantica canticorum, 49, 3] Homo he stimulo punctus et excitatus, exclamat iste: "Miserere mei quoniam infirmus sum." [Ps. 6:3]

Sicut igitur necessaria est homini ab infirmitate liberatio, et ut liberetur oratio, sic etiam ut affectuose oret, proprie infirmitatis qua excitetur affectus, consideratio. Ut itaque nobis apercius pateat nostra infirmitas, considerandum est primo que sit vera sanitas, ut videntes nostram ab ea elongationem, videamus quam profunde mersi sumus in infirmitatem. Vera autem sanitas est quam homo habuit ante lapsum in paradisi temporie, licet perfectior futura sit in statu glorie. In paradisi autem serenitate, tanta fuit homo preditus felicitate, ut nihil fuerit unde sensum eius, sive extrinsecus sive intrinsecus, aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor ureret, aut algor stringeret, aut horror offenderet.

Non fuit in eius corpore inter humidum et siccum, calidum et frigidum, ex quibus constabat, quamvis essent contraria, aliqua discordia seu oppugnatio, ex qua morbi egrotationes que nascuntur et turbatur validudo, sed eorundem ordinata consensio parcium omnium corporis nulla incommensurata discrepantia, set comproporcionata temperatura, unde nec egritudo in debilitatem, nec senectus /59ra/ urgebat in defectum. Sensuum erat vivacitas sine ebetudine, unde et scienciarum adquisicio potuit esse sine labore.

Non erat ibi lex carnis repugnans legi mentis, sed plena requies appetituum spiritui rebellancium, quia nec paradisi honestas faciebat aliquid indecorum nec paciebatur aliquid incapatum. Erat ibi memoria sine oblivione, ratio non erronea, in libertate consilii habuit posse non peccare, in libertate complaciti posse non turbari. [cf. Bernardus, Liber de gratia et de libero arbitrio,

21] Unde erat in illa felicitate cognicionis non erronee actionisque consencio, et sub eterna lege ordinata obedicio. Is est status primi hominis ante lapsum, vereque sanitatis a quaquam sumus remoti tam infirmi.

Ad infirmitatem igitur nostram pertinet quod sensum nostrum, sive intrinsecus sive extrinsecus, pungit dolor, fatigat labor, confundit pudor, urit ardor, stringit algor, offendit horror. [cf. Augustinus, *Contra Iulianum*, 5] Quod in nobis contraria non tenent pacem, unde turbatur corporis validudo, et secundum innumerabilis eorum discrepancias anxiatur, et a peritissimis medicis incomputabilis nascuntur morbi et egrotaciones. Ad recessum eciam a sanitate pertinet parcium integralium incommensuracio. Unde cum invalidudine turpitudinis ad id actum sensuum ebetudo, labor in addiscendo, carnis ad spiritum rebellio, memorie oblivio, error in racionando, et que tandem sunt pessima et inconsolabiliter lugenda, non peccandi impotencia, cognicionis actionisque discrepantia, eterne legi inobediencia.

Nonne de sic egrotante merito dicitur: "A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas." [Is. 1:6] Nil enim ad litteram verius, nil manifestius. Vel, si verticem capitis supremum racionis appellare velis, plantamque pedis infimi affectus seu appetitus ultimitatem, cum in appetitibus sit immoderacio, in supremo racionis ignorancie obfuscatio, et non nisi enigmatica visio, in omnibus viribus intermediis defectio seu inordinacio, ubi est in eo nisi sanitatis privacio et egritudo. Hanc miserandam egritudinem natus infans statim deplorat, et adhuc insensatus arguit senes in hac egritudine ridentes.

De hoc ploratu, Sap. 7o: "Ego natus concepi communem /59rb/ ayerem et in similitudinem factam decidi in terram et primam vocem similem hominibus emisi plorans; in involumentis nutritus sum et curis magnis." [Sap. 7:3-4] Et de hoc eodem ploratu in libro 2o Augustini *Contra Iulianum*: "Male Eva parturivit, ut partus relinqueret mulieribus hereditatem atque unusquisque concupiscencie voluptate concretus, et genitalibus visceribus infusus, et coagulatus in sanguine, in pannis involutus," non utique lineis aut laneis sed pannis viciati originis tanquam hereditariis, "prius subiret delictorum contagium quam vitalis spiritus munus hauriret," in quem velud immensum fontem communis et non desistentis alimenti post occulta spiramina viscera maternorum qui nascitur funditur in ortu pleno ploraturus reatum quem contraxit ante ortum." [Augustinus, *Contra Iulianum*, 2, 8]

Et forte quod futuri presagio a voce huius ploratus nomen illius incepit, per quem ploratus iste in mundum venit, et forte qui nascitur eundem conquerendo quatenus potest appellat, quasi prophetice diceret: "Adam exemplum meum ab adolescentia mea." [Zach. 13:5]

Bene autem propter punccionem doloris in carne, dicitur terra carnis nostre spinas et tribulos nobis germinare. [cf. Gen. 3:18] Propter easdem punccionem, que nobis debent esse stimulus oracionis, dicitur in Baruk 4o: "Indui me sacco obsecracionis," [Bar. 4:20] et Iob 16: "Saccum consui super cutem meam." [Iob 16:16]

Nostram item infirmitatem, temporis vite brevitatem, sciencie paucitatem, expressit philosophia in Sapientia 9, [philo in Ysa. 8 MS] "Homo infirmus et exigui temporis et minor ad intellectum iudicii et legum." [Sap. 9:5] De difficultate adquisicionis sciencie in Genesi 3o: "In sudore vultus tui vesceris pane tuo." [Gen. 3:12] Propter pugnam carnis ad spiritum exclamat Apostolus: "Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis huius." [Rom. 7:5]

Cum itaque tot et tantis miseriis repleatur, homo miser, ut dicit Iob: "Homo natus de mulieris," etc., [Iob 14:1] unde superbit terra et cinis? Numquid fur superbit de laqueo quem portat in collo? "Homo autem," ut ait Augustinus, "circumferens mortalitatem suam, circumfert testimonium peccati sui, et testimonium, quia superbis, resistit Deus." [Augustinus, *Confessiones*, 1, 1; cf. Iac. 4:6; 1 Petr. 5:5] /59va/

Dictum 83  
De passere

Passer a parvitate vocata. [cf. Isidorus, *Etymologiae*, 12] "Passer est nimia velocitate celerrimus, qui in silvis habitare non patitur sed domum sibi in parietum foraminibus desideranter exquirat, quam dum invenerit nimis gaudio letus exultat quia se diversarum adversitatum ulterius patere non credit insidiis." [Cassiodorus, *Expositio Psalmarum*, Ps. 83:4]

Hec avis "nimia sagacitate sollicita est, que nec facile laqueis irretitur, nec per ingluviem ventris escarum ambicione decipitur. Hec propter infirmitatem suam ne aut ipsa a predatore capiatur aut fetus eius serpentinis devoretur insidiis, inter aves unica caucione munita ad domorum celsa fastigia concurrat, ut a suspectis casibus reddatur aliena, que multis periculis probatur obnoxio." [Cassiodorus, *Expositio Psalmarum*, Ps. 101]

"Sunt autem passerum tria genera. Alii gaudent ad foramina parietum, alii valles roridas requirunt, nonnulli montes appetunt squalentes." [Cassiodorus, *Expositio Psalmarum*, Ps. 10] Per hec tria genera passerum signantur tria genera hominum. Primi sunt qui per meditationem assiduam passionis Christi in foraminibus vulnerum eius sibi parant mansionem et nidum, et contra adversa tuicionem. De hiis dicitur in Cantico canticorum 2o: "Columba mea in foraminibus petre, et cavernis macerie," [Cant. 2:14] et in Exodo 32o: "Cumque transierit gloria mea ponam te in foramine petre et protegam te dextra mea." [Ex. 33:22]

Alii sunt qui requirunt valles humilitatis, vernantes ardore caritatis et desiderio martirii.

Tercii sunt qui quasi ad altissima terrarum levissimo volatu rapiuntur, dum ad nequissimas predicationes levitate inconstantis animi transferuntur. De hiis dicitur: "Transmigra in montem sicut passer." [Ps. 10:2]

Passer autem, cum bonos signat, per sui corporis parvitem denotat esse in eis humilitatem, eosque parvos esse in oculis propriis, qualis erat aliquando Saul, cui dixit Samuel, primo Regum 14o: "Cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es." [1 Reg. 15:17] Qualisque fuit Abraham cum dixit: "Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis," [Gen. 18:27] et Iacobus [Iob MS] cum dixit: "Minor sum cunctis miseracionibus tuis." [Gen. 32:10]

Signat eciam eosdem per celeritatem nimee velocitatis. Velox enim est qui in parvo tempore multum pertransit spacium. /59vb/ Quid itaque velocius quam subito per aversionem amoris a terrenis et conversionem eius ad celestia ab ymis pertransire ad summa, vel a terra in qua debebat per actionem et compassionem proximi subito volare in celum contemplacione? Cum eciam aliquid agimus terrenum, et in illo celeste premium intendimus, non aliquid terrenum, quid aliud quam a terra in celum intencione volamus? De hoc veloci volatu dicitur: "In omnibus operibus tuis esto velox." [Eccus. 31:27] Hec velocitas conqueritur mortua in Saul et Ionata cum dicitur, Regum primo: "Eos fuisse aquilis velociores." [2 Reg. 1:23] Hii tales non habitant in incultis silvis, ubi sunt spine solitudinum secularium et relique silvestres arbores malarum voluntatum, que non possunt fructus bonos facere. Sed hii, ut dictum est, exquirunt sibi domum in foraminibus petre, et in cavernis macerie, hoc est in Christi vulneribus, quam cum invenerint, nimio exultant gaudio cum eo qui dixit: "Mihi absit gloriari nisi in cruce," etc. [Gal. 6:14] et alibi: "Exultabo in Iesu, Deo meo," [Hebr. 3:12] et "Exultabo in salutari tuo," [Ps. 9:16] quia "hac caucione muniti non credunt se ulterius aliquarum adversitatum patere insidiis, ut serpentum morsibus qui fetus suos devorent." [Cassiodorus, *Exp. Psalm.*, Ps. 101] Crux enim, et Christi vulnera, omnia fugant demonia. "Ante oculos sic pennatorum frustra iacitur laqueus vel rete," [Prov. 1:17] deceptorie persuacionis, vel viscus mundialis delectacionis, quia oculi eorum semper ad Dominum qui evellet de laqueo pedes eorum. [cf. Ps. 24:16] Hec avicula eciam est exemplum parsimonie, que per ventris ingluviem escarum ambicione non decipitur. Sicut ergo piger dicitur: "Vade ad formicam o piger" etc., [Prov. 6:6] sic ad gulosos, qui per ventris ingluviem se precipitant in laqueos diaboli: "Vade ad passerem o gulose, et disce ab eo parcimoniam."

Magnum est nobis itaque exemplum sancte conversacionis hec parvula nobiscum conversans avicula, ut nec sunt nobis excusacio, qui tantum et tam manifestum eciam in parvis habemus documentum. Ymo sit nobis horror et confusio cum avicularum comparacione, si tale documentum neclexerimus, condempnabimur.

Signat eciam duo passeris qui in mundacione leprosi offeruntur [cf. Lev. 14:4-7] Christum, secundum geminam naturam eius. Passer enim immolatus signat eius naturam humanam, /60ra/ secundum quam passus est. Passer vero qui vivus avolat signat divinam naturam immortalem et impassibilem.

Hinc quoque aperte congruunt passeris proprietates, qui "parvulus nobis natus est," [Is. 9:6] cum esset Dominus omnium, "minoratus ab angelis," [Hebr. 2:9] et eximatus usque ad mortem crucis. [cf. Phil. 2:8] De quo eciam dicitur quod "omnibus mobilibus mobilior est sapiencia," [Sap. 7:24] qui non habitat in incultis silvis, que faciunt fructus malos, "quia in malivolam animam non introibit sapiencia," [Sap. 1:4] sed desideranter exquirat sibi habitacionem in cavo humilitatis illorum, qui per fortitudinem illorum et pacienciam sunt petre, et per hoc quod opponunt se murum pro domo, et vinea Domini sunt macerie.

In hiis enim munitus est Christus contra insultus, non sibi sed membris suis, nocere volentes. Is irretitus non est laqueo quem tetenderunt ei Iudei, quando venientes cum Herodianis quesierunt an liceret dare censum [sensum MS] Cesari. [cf. Mt. 22:15-22] Nec cum ei obicerunt mulierem septemviram. [cf. Mt. 22:23-33] Nec per ventris ingluviem escarum ambitione deceptus fuit, cum temptatus a diabolo audivit: "Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant." [Mt. 4:3]

#### Dictum 84

##### De usura

Ex usuris adquisicionem iniustam esse et iniquam patefacit auctoritas tam veteris quam novi testamenti. In Deuteronomio namque 23o precepit Dominus per Moysen dicens: "Non fenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam tuam, nec fruges, nec aliam quamcumque rem." [Deut. 23:19] Item, per Ezechielem 18o dicit Dominus: "Vir si iustus fuerit" etc. usque "ad usuram <non> comodaverit et amplius non acceperit," [Ez. 18:5,8] et post pauca dicit: "a pauperis iniuria manum suam averterit, usuram et superhabundanciam non acceperit." [Ez. 18:17] In Exodo quoque ait: "Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes." [Ex. 22:25] Et in Psalmo: "Qui pecuniam suam non dedit ad usuram." [Ps. 14:5] In evangelio precepit Dominus per os proprium dicens: "Mutuum date, nichil inde sperantes." [Luc. 6:35]

In lege autem itaque prohibetur dare pecuniam ad usuram fratri. Sed tamen videtur permitti usure perceptio ab alieno. In propheta vero prohibetur usuram accipere a quocumque suo fratre sive alieno. In evangelio vero non solum superhabundancia, sed spes omnis superhabundancie /60rb/ abscinditur, et ita ex cupiditate iniuriosa paulatim fit deductio ad libertatem graciosam. Congruit itaque filiis nove legis et gracie ea que gratis acceperunt, dum eorundem usibus sive dispendio carere possunt, indigentibus gratis mutua dare, et ex mutui dacione nil superhabundancie sperare, maximeque nil superhabundancie recipere.

Est enim superhabundancia recepta iniuriosa extorcio. Cum enim ab invito dante recipit mutui dator superhabundanciam, aut recipit eam pro aliquo aut pro nichilo. Si pro nichilo, patet quod iniusta est extorcio. Si pro aliquo, ergo est quasi empicio et vendicio. Sed si vendicio est, aut venditur ipsa pecunia, et tunc non est mutui dacio, nec sic fit contractus, vendo tibi decem pro duodecim. Propterea si esset vendicio, posset incontinenti petere pretium pro quo venditur. Vel si vendidit decem pro duodecim in fine mensis, potest petere duodecim in fine mensis, ac hoc fuit.[?] Non enim potest petere in fine mensis nisi duo tantum ex superhabundancia.



Item, quod factum est solum in hunc usum ut sit precium emendorum, ut moneta non venditur recte, sed solum inde emitur. Item, si venditur, venditor scienter id vendit pro pluri quam valeat et ita iniuriosus est. Item, si vendit pro tanto quantum valebit, tunc signato aliquo tempore futuro, vendit ipsum tale quale ipsum erit tunc, aut quia tunc erit melius seipso nunc. Sed tale esse suum non est, ergo vendidit quod suum non est, sed solum quod suum esse posset.

Item, aut venditur tempus, aut ipsa accomodacio, aut lucrum quod in tempore quo accomodatur posset ex accomodato per negociacionem adquiri. Si itaque vendit tempus, vendit quod suum non est, sed quod Dei solius. Si vero dicat tempus esse suum, eo quod est sui esse mensura, eodem modo est tempus suum omnium mutabilium. Unde omnibus mutabilibus iniuriatur quando quod commune est omnibus sine illis vendit. Si vero ipsam accomodacionem vendit, cum ipsa accomodacio, eo quod accomodacio graciosita sit, graciā vendit, quod inconvenientissimum est. Si vero vendit lucrum quod ex accomodato posset adquiri, vendit id quod non fuit, nec est, nec erit in rerum natura, sed solum esse poterit, qualis /60va/ vendicio manifeste est iniuriosissima. Item, quodcumque horum vendat, accipit precium et non dat appreciatum, et hoc est iniuriosum.

Item, si vendat tempus, quantum est in ipso, non ulterius remanet habens tempus, ergo nec motum, ergo nec profectum in melius, nec profectum in hoc ut sit dicitur. Item, cum quantum in ipso est non remanet ultra habens tempus vel motum, quantum in ipso est continuat instans dacionis pecunie ad usuram cum instanti receptionis pecunie cum usura, et ita quantum in ipso est continuat pecunie sue possessionem. Sed si continuus esset pecunie sue possessor, nulla ratione posset pro ea ab altero exigere superhabundanciam.

Quocumque itaque modo accipiatur superhabundancia, iniusta est adquisicio. De qua dicit Chrisostomus, Mt. 5: "Nichil usura turpius, nichilque crudelius. Si quid huiusmodi fenerator negociatur aliena discrimina et uberiores ut putat fructus de alterius infelicitate consequitur, atque insuper quasi pietatis mercedem reposcit, velud metuens ne in misericors forte videatur, cum profecto sub scemate miserendi atque opem ferendi misero foveam crudelitatis effoderit, spem iuvandi atterens inopem ac manum porrigendo deiciens, et quasi in portum quidem ex tempestate suscipiens, sed improvise turbine in multo magis crudelitatis naufragium, velud inter scopulos ac latencia saxa demergens." [Chrisostomus ... ]

Dictum 85

De hoc verbo, "Vas electionis est mihi iste"

"Vas electionis est mihi iste." [Act. 9:14]

Vas consuevit fieri de massa solida, rudi, et aspera, per cavacionem intrinsecus et per abscicionem asperarum parcium extrinsecus.

Iste itaque beatus Paulus, dum fuit Saulus, et persecutor ecclesie, fuit velud massa rudis, solida, et aspera. Confidebat namque se esse plenum intus soliditate vere sciencie, salutis sue necessarie et sufficientis. Confidebat se bonorum morum soliditate sanum et refertum. Confidebat de liberi arbitrii sufficiencia, et legis iusticia. Et tamen hiis plenus erat malis moribus et insipientia, quia nec bonus erat, nec sapiens, dum Iesum Christum, qui solus bonus, a quo omnis bonitas, et solus est vera et summa sapiencia, atrociter /60vb/ et insipienter persequebatur. Erat quoque extrinsecus asper, dum exterius erat "spirans minarum et cedis in discipulos Domini." [Act. 9:1] Ipsum namque in exterioribus actionibus pungens et ledens nocumentum patientibus est amarum et asperum. Sed quando a se omnem de se abiecit confidenciam, vere agnoscens et confitens se omnibus bonis vacuum et inanem, insipientes cogitaciones et malas voluntates de corde suo eicens, et eisdem cor suum evacuans, in vas honoris et glorie intrinsecus est concavatus. Cum vero omnem nocivam actionem a se circumcidebat exterius, ariditate asperitatis extrinsece est innovatus.

Hec autem intrinsecus cavatio et extrinsecus asperitatis abscisio frequenter fit acumine tribulacionis et pene, aut presencialiter sensate, sicut factum est in Paulo, aut que timetur futura, sicut fit plerumque in aliquibus qui timore iehenne et eciam temporalis pene omnem de se presumpcionem abiciunt, et a pravis cogitacionibus et voluntatibus cor emundant, et a pravis actibus membra circumcidunt.

Vas autem sic iniciatum splendificari oportet per lucem fidei, complanari et levificari per consolacionem spei, celari per caritatem. Ipsa namque caritas efficit animam deiformem et summe pulcritudini conformem, reparans in ea Trinitatis ymagine.

In vase autem sic perfecto colligitur ros gracie, ponitur vinum sapientie, et oleum leticie et misericordie, refectio eukaristie, panis videlicet vite, qui de celo descendit. [cf. Ioan. 6:59] Iste autem preeminencia quadem inter ceteros fuit vas, electionis videlicet, quia plus omnibus laboravit. Et cum seminaret plus aliis spiritualia, carnalia tamen non messuit, sed de labore manuum suarum vixit, plus aliis scribendo doctrinam evangelicam exposuit et firmavit. Ipse pro fide Christi dilatanda, ut ipsemet testatur: "In laboribus plurimis, in carceribus habundancius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter," et in ceteris que consequenter enumerat, ad Corinthios scribens. [2 Cor. 11:23-29] Hiis et similibus erat in oculis Domini preciosus et electus, que in conspectu amatorum mundi vilia sunt et abiecta. /61ra/

Dictum 86

De hoc verbo, "Nolite esse prudentes apud vosmetipsos"

"Nolite esse prudentes apud vosmetipsos" [Rom. 12:16] tantum, sed prudentiam vestram in proximorum utilitatem convertatis, ut sitis boni.

Quia hec est bonitas, se et sua, quantum potest, quis in plurium hominum convertere utilitatem, et ut probemini diligere proximos sicut vosmetipsos, [cf. Marc. 12:31] per hoc quod vestram prudentiam in eorum convertitis utilitatem sicut in propriam, et ut sitis membra in corpore Christi pro commembris eiusdem corporis sollicita, et ut pulcrius eluceat vestra prudentia in communem utilitatem deducta.

Omne namque bonum quidem plurium participacione non minuitur ad singula. Quanto communicatur a pluribus, tanto idem est pulcrius, utilius, et melius. Et hoc vere est humanum, ut cum homo sis, nichil humanum a te reputes alienum. [cf. Terentius, Heauton Timorumenos, 77]

Preterea non potest esse bonum proprium quod non est commune, sicut oculus non solum sibi videt, nec os solum sibi comedit, nec manus sibi soli operatur, nec pes sibi soli ambulat. Qui eciam in sui utilitatem tantum vult convertere quo sine detrimento sui posset plures iuvare, seipsum convincitur ledere, quia cum genus humanum sit sicut corpus unum, et singuli homines sicut singula unius corporis membra, ex natura unitatis membrorum in uno corpore tenentur pro aliis membris sollicitudinem habere. Unde cum hoc non facit quod aliis debet, non attribuendo eisdem iniuste facit, iustamque penam sibi merito acquirit. Et cum egeat commembrorum suorum iuvamine, ipsa autem ab eo non adiuta, minus tenentur, et forte minus possunt eum iuvare versa vice. Quid aliud facit cum non iuvat et possit, nisi sibi ipsi adiutorium subtrahit.

"Providentes bona," etc. [Rom. 12:17]

In omni opere consideranda sunt tria: ut ipsum opus operanti conveniat, ut Deo non displiciat, ut proximum non offendant. Nullum enim opus agendum est cum offensione proximi quod potest omitti sine offensione Dei. Opus tamen ex cuius omissione Deus offenditur, pro offensione proximi non ommittatur. /61rb/

Sequitur: "Cum omnibus hominibus pacem habentes." [Rom. 12:18]

Si cum omnibus hominibus pacem habere precepis, ergo et tecum primo, cum et tu homo sis. Que pax inchoatur cum homo secundum spiritum subicit se Deo, et carnales motus subicit

spiritum, et refrenat tam rationis consensum quam membrorum actum ne carnis obtemperant concupiscenciis, perficitque id quod scriptum est: "Post concupiscencias tuas non eas," [Ecclus. 18:30] licet nondum compleat quod scriptum est: "Non concupiscas." [cf. Rom. 13:9, etc.] Hoc vero, dum caro adversatur spritui, non perficitur. [cf. Gal. 5: 17] Sumus tamen in agendo illud dum concupiscencia cotidie minuitur. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, perficietur. [cf. 1 Cor. 15:54] Qui autem sic in se pacem inchoaverit, pacem cum aliis quantum ad se pertinet habere poterit. Omnibus enim aliorum bonis congaudebit, aliorum malis condolebit. Et cum alienis malis adversatur ipsaque debellat, non ex ipso sed ex malo belli datur occasio. Preterea debellans aliena mala intendit ipsos malos ad pacis unitatem revocare, et ita plus habet cum eis pacem, quam permanenter intendit, quam bellum, quod dolens transeunter agit.

Sequitur: "Non vosmetipsos defendentes," etc. [Rom. 12:19]

Hoc est, contra vicia vestra corripientes et castigantes non apponatis scutum superbe defensionis, quia hoc est manum medici repellere, et manus sirurgi putridas carnes resecare volentis non admittere, de facie tollere volenti maculam resistere. Similes in hoc Ade et Eve et Cayn, qui peccata sua superbe excusaverunt, et ideo non veniam criminis, non medelam vulneris meruerunt, sed maledictionis penam incurrerunt. [cf. Gen. 3:14-24, 4:9-16] Stulta est hec defencio et scuti opposicio, que vulnus non prohibet sed acquirit, manum percutientem non repellit sed admittit.

Tolle hoc scutum, et Dominus retrahit percucientem manum. Oppone hoc scutum, et Dominus extendit manum ad percucendum. De qua manu in Ysaia scriptum est: "Manus eius extenta et quis avertet eam?" [Is. 14:24] Et iterum: "Non est qui de manu mea /61va/ eruat." [Is. 43:13] Et iterum in eodem propheta: "Ulcionem capiam, et non resistet michi homo." [Is. 47:3] Melius igitur datur locus ire quam opponitur scutum defensionis superbe. Ipse enim dat locum ire qui castigantis suscipit correptionem, permittens quod ira zeli corripientis excoquat in eo rubiginem vicii corrumpentis.

Secundum autem alium intellectum, monet Apostolus ne contra iniuriantes nobis verbo vel opere defendamus, nos reddentes vicem pro vice, sed solummodo sustineamus protecti sub scuto paciencie, ubi nulla insultantium iacula poterunt nocere, et sic omnia sufferendo dare locum iniuriantis ire, et insimul vindictam ire iuste ulcionis Dei reservare. Qui enim seipsum ulciscitur, iudicem super suum adversarium seipsum constituit, cum nemo honorem iudicis sibi assumit, sed qui vocatus est a Deo tanquam Aaron. [cf. Hebr. 5:4]

Insuper, sentencie proprie quam iudicio perverso in adversarium tulit executorem se constituit, et hoc totum libidine vindicte non amore, iusticie Dei quoque locum usurpat, qui iustus iudex iudices constituit et omnes potestates ordinavit, sicut testatur Apostolus dicens: "Non est potestas nisi a Deo." [Rom. 13:1] Vicem quoque Dei usurpat cum vindicat, cum Deus dicat: "Michi vindictam, et ego retribuam." [Rom. 12:19] Nullus enim recte punit nisi qui ex eius ordinatione punit, et sic non ipse homo est qui punit, sed Spiritus Patris qui punit in ipso, sicut qui Dei verba loquuntur non ipsi sunt qui loquuntur, sed Spiritus Patris qui loquitur in eis. [cf. Mt. 10:20]

Sequitur: "Noli vinci a malo, sed vince in bono malum." [Rom. 12:21]

A malo vincitur qui a propria ira vel a propria cupiditate vincitur. Et non erubescunt homines vinci a viciis, et erubescunt vinci ab hominibus. Turpe putant ab homine adiuvante extrahi a puteo, et magnificum credunt vicio impellente ruere in puteum.

Item, a malo vincitur qui mali hominis obtemperat male voluntati. Ab eo namque quis vincitur et captivatur, a quo secundum ipsius libitum deducitur, quod si quis mala voluntate male /61vb/ voluntati resistit, adhuc eum malum vicit, quia ipsa voluntas mala, qua malo resistit, eum vicit. Et insuper diabolus eum vicit, cuius hec est intencio ut qualibet occasione superetur homo a male voluntatis vicio.

Vincimus autem in bono malum quando, sicut dicit Ieronimus: "Inimicis nostris prebendo beneficia, maliciam illorum nostra bonitate superamus, et mollimus duriciam iratum que animum ad molliciem et benevolenciam flectimus." [Hieronymus, Epist. 120, 1]

De hac sententia ita ait Augustinus: “Quanta vero precepta concordie non humanis disceptacionibus exquisita, sed divina auctoritate conscripta, in Christi ecclesiis lectitentur, quis vel ab illa religione alienus ita surdus est ut ignoret? Ad hoc enim et illa pertinent, que malunt exagitare quam dicere, alteram percucienti prebendam esse maxillam, [Mt. 5:39] volenti auferre tunicam dandum esse pallium, [Mt. 5:40] cum angariante duplicandam viam. [Mt. 5:41] Hoc quippe fit ut vincatur bono malum, et homo liberetur a malo non exteriori et alieno sed intimo ac suo, <quo> gravius et perniciosius quam cuiusvis hostis extrinsecus immanitate vastatur. Qui ergo vincit bono malum, patienter amittit temporalia comoda, ut doceat quod pro fide atque iusticia contempnenda sint, que ille nimis amando fit malus, ac sic iniuriosus ab eo cui fecit iniusticiam, discat qualia sint propter que fecit iniuriam, atque in concordiam, quia nichil est utilius civitate, penitens adquiratur victus non sevientis viribus, sed benevolencia patientis. Tunc enim recte fit, cum videtur ei pro futurum esse propter quem fit, et ad operandam in eo correctionem atque concordiam. Hoc certe animo faciendum est, eciam si alius exitus consequatur, nec corrigi velit atque pacari, propter quem corrigendum atque pacandum velud curandum et sanandum adhibita est medicina.” [Augustinus, Epist. 138, 2]

Dictum 87

De hoc verbo, “Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis”

“Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.” [2 Cor. 6:1]

Gracia Dei est bona voluntas eius, qua vult nobis, sine nostris meritis, bona /62ra/ conferre. Et hec est maxime eius gracia, qua “vult omnes salvos fieri et ad cognicionem sui pervenire.” [1 Tim. 2:4] Et hanc gratiam in vacuum recipit, qui bona gratuita oblata sibi, unde salvari posset, repellit. Ad tales in Parabolis Salamonis introducitur sapiencia, loquens hoc modo: “Vocavi et renuistis; extendi manum meam et non erat qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum et increpaciones meas neglexistis.” [Prov. 1:24-25]

Qui eciam, bona gratuita collata sibi et recepta, postea prevaricans, abicit gratiam, voluntatis bone Dei, qua vult omnes homines salvari, in vacuum recipit. Prior obsistit Deo pulsanti ad ostium mentis et ingredi volenti, secundus admissum eicit. Et est mira utriusque impudencia. Quis enim aurum, vel argentum, vel quodvis parvum munusculum oblatum non recipit, aut receptum abicit? Veteres caligas non abiciunt homines, dum alicui usui apte sunt. Magis igitur talibus vilescit Deus quam quodvis parvum munusculum, vel eciam vetus calciamentum, qui oblatus non recipitur, aut receptus eicitur. Ipse autem est oblatus munus maximum. Offerens est dator liberalissimus, quia idem ipse est oblatus et offerens. Nec offertur tepide, sed cum voluntate optima, et cum instancia ut recipiatur maxima. Quapropter respuitur stultissime et impiissime, cum maximo dampno et iustissimo supplicio.

Similes sunt tales Mari Mortuo, quod nichil vivum in se recipit, et si vi vel arte aliqua fuerit res viva immersa, eam reicit. [cf. Isidorus, Etymol., 13, 13, 6; 13, 19, 3] Sic hii mortui per culpam, fluctuantes per concupiscenciam, amari per iram et mundi solitudines et seculi tristiciam, vitam virtutum, et vitam qui Deus est, non admittunt, aut ad tempus admissam reiciunt, dum “velud canis revertuntur ad vomitum.” [Prov. 26:11] Hoc mare accensas fares non sinit in se mergi sed extinctas. [cf. Isidorus, Etymol. 13, 19, 4] Sic et hii ardentes caritate et /62rb/ lucentes sciencia non recipiunt, nec in profundum dilectionis sue inmergi sinunt, sed eos qui in se spiritum extinxerunt admittunt. In hoc mare frequentissime cadunt flumina, et super tales per vindictam fulminat Dei ira.

Dicitur eciam Dei gracia omne bonum datum a Dei voluntate bona nobis collatum. Sic bona naturalia tam anime quam corporis gracia illius sunt, et eciam bona extrinseca temporalium possessionum. Hec itaque gracia in vacuum recipitur, cum bono recepto quis non bene utitur, vel eciam abutitur. Hec gracia in eo vacua non est, qui singulis datis ad eum finem utitur propter quem

finem singulorum factum et datum est. Qui autem rebus collatis non recte utuntur non sunt rerum propriarum possessores, sed alienarum detentores. Quod liquet ex verbis Beati Augustini in epistola ad Macedonium, ubi sic dicit: "Iam vero si prudenter intueamur quod scriptum est: 'fidei homini totus mundus divitiarum est, infidei autem nec obolus,' nonne omnes que sibi videntur congaudere licitis conquesitis eis que uti nesciunt possidere convincimus? Hoc enim certe alienum non est quod iure possidetur. Hoc autem iure quod iuste, et hoc iuste quod bene. Omne igitur quod male possidetur alienum est. Male autem possidet qui male utitur." [Augustinus, Ep. 153, 6]

Utuntur autem omnibus rebus non recte, quibus utuntur non ad finem summi boni, qui Deus est. Unde Augustinus in libro De civitate Dei: "Omnis usus rerum temporalium refertur ad fructum pacis terrene in terrena civitate. In celesti autem civitate refertur ad fructum pacis eterne." [Augustinus, De civ. Dei, 19, 14] Non recte autem utentes bonis temporalibus hec amittent, et eterna non recipient. Unde autem Augustinus in eodem libro: "Qui mortalibus bonis paci mortalium accomodatis recte usus fuerit, accipiet ampliora atque meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem eique convenientem gloriam et honorem ad vitam eternam ad fruendum Deo et proximo in Deo /62va/ qui autem perperam nec illa accipiet et hec amittet." [Augustinus, De civ. Dei, 19, 13] Nec mirum si non accipiat eternorum fructum, ymmo etiam de civitate celesti eiciatur, extra quam non erit locus, nisi infernus, ubi recipiatur qui hic non est usus rebus temporalibus ad eterne pacis fructum.

Quis enim vellet in stabulo suo habere iumentum quod nunquam operaretur aliquod utile, sed multociens domino suo esset dampnosum? Et quis vellet in domo sua habere vasa, etiam licet essent optima, si tamen nunquam fieret usus inde propter quem facta erant? Aut quis pateretur in orto suo arborem infructuosum, vel fructum ferentem venenosum? Quin secundum Domini sententiam potius excideret illam, et in ignem mitteret, quam sineret ut terram inutiliter occuparet? [cf. Mt. 7:19, etc.] Sic Dominus, licet de malis aliquid utilitatis servis suis provideat, quia tamen ipsi mali fructum bonum non fecerunt, securi mortis eos abscidet, et in ignem iehenne mittet. [cf. Mt. 3:10] Utile est igitur consilium infructuosis arboribus, ut antequam veniat tempus abscisionis, sinant colonum fodere circa ipsas, et mittere stercora. Hoc est predicatorem ligone predicacionis eruere, et seperare terrena ab amore eorum, et ibidem, ubi amori adheserunt terrena, facere agnosci sordes peccatorum, ut ex agnitione sordium peniteant, et "fructus dignos penitencie" faciant. [cf. Luc. 3:8]

Est autem gracia ex gratuita Dei voluntate peccatorum remissio, et penarum ad purgacionem criminis proficientium inflictio. Nec has gracias in vacuum recipit qui remissori culpe gratiarum actiones exsolvit, et ex periculo preterito, caucius vitat consimile in futuro, et ex recordacione evasionis periculi, rapitur in ardenciolem amorem liberatoris sui, et iam solutus a vinculo, non torpescit ab opere bono. Qui etiam penas gratanter sustinet in peccati satisfactionem, et iusticie Dei approbacionem, et viciorum abscisionem, /62vb/ et desiderii eterne quietis et suscitacionem.

In vacuum vero has gracias recipiunt qui eas ad predicta non convertunt. Valde autem stultum est medicinam, quam sapiens medicus propinat ad salutem, convertere sibi ad perniciem, et inde metere corrupcionem, unde, si vellet, posset metere vitam eternam. Quod faciunt qui contra penas hic inflictas, dum est locus penitencie, murmurant.

Dictum 88  
De aspide

"Ios [Iot MS] Grece," ut dicit Isidorus, "venenum dicunt, et inde aspis, quod morsu venenato interemit. Huius diversa genera, et species, et dispar effectus ad nocendum. Fertur autem cum ceperit pati incantatorem, qui eam quibusdem carminibus propriis evocat, ut eam de caverna educat, illa, cum exire noluerit, unam aurem in terram premit et alteram cauda obturat et operit. Sic

ita, voces illas magicas non audiens, non exit ad incantantem.” [Isidorus, Etymolog. 12, 4, 12] De quo Psalmista: “Furor illis secundum similitudines serpentis, sicut aspidis surde et obturantibus aures suas,” etc. [Ps. 57:5]

Quid autem aspis, secundum hanc proprietatem quod morsu venenato interficit, apcius quam detractorem signat, qui morsu detractionis venenum effundit invidiae, quae invidiosa detractione tanquam venenum plerumque ipsum, qui mordetur invidia detractione, occidit iracundia et odio.

Et sciendum quod venenum non interficit, nisi sanguini se miscuerit. Unde Lucanus: “Noxia serpentum est admixtio sanguine pestis.” [Lucanus, Belli civilis liber, 9, 614] Sanguis autem est sedes vite, “quia vita carnis in sanguine est.” [Lev. 17:11] Hec autem sedes amor est, quia in eo vivit quod amat et in quo iocundatur unusquisque. Unde Ecclesiastico 30: “Iocunditas cordis hec est vita hominis.” [Eccus. 30:23] Nullum autem ledit invidiosa detractione nisi miscuerit se amori eius, hoc est, nisi ipsa detractione carpat in eo hoc quod ipse amat in se. Nec saltem fama vel opinione minui huic amori, quasi sanguini se miscens, venenosa detractione occidit ira et odio.

Nascitur autem detractione de invidia, hoc est de odio felicitatis alienae, quod odium, /63ra/ cum non possit minuere alienam felicitatem in re, vult eam in verbo minuere in aliorum opinione. Sunt ergo detractores similes inmanissimis serpentibus, qui quanto quilibet pulcristius et prestantius apparet in facie hominis, tanto citius morsu idem carpunt, et faciem dehonstant, venenumque infundunt. Hiis sic per invidiam detrahentibus est furor similis huius serpentis. Quid enim magis furiosum quam irasci sine causa, et cum non sit lesus quis ledere, immo etiam irasci unde esset congratulandum, et habere oculus nequam quia alius bonus est. [cf. Mt. 25:15]

Si vis autem a nullius serpentis veneno ledi, exue te nudum. Fertur enim quod non ausus sit serpens hominem nudum contingere. Nudus est, qui exiit veterem hominem, omnem videlicet amorem mundanum, ad quem exuendum habeas duos ministros, memoriam scilicet quod nudus egressus es de utero matris tuae, et memoriam quod nudus reverteris illuc. [cf. Iob 1: 21] Sed numquid qui exiit veterem hominem remanet nudus? Remanet itaque nudus homo, quia eius indumentum est novus homo, [cf. Eph. 4:24] et cum supra hoc indumentum non habeat indumentum aliud. Quomodo non est nudus homo cuius indumentum est novus homo, Dominus scilicet Iesus Christus, secundum vocem Apostoli dicentis: “Induimini Dominum Iesum Christum?” [Rom. 13:14] Nec mirum si sic nudum non audeat serpens invadere, cum hec nuditas serpentibus sit mors, et victoria qua victurus est. [cf. 1 Cor. 15:54]

Secundum hoc autem quod aspis obturat aures suas, ne audiens incantatorem egrediatur de caverna, signat eos qui verba predicationis audire contempnunt, qui, sicut Iob 21o scribitur, “dixerunt Deo recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.” [Iob 21:14] Harum aspidum diversa sunt genera et diverse cavernae. Quarundem enim caverna est desperatio, aliarum de misericordia nimia confidentia, aliarum opinio vite prolixae, aliarum vero deliciae carnis, aliarum autem opinio quod falsa sint quae de futuris premissis et penis predicantur.

In prima caverna fuit Cayn, qui /63rb/ dixit: “Maior est iniquitas mea quam ut veniam merear.” [Gen. 4:13] Hec caverna, scilicet desperatio veniae, cavernata est de iniquitatis magnitudine.

De secunda caverna voluit extrahere occultantes se in ea qui dixit in Ecclesiastico 5o: “Noli esse sine metu, et ne adicias peccatum super peccatum, et ne dicas: misericordia Dei magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.” [Ecclus. 5:5-6] Hec caverna, scilicet nimia confidentia veniae, cavernata est de magnitudine remissionis misericordiae, quae non solidatur rigore iustitiae.

In tertia caverna putavit se tutum qui dixit, Luc. 12o: “O anima! Habes multa bona reposita in annos plurimos. Requiesce, comede, bibe, epulare.” [Luc. 12:19] Sed quia hec caverna cavernata est de pulvere, scilicet huius vite fragilitate, nec est quo glutinetur pulvis iste nisi false opinionis vacuitate, inopinata cadens, opprimit inhabitatorem suum, sicut prime cavernae concameratio tandem opprimit suum inhabitatorem, ruens ob suae magnitudinis molem.

In quarta caverna molliter cubant qui dicunt, Sapiencia 2o: “Venite, fruamur bonis que sunt, et utamur creatura tanquam in iuventute celeriter. Vino precioso et unguento nos impleamus, et non pretereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo sit exsors luxurie nostrae, ubique relinquamus signa leticie.” [Sap. 2:6-9] Huius cavernae testudo ex mollibus et fluidis est arcuata, ideoque instabilis et fluxa, et cito evanida.

In quinta caverna latitant qui dicunt illud Ecclesiastici 3o: “Unus est interitus hominis et iumentorum, et equa utriusque condicio, et nichil homo iumento habet amplius,” [Eccles. 3:19] et Sapiencia 2o: “Non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis, quia ex nichilo nati sumus, et post hec erimus quasi non fuerimus.” [Sap. 2:1-2] Huius cavernae testudo est ex false opinionis fantasia, ideoque sicut predictae quatuor cito evanida, sicut et secunda, que laxa est ex remissione, sive ex soliditatis rigore. Ideoque hiis evanescentibus, qui in hiis putabant non solum molliter sed et tute recubare, exponuntur intemporiei et ingruenti tempestati, supervenietque illis repentinus interitus. [cf. Prov. 1:27]

In hiis itaque cavernis latitantes vocem incantator, hoc est /63va/ predicatorum, audire contempnunt, obturantes aures suas, ut in expositione Psalmi dicitur: “Peccatis presentibus velud terra, et preteritis velud cauda.” [cf. Augustinus, Ennar. in Psalmos, Ps. 57, 10 et Ps. 66, 10; chk Glossa ord.]

Potest etiam terra esse, qua una auris aspidis obturatur, amor voluptuosorum presencium, et cauda, qua reliqua auris obturatur, timor gravioris pene imposterum. Scientes enim quod servus sciens voluntatem Domini sui et non faciens vapulabit multis, [cf. Luc. 12:47] credentesque per ignoranciam se fore aliquatenus excusatos, leviusque puniendos, volunt intelligere ut bene agant. Has autem aures deobturent, si cognoscerent quam falsa et quam brevis, quantisque amaritudinibus sit respersa voluptas transitoria, et quam verum et longa, nullisque amaritudinibus admixta, sit illa de qua dicitur: “Torrente voluptatis tue potabis eos,” [Ps. 35:9] et si etiam agnoscerent quod affectata ignorancia non sit excusatoria, sed potius accusatoria.

Hii itaque tales ad talium comminationum tonutrua aures suas deobturent, audiantque que illis intonet sapiencia per os Salomonis, Parabolis primo: “Vocavi et renuistis; extendi manum meam et non erat qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, et increpaciones meas neclexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo,” etc. usque: “aversio parvulorum interficiet illos, et prosperitas stultorum perdet illos.” [Prov. 1:24-32] Iterum Parabolis 5o: “Peccator morietur quia non habuit disciplinam et multitudine stulticie decipietur.” [Prov. 5:23] Et iterum Parabolis 13o: “Doctrina bona dabit gratiam in itinere contemptorum vorago.” [Prov. 13:15] Et iterum in eodem: “Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam. Qui autem adquiescit arguenti glorificabitur. [Prov. 13:18] Osee 4o: “Quia tu scienciam repulisti repellam te ne sacerdocio fungaris michi.” [Os. 4:6] Ysaiae 5o: “Propterea captivus ductus est populus meus quia non habuit scienciam, et nobiles eius interierunt /63vb/ fame, et multitudo eius siti exaruit,” etc. [Is. 5:13] Item, 27: “Non est populus sapiens, propterea non miserebitur eius qui fecit eum, et qui formavit eum non parcat ei.” [Is. 27:11] Sapiencia 3o: “Sapienciam et disciplinam qui abiecit infelix est. Vacua est spes eorum et arbores sine fructu, et inhabilia (vel inutilia) opera eorum sunt.” [Sap. 3:11] Ioannis prima 4o: “Qui novit Deum audit nos; qui non est ex Deo non audit nos.” [1 Ioan. 4:6] Et bene super hoc verbo, “carnalis homo non percipit ea que sunt Spiritus Dei,” etc. [1 Cor. 2:14] Qui ergo non vult audire predicatorum veritatis, profecto ille Deum non nosse, neque ex Deo esse cognoscitur, quia caritatem, quam erga homines Deus exercuit, imitare neclexit.

Dictum 89

Sermo de hoc verbo, "Apparuerunt illis dispertite lingue tanquam ignis"

"Apparuerunt Apostolis dispertite lingue tanquam ignis." [Act. 2:3]

Quia Spiritus Sancti adventum in Apostolos celebrat hiis diebus mater ecclesia, vestris suffragantibus meritis et precibus, et eiusdem Spiritus Sancti gratiam nobis impetrantibus de eodem Spiritu vestre caritate, qui spirituales estis, aliqua pro modulo nostro ad edificacionem vestram dicere proponimus.

Ut igitur ex propositis liquet verbis, ille idem Spiritus Sanctus, qui cordibus Apostolorum invisibiliter se infudit, et eorumdem corda in caritatis latitudinem diffudit, et per obedientem humilitatem qua homo se contempnit, eadem corda in conspectu Dei effudit, et per redicionem ad cor qua homo seipsum cognoscit, quod est sententia propheticie, [cf. Is. 46:8] eadem corda in se refudit, ille inquam idem Spiritus, qui hec invisibiliter interius fecit exterius, in linguis igneis visibiliter apparuit, ut per proprietates sensibiles exterius nobis consuetas et notas, ad invisibilium noticiam proveheret.

Ipse namque proprietates ignis apparentis exterius sensibiles quasi quedam littere fuerunt, quid interius invisibiliter ageretur expresse similitudinis evidencia significantes. Ignis autem principales proprietates sunt due, videlicet lux et calor. Lux exterior significabat quod Spiritus interius illustrabat /64ra/ mentis aspectum. Calor vero innuebat quod Spiritus interius accendebat mentis affectum. Lux namque illius ignis, qui effulsit oculis carnalibus exterius, evidenter significabat quod Spiritus Sancti fulgor intelligibilis, omnes ignorancie tenebras discuciens, ad omnem veritatem cognoscendam oculos mentis illustrabat interius, quemadmodum eis promissum erat a salvatore dicente: "Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem." [Ioan. 16:3] Licet enim Apostoli, dum essent in hac scilicet carne fragili, non omnia liquide noverint. Nesciebat enim Paulus utrum raptus esset in corpore an extra corpus. [cf. 2 Cor. 12:2] Nesciebat quoque quia princeps sacerdotum erat cui dixit: "Percuciat te Deus paries dealbate." [Act. 23:3] Nichil minus tamen verum est quod Spiritus, eciam dum essent in hac carne, docebat eos omnem veritatem. Sicut enim magister docens discipulum, exempli gracia, Psalterium, si est eruditurus eum Psalterium totum, tam in primordio erudicionis, eciam in medio, quam in fine docet eum Psalterium, et eciam Psalterium totum.

Sic Spiritus Sanctus, magnus magister, eruditurus mangum librum, librum videlicet vite, in quo sunt omnes thesauri sapiencie et sciencie, a primordio quo se transfundit in animam sanctam hunc librum magnum, eundemque totum continue docet, semperque perseverat docendo, et doctrinam augmentando, dum existentem in hac carne promovet caritatem in amplius dilatando. Consummabit autem hanc doctrinam cum animam, a corruptione carnis exutam, adducit in sapiencie summe contemplacionem, in cuius contemplacionis claritate, testante beato Gregorio, nichil erit quod nesciet, ubi scientem omnia sciet. [cf. Gregorius Magnus, Dialog. 4, 34] Ibi enim, testante Iohanne Apostolo: "Videbimus eum," idest Deum, summam scilicet et omnem sapienciam, "sicuti est." [1 Ioan. 3:2] Ibi plene signabitur super nos lumen vultus eius. [Ps. 4:7] Ibi saciabor in apericione glorie eius: "Saciabor," inquit, "cum apparuerit gloria tua." [Ps. 16:15]

Quomodo autem saciaretur anima, que naturaliter scire /64rb/ desiderat, [cf. Aristoteles, Metaph. 1] si eam alicuius, vel minime, veritatis anxietate ignorancia? Quomodo eciam esset plene beata, cum alicuius rei ignorancia, ignorato enim aliquo, aut crederet se scire omnia, et sic errore opinionis false esset misera, aut sciret se aliquid ignorare, et sic sciendi desiderio esset afflicta et non beata? Spes enim que differtur affligit animam, et beatitudo est habere omnia que vult et nichil male velle. [source? cf. Dictum 38] Non potest autem male velle quod naturaliter vult. Naturaliter autem scire desiderat, ut dictum est. Nec mirandum si Spiritus Sancti virtus diffundat anime cui infunditur simplicem intelligenciam, et innumerabiles radios cognitionum omnium et innumerabilium



veritatum, cum uniuscuiusque lucis corporalis punctus diffundat se in infinitos lucis visibilis radios ad illustrationem et manifestationem innumerabilium undique obiectorum visibilium.

Preterea cum, testante Iohanne Chrisostomo: "Omnium rerum quas mundi huius sensibilis globositas comprehendit, cause simul et uniformiter in isto sole visibili subsistant. Inde namque forme omnium corporum procedunt; inde distancia colorum pulcritudo, et cetera que in natura sensibili predicari possunt," [Chrysostomus, ...] quid mirum si in vero sole iusticie [cf. Malach. 4:2] et intelligencie subsistant simul et uniformiter omnium rerum eterne rationes, in quibus res omnes aspectu mentis simplici conspiciantur? Et si, velud testatur Beatus Gregorius, omnis mundus quasi sub uno solis radio collectus ante oculos beati Benedicti, adhuc viventis, in hac carne fragili, adductus est, [cf. Gregorius Magnus, Dialog. 2, 35] multo amplius, exuta gravitate huius corporis quod corrumpitur et aggravat animam, sublevatus in mentis lumine extra mundum, eundem totum in Dei lumine videre poterit.

Multum et ultra modum laborat vana curiositas hominum, ut sciat cursus astrorum et proporcionem numerorum, vel consonancias sonorum, vel mensuras figurarum, dispositionem oribus terrarum, virtutem elementorum, inicium /64va/ et consummacionem et medietatem temporum, mutacionem morum, naturas animalium, iras bestiarum, et vim ventorum, et cogitaciones hominum, differencias arborum, et virtutem radicum. Nec tamen laborando attingit ad alicuius dictorum corporalem particulam. Tu autem, solummodo dilata sinum cordis, admitte radios invisibilis et spiritualis lucis. Videbis tandem manifestante Spiritu Sancto aspectu mentis unico, nulla vicissitudine interpellato, nullo fine terminato, nulla incertitudine obfusato, non solum pretacta, sed quecumque sunt incerta et occulta, absconsa et improvisa. Nec solum videbis ea in seipsis ubi sunt mortua, sed in libro vite ubi sunt viva. Quod enim factum est in ipso vita erat. Nec in illo libro sunt ista multa verba multa, sed Verbum unum, eternaliter a Patre loquutum. Et unum dicendo eternaliter dicit omnia, quod unum contemplando sine fine contemplabimur omnia.

Ad hanc adhuc incontemplabilem contemplacionem nobis contemplativis precipue est avelandum, pro hac, si necesse est, omne terribile amplexandum, omne voluptuosum abiciendum. Et non multo sudore. Opus est solum, ut dictum est, dilata sinum cordis expansione veri desiderii dulciflue caritatis. Hanc itaque internam illustrationem ad cognoscendam omnem veritatem insinuabat, ut dictum est, lux ignis exterioris, qui in forma linguarum dispertitarum Apostolis apparuit. Simili quoque modo calor exterior eiusdem ignis monstrabat interiorem accensionem mentis, et in effectibus exterioris caloris agnosci possint effectus interioris spiritualis fervoris, quia calor igneus vitalis est, qui omnia animata vivificat, co~~n~~stricta dilatata, ea que sunt extranee nature segregat, et eiusdem nature coadunata, congelata dissolvit, noxios humores consumit, fetores abscindit, odoris boni aromatisitatem extrahit et depromit.

Hoc igitur quod calor igneus vitalis animata /64vb/ vivificat, quasi valida voce clamabat, quoniam: "Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quicquam." [Ioan. 6:64]. Fervor namque caritatis animam supra se levat, Deoque, qui est summa vita, [tuta MS] coniungit, unumque cum eo spiritum efficit. Quia qui adheret Deo unus spiritus est, in qua vivificatione, cum summa vita eiusdem participacione et participacionis iocunditate, vivit, quia "iocunditas cordis est vita hominis." [Eccus. 30:23]

Insumabat quoque vis dilatativa caloris, quod "caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis," [Rom. 5:5] et quod, sicut os Apostoli patebat ad Corinthios, et cor eius dilatatum est ad eosdem, [cf. 2 Cor. 6:11] sic per eundem Spiritum os nostrum patet ad omnes instruendos, et cor nostrum dilatatum est ad omnes diligendos.

Clamat quoque caloris natura extraneorum segregative, quod Spiritus Sancti fervor velud quedam extranea separat hereticos et inficientibus viciis infectos ab ecclesia. De hereticis namque dictum est: "A nobis enim exierunt, sed ex nobis non erant," [1 Ioan. 2:19] et Apostolus ait: "Hereticum hominem post primam et secundam correpcionem devita." [Tit. 3:10] Item de quodam fornicario precepit Corinthios, dicens: "Auferte malum ex vobismetipsis," [1 Cor. 5:13] et Moyses in

Deuteronomio: “Ut auferatur malum de medio vestri.” [Deut. 21:21] Auferre autem et excludere debent huiusmodi ut extranea hii qui Spiritus Sancti fervore decocti et probati sunt. Unde Psalmista: “Increpa feras arundinis, congregacio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos qui probati sunt argento.” [Ps. 67:31] Fere arundinis sunt heretici superbia feraliter lati et elati, exterius dealbata eloquencia, et ypocrisi nitidi, [cf. Mt. 23:27] sed intus veritatis soliditate vacuus, omni vento doctrine circumlati, [cf. Eph. 4:14] velud tauri cervicosi in vaccis populorum, [cf. Ps. 67:31] id est in simplicibus et seductilibus plebum. Sed hos excludunt qui Spiritus Sancti fervore decocti et probati sunt velud argentum, mundi corde scilicet castitate nitentes, verbi Dei predicacione sonantes.

Idem quoque calor eorum que sunt eiusdem nature congregativus insumabat, quod Spiritus Sancti congregante et adiuvente fervore “multitudinis credencium erat cor unum et anima una.” [Act. 4:32] Ieremias quoque de dispersorum congregacione loquens in persona Domini ait: “Ecce ego congregabo eos de universis terris,” [Ier. 32:37] et paulo post: “Et erunt michi in populorum, et ego ero eis in deum, et dabo eis cor unum et animam unam ut timeant me universis diebus.” [Ier. 32:39] In vobis autem, qui in congregacione vivitis, maxime debet iste effectus, fervoris Spiritus scilicet, eminere, scilicet unitas bone voluntatis, ut sicut obsecrat Apostolus: “Idipsum dicatis omnes,” et “sitis perfecti in eodem sensu et in eadem sciencia.” [1 Cor. 1:10]

Appetitus namque unitatis res universas format, in esse conservat, et ordinat. Ex hoc namque appetitu mundi istius elementa, et celum quod continet universa, corporaque celestia, videlicet sol et luna et sydera, que formata sunt in figuras rotundas et spericas, que est omnium figurarum capacissima et pulcherima, et contra omnes casus munitissima, non habens anguli prominenciam pungentem, nec depressionis cavitatem sordes colligentem, ex hoc eodem appetitu servant eundem collacionis sue ordinem, ut videlicet ponderosiora minusque lucencia sint inferius et leviora et puriora superius.

Ex eodem quoque appetitu, omnia corporis animati membra unico adherent, innitunturque principio cordi videlicet aut ei proporcionato. Vos itaque, qui excellencia quadam regularis professionis maxime unitatem et concordiam profitemini, summopere satagere debetis ut appetitus concordis in spiritu scilicet unitatis formet vos in figuram rotunditatis, ut sicut monet Salomon: “Ad cor semper redeatis,” [cf. Eccus. 21:7] considerantes vosmetipsos, sicut docet Apostolus, “ne et vos temptemini.” [cf. Gal. 6:1] Et hoc giro rotunditatis inoffensa volubilitate, et sine omni obstaculo quod ex nobis sit, currentes in omnem partem, ad omne opus bonum paratissimi, capacissimi non operum cupiditate, sed caritatis amplitudine, pulcherimi deformitate, in spiritus vestri renovacione, [cf. Tit. 3:5] exuto cum actibus suis vetere homine, [cf. Eph. 4:22] contra omnes casus munitissimique, omnia contempnit et superat adversa fortunade, nil habentes pungitivum alios ledendo, nil sordium collectivum vosmetipsos coinquinando, unusquisque /65rb/ collacionis sibi congruentis ordinem teneat, omnes et singuli unico adhereant et imitantur principio suo, videlicet prelato, concorditer, humiliter, et hillariter in omnibus que precipit non contra Deum, absque contradictione, retardacione, et murmure eidem obediendo. Alioquin elementa irrationabilia, que unitatem et concordiam inperturbate servant vos, qui constituti estis in culmine rationalis creature viantis, id est ecclesie militantis, sui comparacione condempnabunt, et invenietis in p<er>ennis [? pennis MS] summam discordiam, qui hic summe tenemini ad unitatis observanciam.

Sicut eciam calor corporeus congelata dissolvit, sic eciam Spiritus Sancti fervor corda, congelata et indurata per crudelitatem et inmisericordem severitatem, flante aquilone vento frigido, id est diaboli suggestione, dissolvit et liquefacit per proximi compassionem. Hoc calore liquefactus erat qui de Saulo duro contra stimulum calcitrante, [cf. Act. 9:5, 26:14] et sanctos inmisericorditer lapidante, [cf. Act. 7:59] factus Paulus mollis dicebat: “Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?” [2 Cor. 11:29] “Factus sum infirmis infirmus ut infirmos lucrifacerem; omnibus omnia factus sum ut omnes lucrifacerem.” [1 Cor. 9:22]

Verissimum autem signum compassionis est, si subvenis patienti cum subvenire potes. Qui enim cum potest subvenere non subvenit, veram compassionem nequaquam habet. Ars autem

compaciendi est ut consideres miseras proximi, et sic subvenias illi qualiter velles subveniri tibi, si esses in miseria consimili. Unde in Ecclesiastico scriptum est: "Intellige que sunt proximi tui ex teipso." [Eccus. 31:18] Et ad Hebreos ait Apostolus: "Mementote victorum et ipsi vincti, et laborantium tanquam et ipsi in corpore morantes." [Hebr. 13:3] Qui autem non compatitur necessitati proximi ostendit se non esse membrum Christi, quia sicut ait Apostolus: "Omnia in idipsum pro invicem sollicita sunt membra, et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra." [1 Cor. 12:25-26]

Calor quoque noxios consumit humores, et Spiritus Sanctus, fervor fluctivagas, consumit rerum /65va/ terrenarum cupiditates. Spiritus namque Deus est, sicut in Iohanne legitur. [cf. Ioan. 4:24] Et in Deuteronomio scriptum est: "Deus noster ignis consumens est." [Deut. 4:24] Et sicut in Malachia scriptum est: "Ipse est quasi ignis conflans et quasi herba fullonum, et sedebit conflans et emundans argentum et purgabit filios Levi." [Mal. 3:2-3] Purgabit inquam Spiritus Sancti fervore a noxiis humoribus fluctivage concupiscencie. Verus enim ardor celestium desideriorum continue minuit, et absumit concupiscencias terrenorum. Illo quoque fervore crescente, concupiscencie minuuntur, eodemque completo, ille adnichilantur. Hoc ergo signo cognoscuntur perfecti celestium desideratores, si nulla terrena concupiscunt, si non gaudent eorum adeptione, si non tristantur eorundem amissione. Hec perfectio maxime congruit vobis religiosi, qui veterem hominem cum actibus suis exuistis, qui mundo et concupiscenciis eius abrenunciastis, qui non solum vestra sed etiam vosmetipsos abnegastis.

Est autem summo opere cavenda terrenorum cupiditas, quia qua parte amoris adheremus terrenis, eadem parte nondum assurgimus ad divina, nec completur in nobis preceptum quo precipimur [precipimir MS] toto corde diligere Deum. [cf. Deut. 6:5; Mt. 22:37, etc.] In tantum igitur diminuti, nec spiritu mentis nostre renovati sumus, in quantum concupiscendo terrenis adheremus. Terrenorum ergo concupiscencia diminutio est anime, et imperfectio, et deformitas, et egritudo. Est rerum concupitarum in anima radicio quia, nisi per cupiditatem in anima concupiscente radicitus adhererent concupita, in eorum amissione nullus dolor sentiretur, nec anima tristitia tabescens dilaniaretur. Quantus est igitur anime tumor et gibbosa deformitas cui concreta sunt hinc ampla predia, hinc sine numero et pondere ignava opum pondera, et alia que, si numerare vellem, invenirem innumera?

Non potest anima, dum talis est, intrare per angustam portam et artam viam que ducit ad vitam. [cf. Mt. 7:13-14] Facilius enim esset camelum, utpote minus gibbosum, intrare per foramen acus. [cf. Mt. 19:24, etc.] Hanc itaque gibbositatem omnem decet vos, maxime religiosos, exuere, qui /65vb/ cum sponsa dicitis: "Exui me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?" [Cant. 5:3] Quod si nondum concupiscencie tunicam penitus exuistis, nec a sordibus eius pedes affectu non omnino mundastis, ut videlicet possitis sine tristitia omnibus carere que potestis inviti amittere, saltem sitis ad hanc perfectionem vivaci nisu, et non pigro gressu accedentes, ut inveniamini in via, si nondum potestis tenere vie terminum, Rachel enim, que gerit tipum contemplativorum, ut mortua est et sepulta in via que ducit Efrata, hoc est Bethleem. [cf. Gen. 48:7]

Abscindit etiam calor fetores, et boni odoris aromaticitatem extrahit et depromit. Et hiis similia Spiritus Sancti fervor spiritualiter efficit in nobis. Quia fetemus cum de nobis, meritis nostris exigentibus, prodit prava opinio; redolemus vero cum divulgatur [dimulgatur MS] de nobis bona estimacio. Huiusmodi fetorem primo tollit ipse calor, quia facit quidem, "fornicacio, et omnis inmundicia, aut avaricia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurilitas, que ad rem non pertinet, sed magis graciaram actio." [Eph. 5:3] Facit quoque idem fervor Spiritus non solum abstinere a malo sed ab omni specie mala. [cf. 1 Thess. 5:22] Avertit namque hic fervor oculos, ne videant vanitatem. [cf. Ps. 118:37] Sepit aures spinis, ne audiant sanguinem. [cf. Eccus. 28:28] Removet os pravum, et labia detrahencia procul facit, [cf. Prov. 4:24] ponens ori custodiam, et ostium circumstantie labiis, ne declinetur cor in verba malicie. [cf. Ps.

140:3] Nichil inordinatum permittit in habitu, nichil incastigatum in incessu vel gestu, ne amictus corporis et risus dencium et ingressus hominis annuncient de eo mala. [cf. Eccus. 19:27]

Sicque absciso quod fetere potest, spargit dictus calor boni odoris fragranciam, quia, calore isto fervente, sicut dicit Apostolus: "Odorem noticie sue per nos manifestat Christus in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo in hiis qui salvi fiunt et in hiis qui pereunt; aliis quidem odor mortis in mortem, aliis odor vite in vitam." [2 Cor. 2:14-15] Aromata autem in igne posita non possunt non redolere. /66ra/ Vos autem religiosi estis precipuum Christi aroma mirre et thuris et universi pulveris pigmentarii, de quo sic dicitur in Cantico: "Ascendit per desertum huius mundi sicut virgula fumi." [Cant. 3:6] Vos enim estis amari sicut mirra dolore penitencie, unde non potest aliquid in vestra consciencia [consciencia] vermescere; devoti in continua oracione, que devocio signatur thure, dicente Psalmista: "Dirigatur oracio mea sicut incensum in conspectu tuo"; [Ps. 140:2] pulverizati subtilissima et minutissima vestri discussione eciam usque ad minima venalia, ascendentes celesti desiderio graciles ut virga; attenuati ieiunio ex quibus omnibus fervente in vobis calore Spiritus Sancti fragrascit suavis opinio.

Hec itque dicta sunt lucis et caloris gracia. Habet insuper ignis naturalem levitatem qua sursum tendit, et suppreum occupans ibidem manet. Ignisque in sua connexitate conformis est celo, cui contiguatur superius, inferius autem in suo concavo amplectitur inferiora et infirmiora elementa. Horum autem similia precipue facit in vobis religiosis, qui in igne apparuit, Spiritus Sanctus. Fert namque vos sursum ferventi desiderio celestium, sursumque latos ibidem quietat et collocat, quia, sicut dicit Apostolus: "Conversacio vestra in celis est," [Phil. 3:20] ubi superiore mentis vestre facie conformes et coaptati estis Deo, quasi suppremo celo, dicentes semper: "Michi autem adherere Deo bonum est," [Ps. 72:28] et iterum: "Non quod ego volo, sed quod tu, Domine." [Marc. 14:36] "Non quero gloriam meam, sed eius qui misit me." [Ioan 5:30; cf. 8:50] Inferiore autem mentis vestre amplexamini fragiliores et infirmiores, complentes illud Apostoli: "Infirmum autem in fide illud assumite." [Rom. 14:1]

Ignis autem elementum, cum superius collocatur in spera sua, turbatis et commotis inferioribus elementis, perstat inturbatus. Sic et vir spiritualis, cuius cor est sursum ad Dominum et in celis conversacio, conturbatis mundi amatoribus, factoque vel in possessionibus vel in corpore ipsius tribulacionis turbine, ipse persistit inperturbatus in mente, quia "in pace factus est locus eius et habita/66rb/cio eius in Syon." [Ps. 75:3] Nec debet mentis vestre serenitatem aliqua tribulacio perturbare, cum intelligatis quod nullus patitur aliquid iniuste, licet multi multa faciunt iniuste. Quod autem iustum est, iusto displicere non potest. Nulla igitur tribulacionis pena iusto displicet, cum iusta sit. Propterea dicit Salomon quod "iustum non contristabit quicquid illi acciderit." [Prov. 12:21]

Animadvertendum quoque est quod cum quis propter penam corporis habet tristitiam mentis, quasi vulnus super vulnus apponit. [cf. Iob. 16:5] Velud enim unum vulnus est ipsius corporis pena, et tanquam vulnus gravius adiectum est ipsa mentis tristitia. Insuper quoque adiectum vulnus tristicie primum vulnus non mitigat, sed ipsius dolorem aggravat et acerbatur. Ipsum quoque vulnus pene, si esset amatum quia iustum, cum amor facit omnia suavia, iam non haberet dolorem vulneris, sed medelam sanitatis. Leviter ergo, quia iuste, et ne sicut vulgo dicitur, de uno dampno facias duo, quicquid paciatis ferendum est.

Ad hoc, si quis haberet granum aliquod, duplicemque terre glebam, in quarum una idem granum seminatum germinaret spinas et tribulos, in altera vero seminatum proferret fructum optimum et uberimum, nonne extrema esset stulticia si seminaret illud ubi germinaret spinas, cum posset seminare illud ubi produceret ficus et uvas? Granum hoc tribulacio est, quod si seminetur in terra cordis remurmurantis germinat puncturas pene iehennalis. Si vero seminetur in terra cordis patientis in tribulacione, [cf. Rom. 12:12] gaudentis et gracias agentis, profert fructum centesimum eterne beatitudinis. [cf. Mt. 13:1-9] Ad quam beatitudinem, ut perveniamus et fructu centesimo perfruamur, ille Spiritus, qui hodierna die discipulis in igne apparuit, illustret splendore suo nostre mentis aspectum, et fervore suo accendat affectum. Illuminet nos Spiritus vera iocunditate, dilatet

caritatis amplitudine, segreget a nobis omne dissonum nature extranee, coadunet et /66va/ congreget nos unitate concordie, liquefaciat duriciam severitatis vera proximi compassione, consumat noxios humores mundane concupiscencie, abscindat fetorem opinionis prave, depromat aromaticitatem estimacionis bone, evehat nos sursum celesti desiderio, ut sit in gloria sine fine nostra conversacio. Amen.

Dictum 90

Sermo de hoc verbo Ezechielis, "Ve pastori<bus> Israel"

Ezechieli 34: "Ve pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos! Nonne greges pascuntur a pastoribus? Lac comedebatis et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum erat [erat] non consolidastis, et quod egrotum non sanastis; quod confractum non alligastis, et quod abiectum non reduxistis, et quod perierat non quesivistis; sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia." [Ez. 34:3-4]

In sermone quem postremo loquebar caritati vestre, prout Dominus tunc dedit, descripsi vobis pastorem bonum, et pastoris boni pastorale officium. Et quia contraria iuxta se posita magis apparent, et pulcrius fulget illud oppositorum quod ponitur in genere bono, ex manifestacione alterius oppositi quod ponitur in genere malo, ut pulcrius adhuc vobis elucescat pastor bonus, eiusdemque officium, magisque manifesta pulcritudo avidius a vobis pastoribus appetatur, presenti sermone suscepimus pastorem malum eiusdemque non officium, quod nullum est, sed abusum, pro modulo nostro declarare.

In verbis itaque Ezechielis prophete propositis, pastor malus et eius abusus satis evidenter explicatur. Et quia perniciosissimum est in pastoralis dignitate constitutos pastorum officium non digne agere, abusu pastoralis officii primo verbo deterret per pene cominacionem, cum dicit, "ve pastoribus." Hoc autem est ve illud quod scribitur in libro Sapiencie: "Iudicium durissimum hiis qui presunt fiet. Potentes enim potenter tormenta patientur," et "forcioribus forcior instat cruciatus." [Sap. 6:6,7,9] Et bene hiis minatur durissimum iudicium, quia respectu subditorum erit /66vb/ malorum prepositorum dampnacio modo quodam reduplicata, quia pro transgressione duplicium mandatorum Domini puniendi sunt.

Duplex enim genus mandatorum proponitur in scriptura: Unum quod precipit agendum et prohibet omittendum, ut "honora patrem et matrem, non occides, non mechaberis," etc. [Ex. 20:12-14] Et hoc genus mandatorum astringit communiter subditos et prelatos. Alterum est genus preceptorum, quod precipit punire dictorum mandatorum transgressores, et premiare observatores, ut "qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur," [Ex. 21:17] et "qui occiderit hominem occidatur," [Lev. 24:17] et "morte moriantur ambo et mechus et adultera." [Lev. 20:10] Et hoc genus preceptorum non astringit ad agendum ea plebem subiectam, sed prepositos.

Ad punicionem vero transgressorum et premiacionem bonorum tenentur prepositi soli, quorum solummodo est confessos vel rite convictos ex sententia iudiciaria condemnare vel bonos premiare. Itaque prepositi duplici precepto mandatorum sunt constricti, sicut dicit Apostolus: "Qui bene presunt, duplici honore digni sunt," [1 Tim. 5:17] quia premiacione pro utriusque generis mandatorum observacione. Et similiter qui male presunt, a contrario duplici dampnacione digni sunt, pro utriusque scilicet generis mandatorum transgressione. Ad hec pastor malus pro suis et pro gregis punietur delictis. Licet enim unusquisque proprium onus portabit, nichilominus tamen verum est quod pastor punietur pro delictis gregis, quia quicquid peccat grex per omissionem doctrine, exempli, et oracionis pastoris, per omissionem videlicet eius quod non, sicut precipit Apostolus, "predicat verbum, instat oportune, inoportune, arguit, obsecrat, increpat in omni paciencia et doctrina," [2 Tim. 4:2], in pastoris culpam et negligenciam redundat, sicut econtra quicquid bene facit grex per pastorum, in predictis que numerat Apostolus, diligenciam, in pastorum gloriam et

meritum habundat. Recte igitur qui bene presunt, duplici honore, aut qui male, duplici condemnatione, sunt digni.

Preterea pastores aut scienciores sunt, /67ra/ aut esse tenentur, quam sit grex subditus. Sed “servus sciens voluntatem domini sui et non faciens, vapulabit multis.” [cf. Luc. 12:47] Recte igitur, sicut sunt superiores in gradu et sciencia, sic qui male presunt, erunt inferiores in iehenne pena, in qua aspectum interiorem obnubilabunt interiores tenebre, quia “non est ratio nec sciencia apud inferos.” [Eccles. 9:10] Aspectum vero exteriorem obvolvunt exteriores tenebre palpabiles, ubi nichil occurret aspectui, nisi, sicut dicit Chrisostomus, “facies tortorum demonorum.” [Chrisostomus ...] In auribus nichil personabit, nisi durus ululatus et gemitus dampnatorum, de quali scribitur in libro Sapiencie. [non inveni] Nares perstringet fetor stagni ardentis sulphurei; gustum invadet famis et sitis inedia. Unde Ysaias, “Servi mei comedent et vos esurietis; servi mei bibent et vos sicietis. Ecce servi mei letabuntur, et vos confundemini. Ecce servi mei laudabunt pre exultatione cordis et, vos clamabitis pre dolore cordis, et pre contricione spiritus ululabitis.” [Is. 65:13-14] Tactum vero et totum corpus penetrabit frigus aquarum nivis, et calor nimis ignis qui non extinguetur. Animumque corrodet et perforabit vermis consciencie qui non morietur. Et ut scribitur in libro Sapiencie: “Creatura factori deserviens excandescet in tormentis adversus iniustos.” [Sap. 16:24] Et in hiis itaque et huiusmodi penis locus infimus, et pro duplici transgressione duplex condemnatio est iudicium durissimum quod fiet in hiis qui presunt, et illud ve quod eisdem comminatur propheta, cum dicit: “Ve pastoribus Israel.”

Et cur istud ve illis? Quia pascebant semetipsos, cum eorum sit officium pascere greges subditos, sicut monet beatus Petrus, dicens: “Pascite qui in vobis est, gregem Dei.” [1 Petr. 5:2] Unde Ezechiel, cum dixit, “ve pastoribus Israel,” subiungit causam huius, dicens quia pascit semetipsum. [Ez. 34:2] Nonne greges pascuntur a pastoribus? Et quid est semetipsos pascere, nisi de bonis temporalibus que a subditis vi vel fraude extorquent, vel secundum legem oblata /67rb/ recipiunt, sua carnalia desideria complere, et nichil spiritualis profectus in subditis curare vel querere, cum e contra pastoralis cure officium sit, non que sua sunt, sed que Iesu Christi querere, [cf. Phil. 2:21] et spirituales profectus subditorum non solum carnalibus suis desideris, sed etiam vite proprie carnali preferre, subditos verbo, exemplo, et oratione reficere in agro scripture, in agro creature, in agro latitudinis operum et passionum que Christus homo gessit et passus est in carne, in agro etiam latissimo rationum eternarum descriptarum, in divina mente.

Dictum autem pastum, quo semetipsos pascent pastores mali, insinuat propheta consequenter cum subiungit: “Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis.” [Ez. 34:3] Hoc est, in libidinem et voluptatem edendi assumebatis quicquid, ut lac, dulce sapiebat gustui, et in vestium luxum, et tactus voluntatem, quicquid molle, ut lana, et suave erat tactui, crassumque non tam pecus forsitan quam subditum hominem possessionibus locupletem, suaque illi eripiendo ut vos ditaremini, “tristitia seculi que mortem operatur.” [2 Cor. 7:10] Ex suorum amissione occidebatis. Cum contra luxum esus et indumentorum dicit Dominus ad sacerdotes per Iohannem prophetam dicens: “Accingite vos et plangite, sacerdotes; ululate, ministri altaris; ingredimini, cubate in sacco, ministri Dei nostri, quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium et libatio. Sanctificate ieiunium, vocate cetum, congregate senes in domo Dei vestri, et clamate ad Dominum.” [Ioel 1:13]

Eos autem qui supradicto modo occidunt quod crassum est, id est locupletes spoliunt ut ipsimet ditentur, et sic constrictantes eos tristitia seculi occidunt, vocat Dominus pecora occisionis, per Zachariam dicens: “Pasce pecora occisionis, que <qui> possiderant, occiderunt, et non dolebant, et vendebant ea dicentes, Benedictus Deus! divites facti sumus.” [Zach. 11,4-5] Ad eosdem quoque occisionis pecora loquitur Dominus per Micheam dicens: “Audite, principes Iacob /67va/ et duces domus Israel, numquid non vestrum est scire iudicium? Qui odio habetis bonum et diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eos et carnem eorum desuper ossibus eorum. Qui

comederunt carnem populi mei, et pellem eorum excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebetes, et quasi carnem in medio olle.” [Mich. 3:1-3]

Pelles sunt exteriores possessiones glutino amoris ipsis possessoribus velud corium adherentes. Caro est carnale fomentum et solacium carnalis subsidii ex possessionibus habiti. Ossa vero sunt forcia virtutum. Pelles itaque tollunt et excoriant dum possessiones exteriores violenter auferunt. Carnem comedunt dum carnalia ex hiis subsidia, que a subditis tollunt, in suos usus suasque voluptates convertunt. Ossa confringunt dum per tristitiam pro ereptis, in impacienciam propellunt, et sic virtutum forcia conquassant.

Iam itaque exposuit propheta quomodo pastores mali seipsos pascant, faciendo ad gregem quod facere non debent. Consequenter adnectit quid non faciant ad gregem quod facere debent, cum infert: “Gregem autem meum non pascebatis, quod infirmum erat non consolidastis, quod egrotum non sanastis, quod fractum non alligastis, et quod abiectum non reduxistis, et quod perierat non quesivistis.” [Ezech. 34:4]

Et nota hic sex omisa in cura pastoralis observando. Primum, scilicet pascere informacione et erudicione fidei, et doctrina preceptorum moralium, sine quibus non est salus, et in quibus consistet salus. Secundum vero est infirmos et debiles ad gradiendum in via morum consolidare ad robur, spe promissionis celestium premiorum. Tertium, lapsos in vicia, sed nondum desperantes, medicamento salubris penitencie sanare. Quartum, iam confractos desperatione, ostensione magnitudinis misericordie Dei, ex qua etiam Dei Filius incarnari pro peccatoribus voluit, et ligari, et crucifigi, et orare pro inimicis crucifixoribus, alligare. Quintum, abiectos a communione fidelium per excommunicationem reducere per canonicam absolucionem. /67vb/ Sextum vero, quod periit recessione ab unitate ecclesie per scisma, et heresim, et infidelitatem, querere ut inveniatur, redicione ad fidem et ecclesie unitatem.

In hiis itaque sex sufficienter completum est officium cure pastoralis, quia aut sanos a mortali peccato pascit ad vite continuacionem, aut consolidat roborando ad profectum, aut egrotos vicio, sed nondum desperantes, sanat penitencia, aut iam desperantes fascia magnitudinis misericordie Dei alligat, aut abiectos per excomunicacionem reducit absolvendo, aut perditos heresi vel infidelitate querit, heresim improbando et fidem persuadendo.

Et sicut in hiis sex constat pastoralis officii complecio, ita in eorundem defectibus constat eorum defectio. Redeamus igitur ad primum, et videamus quam miserabilis est pastor, qui gregem non pascit. Pone aliquem cibi inopem, qui nec forte unius panis habet copiam, qui se obliget districte ad pascendum copiose et splendide turbam plurimam fame periclitantem. Adice etiam quod sic obligatus sit negligens ad querendum cibum, cum tamen nichil aut parvissimum habeat, et si forte quid parvum cibi habet, illud stulte abicit. Nonne hic talis reus est mortis fame pereuncium, quos ex obligatione sua pascere tenetur? Reus quoque arrogantis presumpcionis, et negligencie, et stulte effusionis? Tales sunt hodie pastores multi.

Cum enim assumunt officium pastorale, obligant se ad pascendam turbam populi subiecti, fame verbi Dei periclitantis, pane doctrine vere fidei et moralium preceptorum, in quibus consistit salus, et sine quibus salus non est. Et inopes sunt cibi, quia multi nec unicum fidei articulum, nec unicum de preceptis decalogi, populo sciunt exponere. Et velud tot panum indigentes sunt quot sunt articuli fidei et precepta moralia saluti necessaria, que exponere nesciunt, et cum hos panes non habeant, obligati tamen ad pastum ex hiis panibus populi subiecti, discere ea que nesciunt negligunt. Ymmo et multi eorum sapienciam atque /68ra/ doctrinam descipiunt, scienciamque repellunt. Insuper, si quid forte sciencie habent, implicando se secularibus negociis et vacando voluptatibus, illud modicum sciencie obliviscuntur, et sic si quid cibi habent, illud modicum stulte abiciunt.

Item, quidam sunt sani a morbo, videlicet vicii mortalis, sunt tamen adhuc infirmi, id est debiles, velud corporaliter pueri, inbecilles, et qui nuper convaluerunt ab aliqua egritudine, sicut nuper dimissi a febre, retinent adhuc debilitatem ex precedenti morbo, lassique labore,

laborando debilitatem contraxerunt. Sic quidam spiritualiter adhuc sunt debiles, velud pueri quibus adhuc opus est lacte, non cibi solido, et horum respectu est pastor sicut nutrix. Unde Apostolus ait: "Factus sum in medio vestri tanquam nutrix fovens filios suos." [1 Thess. 2:7] Quidam tamen sunt quasi nuper ab egritudine convalescentes, utpote qui nuper vicia reliquerunt, sed adhuc tenentur vicii relictis consuetudine. Et horum respectu sunt prelati velud medici dantes confortativa. Alii vero sunt quos ex multo exercicio et labore magno in operibus bonis iam incipit tedere, et quasi ex tedio dispositionem habent quamdam ad accidiam, sed nondum tamen in eam inciderunt. Hii sunt velud ex multo labore lassi et debilitati, et horum respectu sunt prelati velud hospites, sic lassos hospicio recip[ic]ientes, ut refocillati et revigorati reparentur ad laborem.

Et nonne miserabilis esset sub quo, functo nutricis officio, puer non proficeret? Et sub quo, functo medici officio, debilis adhuc ex dimissa egritudine confortacionem non acciperet? Et sub quo hospite hospes lassus vigorem non resumeret? Tales et tam miseri sunt prelati, qui tribus dictis modis infirmos et debiles spe celestium premiorum ad robur non solidant, cum tamen ad hec facienda in suscepcione pastoralis officii se obligaverunt. /68rb/ Multi eciam non habentes unde hec compleant, quia non potest spem celestium bonorum incutere, qui celestia bona non novit explicare. Quantum igitur ignorantes sunt prelati ad explicanda subditis celestia, tantum indigentes sunt illis rebus quibus deberent debilibus prestare solidamenta.

Egritudo autem anime maxime vicium est mortale. Et cum verum sit, secundum Sententias, quod sicut qui habet unam virtutem habet omnes, [cf. Petrus Lombardus, 3 Sent. 36,2,5] sic qui habet unum vicium radicaliter, etsi forte non actu, habet omnia vicia. Talis est egrotans mortali vicio, qualis esset corporaliter egrotans, qui in suo corpore simul haberet omnes corporales egritudines in causa et in morbi radice.

Ymaginare itaque aliquem talem corporalem egrum, vel multos tales, et pone alium artis medicine imperitum. Nonne insanus esset ille artis medicine imperitus, qui tales egrotos plurimos susciperet curandos, et eciam se obligaret ad eos, quantum in medico perito esset, sanandos? Talis est prelatus, qui imperitus spiritualis artis medicine, officium suscipit pastorale. Ars autem spiritualis medicine est cognicio viciorum quasi egritudinum, et virtutum quasi sanitatum, et causarum viciorum quasi causarum morbi, et penitenciarum singulis viciis sanandis propriarum quasi medicinarum singulis morbis congruencium. Et quantum istarum rerum ignarus est, tantum est ignarus artis medicine.

Confracti vero sunt, qui venientes in profundum viciorum contempnunt, et considerantes morbi sui magnitudinem desperant, dicentes cum Caym: "Maior est iniquitas mea quam ut veniam merear." [Gen. 4:13] Qui enim desperat per sui ipsius a se ipso condempnacionem, intrinsecus totus confringitur. Ad talem fracturam colligandam et sanandam oportet ostendere misericordiam Dei esse infinitam, magnitudinem omnis peccati incomparabiliter superantem, et sic nullum peccatum erit quod non sit penitenti remissibile. Sed ne /68va/ considerans infinitam misericordiam, vitans hinc foveam desperacionis, incidat illinc in nimiam confidenciam, monstrandum est ex opposito similiter iusticiam Dei esse infinitam, que nullum vel minimum peccatum relinquit impunitum, que inpenitentes iusto iudicio condempnat eternaliter. Facienda est itaque et monstranda temperatura quedam ex misericordia et iusticia, ut hec extrahat a desperacionis fovea, illa retrahat a confidencia nimia, talique fascia liganda est desperacionis fractura.

Multi autem, considerantes Dei prescenciam inmutabilem, incidunt in desperacionem. Alii ex considerata inmutabilitate predestinacionis nimium confidunt. Unde ad tales eruendos ab utroque periculo, oportet ostendere eis concordiam prescencie et predestinacionis, et gracie et liberi arbitrii. Pauci autem sunt prelati qui magnitudinem misericordie et iusticie Dei sciunt explanare, et harum adinvicem concordiam monstrare. Et pauciores forte, quorum oculi interiores non multum caligant in contuendo concordiam liberi arbitrii et prescencie et predestinacionis et gracie. Unde et pauci inveniuntur ydonei sufficientes ad fracturam desperacionis alligandum.



Abiectio, ut dictum est, potest intelligi per excommunicationem a societate fidelium separatio. Et ad sic abiectum per canonicam absolucionem reducendum, necessaria est inter lepram et lepram discrecio, et inter morbum contagiosum et non contagiosum vera diudicatio. Ad perditum vero heresi vel infidelitate querendum et inveniendum, necessaria esset sectarum hereticarum et infidelium efficisque improbacionis illarum et persuasionis fidei perspicax cognicio, et hec iterum cognicio in paucis existit prelati.

Si quis igitur ante oculos mentis aggreget omnia iam dicta cure pastoralis necessaria, consideretque quanta de necessitatis sibi desint, ad quanta quoque se obligant qui curam pastorem suscipiunt, si eam iam suscepit, merito inhorrescit, et si nondum suscepit, suscipere merito vehementer contremescit. Pastores autem qui in iam dictis sex partibus cure pastoralis insufficientes sunt et deficientes, frequenter autem cum austeritate et potencia sunt subditis imperantes. Austeritas enim est inflexibilis /68vb/ persecucio, sive nature sive viciorum, non ex amore iusticie et correctionis et compassione miserie, sed vel ex libidine vindicte, vel ex alterius male affectionis radice. Inflexibilis autem persecucio viciorum ex amore iusticie et correctionis et ex compassione miserie, quantumcumque se viat, austeritas non est, sed caritatis dulcedo, que non gloriatur, sed dolet, quociens cogitur esse ferox.

Odienda sunt enim vicia et amanda natura, et sic persequenda et destruenda sunt vicia ut reperetur tam ad integritatem quam ad reformationem per virtutes natura. Sed cum in Exodo precipiatur ut eligantur et statuantur iudices potentes, [cf. Ex. 18:13-27] quomodo hic in vituperacionem ducitur eorum potencia? Sciendum autem quod iusticia, sicut dicit Augustinus, debet precedere potenciam, [cf. Augustinus, De Trinitate, 13,13; Enarr. in Psalm. 95, 7] nec exercenda est contra aliquem rebellem potencia, nisi prius convictus fuerit iusticia. Sed cum convictus per iusticiam, iusticie renuit obtemperare, iam iudicis contra eundem exercenda est potencia. Qui autem iusticie preponunt potenciam, et omisa iusticia potenciam statim exercent, in hoc loco de potencie sue abusione redarguuntur.

Bene autem malis pastoribus comminatur ve, quia hii sunt, cum filiis Heli, "filii Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum," [1 Reg. 2:12-13] magis delicata a subditis vi tollentes, cum mulieribus ad ostium tabernaculi observantibus dormientes, cum filiis Samuelis in viis patris non ambulantes, sed post avariciam declinantes, munera accipientes, et iudicia pervertentes. [cf. 1 Reg. 2:12-25; 8:1-3] In oculis propriis cum Saule magni, cum tamen ipsi sunt sacerdotes de extremis populi, neque sunt de filiis Levi, sed muneribus implendo Ieroboe manum, ad gradum sacerdotii proveci, et in excelsis et fanis sublimibus constituti. [cf. 3 Reg. 12:31] Hii sunt exactores, qui populum Dei spoliunt, adulacionibus beatificando gressus populi dissipant, [cf. Is. 3:12] vineam Domini depascunt, populum Dei atterunt et facies pauperum confundunt, [cf. Is. 3:14-15] rapinam pauperis thesaurizant. [cf. Amos 3:10] Impium pro muneribus /69ra/ iustificat, et iusticiam iusti ab eo auferunt, [cf. Is. 5:3] leges iniquas condunt, et scribentes iniusticias scribunt, in iudicio pauperes opprimunt, cause humilium vim faciunt, ut sint vidue preda eorum, et pupillos diripiant. [cf. Is. 10:1-2] Hii sunt iniqui dominatores, [cf. Is. 52:5] ceci speculatores, muti latratores, sompni amatores, intelligencie et saturitatis ignoratores. [cf. Is. 56:10-11]

Hii enim sunt sacerdotes et prophete qui a vino absorti nesciunt pre ebrietate, errant in ebrietate, implentur ebrietate, sicut hodie, sic et cras et multo amplius, quorum mense replete sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus. [cf. Is. 28:7-8] Hii, secundum Ieremiam, magis aliis iugum Domini suave confringunt, mandatorum ipsius vincula rumpunt, [cf. Ier. 5:5] mendaciis applaudunt, [cf. Ier. 5:31] dolum faciunt, falsam pacem promittunt, abhominacionem faciunt, et hinc erubescere nesciunt. [cf. Ier. 6:13-15] Ab hiis super omnem terram egressa est pollucio. [cf. Ier. 23:15] Ab hiis deperit salvacio. [cf. Ier. 25:35] Ex hiis processit discurrens vagacio. In hiis maxima Dei oblivio. Per hos sanguinis iustorum effusio. [cf. Lam. 4:13] Hii sunt arietes non inveniunt pascua, [cf. Lam. 1:6] murus dissipatus, [cf? Lam. 2:8] lapides sanctuarii dispersi in capite omnium platearum. [cf. Lam. 4:1]

Hii, secundum Ezechielem, sunt spiritum suum sequentes, quasi in desertis vulpes, [cf. Ez. 13:3-4] propter pugillum ordei et fragmen panis, Dominum ad populum violantes, animas que non moriuntur interficientes, et animas que non vivunt vivificantes, [cf. Ez. 13:19] manum egeno non porrigentes, in saturitate et habundancia panis ociantes, [cf. Ez. 16:49] murum pro domo Domini non se exponentes, neque in prelio stantes, [cf. Ez. 13:5] sed in bello ruentes, quia sine consilio ad bellum exeuntes. Hiis legis contemptores, sanctuarii Domini pollutores, inter sanctum et prophanum nullam habentes distanciam. [Ez. 22:26] Lupi rapaces ad predam. [Ez. 22:27] Cornibus potestatis infirma pecora mutulant, [Ez. 34:21] et sic pravis operibus sciencie legis Dei puritatem perturbant.

Hii, secundum Osee, scienciam repellunt, [cf. Os. 4:6] peccata populi comedunt, et animas eorum ad iniquitates suas sublevant. [cf. Os. 4:8] /69rb/ Hii rethe expansum super Thabor, et super omnes vias laqueus ruine, nichilque compacientes super ruencium contricione. [cf. Os. 5:1]

Hii sunt, secundum Paulum, qui cum predicant non furandum, furantur, et cum dicunt non mechandum, mechantur, qui abhominantes ydola sacrilegium faciunt, qui in lege gloriantes, per prevaricacionem legis Deum inhonorant, ac per hoc nomen Dei blasphemant; [cf. Rom. 2:21-24] qui sibi non spiritualibus filiis thesaurizant, non que Christi, sed que sua sunt querunt. [cf. Phil. 2:21]

#### Dictum 91

Sermo de hoc verbo, "Symon Iohannis, diligis me plus hiis?"

"Symon Iohannis, diligis me plus hiis? Eciam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos." [Ioan. 21:15-16]

In penultimo sermone quem feci caritati vestre, loquutus sum, prout tunc docere dignatus est unus et verus magister, de boni pastoris officio. In ultimo vero sermone quem ad vos habui, loquutus sum de malorum pastorum negligenciis, et omissionibus, et viciosis actionibus, temptans hec resecare comminatarum penarum iehenne acumine. Priori itaque sermone volui velud ymbre doctrine bonam arborem cure pastoralis in vobis irrigare, in ultimo velud acuta novacula infructuosorum ramusculorum sarmenta [sermenta MS] rescindere. Sed quia parum prodest arborem excolere, vel ad fomentum facta irrigacione, vel ad inutilia et noxia tollenda facta privacione, ubi radix eius fuerit integra et sana, et in terra bona humorosa et fertili profundata et fixa, volui per gratiam Spiritus Sancti ad hoc in presenti sermone conari, ut meo qualicumque ministerio, cordis vestri terra adaperiretur, ut ille qui solus plantat omnem plantacionem que non eradicatur, [cf. Mt. 15:13] et qui solus dat incrementum Deus, [cf. 1 Cor. 3:7] radicem cure pastoralis integram et sanam et in apertis cordibus vestris profundius infigeret, infixamque servaret, et ad crementum vegetaret.

Aperiuntur autem corda inhianti desiderio, nec alibi figit plantator ille summus radicem bone arboris nisi in fissura hianti desiderii estuantis. Radix autem omnis bone arboris spiritualis amor /69va/ est, qui licet sit omnium una radix generalis, tamen quadam speciali prerogativa in supradicto verbo proposito in exordio caritati vestre dicitur esse radix cure pastoralis. Responso enim a Petro inquirenti Domino an se diligeret, "tu scis qui amo te," statim subiungit Dominus, "pasce agnos meos," quasi dicat "si diligis, pasce." Super quod verbum dicit beatus Gregorius: "Si ergo dilectionis testimonium est cura pastionis, qui virtutibus pollens gregem Dei renuit pascere, pastorem summum convincitur non amare." [Gregorius Magnus, Regula pastoralis 1, 5]

Cum itaque ex hiis verbis satis clarescat de dilectione curam pastoris excrecere, manifestum est et ipsam dilectionem radicis vicem optinere. Ut igitur ad huius radicis suscepcionem inhient corda vestra, considerate attentius quam sit hec radix optima. In primis, quid sit amor? Attendentes quem beatus Augustinus in libro De Trinitate sic diffinit: "Amor est vita quedam duo copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet et amatum." [Augustinus, De Trinitate 8, 10] Amor namque noster Deum amans copulare appetit, et tandem perfecte copulat nos cum eo ita ut per hanc

copulam anime amantis cum Deo amatore, “renovemini spiritu mentis nostre, et induamur novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iusticia et sanctitate veritatis.” [Eph. 4:23-24] Renovati in novitate sensus nostri, [cf. Rom. 12:2] et transformati a claritate in claritatem, [cf. 2 Cor. 3:18] in creatoris nostri similitudinem et ymaginem, et in ipsius summe pulcritudinis conformitatem, ac per hoc effecti deiformes, adherentes ipsi predicta amoris copula, unus spiritus cum eo sumus, quia “qui adheret Deo unus spiritus est.” [1 Cor. 6:17]

Et quis ad tantum bonum non ardentissime inhiat, quod omnes deformitates veteris hominis exuit, quod renovacionem post vetustatem inducit, quod in anima renovata non partem aliquam pulcritudinis, sed omnem pulcritudinem tandem informando inscribit. Sicut enim cera mollis fortiter applicata sigillo recipit mutatoria similitudine omnium formarum et figurarum sigillo inscriptarum pulcritudinem, sic anima per amoris copulam fortiter ad Deum applicata, non equali, sed tamen summa mutatoria similitudine ipsius summe pulcritudinis recipit conformitatem, et tamen [tum MS] apud summam pulcritudinem /69vb/ nulla desit pulcritudo. Ipsa enim dicit quod “pulcritudo agri mecum est.” [Ps. 49:11] In anima, per amoris copulam a summa pulcritudine impressa, non erit alicuius pulcritudinis ausencia, sed refulgebit in illa pulcritudo que super ipsam est mutatorie. Omnis vero pulcritudo parium sibi refulgebit in ipsa tanta quanta est in ipsis sibi paribus speciositate. Omnis vero inferiorum se pulcritudo refulgebit in illa multo ampliori quam sit in eisdem inferioribus decorum venustate. Et cum idem sit summe pulcritudinis forma et summa sapiencia, cum anima fuerit perfecte conformis summe pulcritudini ac per hoc summe sapiencie, erit per consequens anima illustrata sapiencie plenitudine. Unde et amor, qui facit animam deiformem, facit illam summe sapiencie participacione plene sapientem. Unde et Iohannes dicit: “Unctio eius docet de omnibus.” [1 Ioan. 2:27] Et per os ipsius veritatis dicitur in Iohanne: “Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ipse vos docebit omnia,” etc. [Ioan. 14:26] Et iterum: “Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.” [Ioan. 16:13] Et in Trenis primo sic scribitur: “De excelso misit ignem in ossibus meis et erudit me.” [Lam. 1:13]

Est igitur dilectio plena tocus veritatis magistra; immo ipse amor est ipsa veritatis noticia. Nec moveat aliquem quod multi in via Deum amant, nec est in eis plena noticia veritatis. Quia sicut dicitur magistrum docere discipulum aliquam artem totam, puta rethoricam vel geometriam, cum adhuc tamen discipulus versatur circa artis principium vel medium, nondum sciens artis ultimum vel finem, sic et Spiritus Sanctus dicitur nos docere velud quadam unam magnam et universalem artem, omnem videlicet veritatem, cum tamen adhuc versamur circa huius artis primordia. Augmentata vero dilectione in nobis, augetur et huius magna artis noticia. Cum vero complebitur in nobis amor, ut diligamus Deum ex toto corde, et ex tota anima, et tota mente, [cf. Deut. 6:5, etc.] ut videlicet omnis amoris nostri particula conversa sit totaliter in ipsum, quod finita hac peregrinacione erit in patria, erit insimul et huius magne artis consummata noticia. Efficit igitur amor consummatam decoris speciem et sapiencie pulcritudinem secundum modum consummacionis /70ra/ qui potest esse in suprema facie creature rationalis.

Nec dubium quin amor sit cuius solius participacione fit rationalis creatura moraliter bona, cum nichil aliud sit bonitas quam amor ordinatus vel ordo amoris. Bonitas enim, que pro modo potencie et sapiencie sue dat se gratis in omnium utilitatem, nullam inde remuneracionem appetens nisi ipsam bonitatem, ipsa enim sui precium est. Alia enim bona, cum ipsa bonitate bona sint, ipsa bonitate minora bona sunt. Unde qui sue bonitatis alium finem sibi statuit quam ipsam bonitatem, est sicut qui cum posset recipere aurum plurimum, eo contempto, recipit argentum, vel plumbum modicum.

Igitur, ut dictum est, bonitas est que gratis se prebat in omnium utilitatem, quod cum aliud non faciat nisi amor ordinatus, patet ordinatum amorem non aliud esse quam bonitatem. Sed numquid quos facit amor pulcros, sapientes, et bonos relinquit inpotentes? An et amor est qui solus efficit fortes? Plane is solus amor est cuius nexum, secundum Apostolum, Rom. 8: “Nec tribulacio, nec angustia, nec persecucio, nec fames, nec nuditas, aut periculum, aut gladius, neque mors, neque

angeli, aut principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instancia, neque furtura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poterit dirumpere.” [Rom. 8:35-39] De cuius potencie fortitudine eciam in Ecclesiastico dicitur: “Fortis est ut mors dilectio.” [Cant. 8:6] Super quod verbum dicit beatus Bernardus: “Fortis, quippe, est ut mors dilectio, que mortem in nobis non vitam occidit.” [Bernardus, Ep. 42, 11] Unde et audacter minatur: “Ero mors tua, o mors.” [Os. 13:14] Hec enim est que mortem culpe et mortem pene iehenne absorbet in victoria, [cf. 1 Cor. 15:54] et que de morte nature, que non est vite corporis perempcio sed ad horam adempcio, ad vitam restituit gloriose resurrectionis.

Hec est eciam, ut dicit Augustinus, [Ieronimus MS] “que sicut carnalis mors animam avellit a sensibus carnis, ita et ista a carnalibus concupiscenciis, quam nemo vincit sicut nemo mortem vincit.” [Augustinus, Ep. 167, 3] Hec est et que fortis armati custoditam domum intrat et ipsum fortem prius alligat, et tunc domum et vasa illius dirupit. [cf. Mt. 12:29] Cum itaque mors videatur fortissima, et de forti armato dicatur quod “non est potestas /70rb/ super terram que illi comparetur,” [Iob 41:24] tam vero et mortem omnem quam et ipsum armatum fortem superet fortitudine et conterat dilectio, manifestum est illius dilectionis potentissimam esse fortitudinem non solum impulsibus invadencium se resistendi, sed eciam omne quod ipse aggreditur victoriosissime superandi.

Cum igitur amor sit et speciei consummata pulcritudo, et sapiencie plenitudo, et bonitatis dulcedo, et potencie invictissime victoriosissima fortitudo, patet quod citra creatorem ut amor creatoris nil magnum, aut appetibile, aut preciosum, sed omnia amore comparacione computantur ut lutum. Unde et in Cantico 8 dicitur: “Si dederit homo omnem substanciam domus sue pro dilectione, quasi nichil despiciet eam.” [Cant. 8:7] Et merito pre dilectione omnia contempnuntur, quia adhuc ut magis estuanter inhyetis tenende dilectioni.

Audite quantis caritatis laudibus nos inflammat pater Augustinus, dicens quod “cum plenitudo legis sit caritas, ille tenet et quod latet et quod patet in divinis sermonibus, qui caritatem tenet in moribus. Hec est dulce et salubre mencium vinculum, sine qua dives est pauper, et in qua pauper est dives. Hec in adversitatibus tollerat, et in prosperitatibus temperat; in duris passionibus fortis est, in bonis operibus hillaris; in temptatione tutissima, in hospitalitate latissima; in Abel per sacrificium grata, in Noe per diluvium segura, in Abrahe peregrinacione fidelissima, in Moyse inter iniurias lenissima, in David in tribulacionibus mansuetissima; in tribus pueris blandos ignes innocenter expectat, in Machabeis sevos ignes fortiter tollerat; casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria preter virum; libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum. Quanta est ista? Littera animarum, prophecie virtus, sacramentorum salus, sciencie solidamentum, fidei fructus, divicie pauperum, vita morientium, magnanima pro impiis moriendo, benigna est inimicos diligendo, sola est quam felicitas aliena non premit, quia non emulatur. Sola est quam felicitas sua non extollit quia non inflatur. Sola est quam consciencia mala non /70va/ pungit, quia non agit perperam. Inter obprobria segura est, inter odia benefica [beneficia MS] est, inter iras placida est, inter insidias innocens est, et inter iniquitates gemens est, in veritate respirans. “Quid illa forcus, non ad retribuendas, sed ad non curandas iniurias? Quid illa fidelius, non vanitati, sed eternitate? Nam ideo tollerat omnia in presenti vita quia credit omnia de futura vita, et suffert omnia que hic mittuntur quia sperat omnia que ibi promittuntur.” [Augustinus, Sermo 350 (PL 39.1534)]

Ecce quam magnificis dilectionis laudibus corda nostra inflammat sanctus iste pater Augustinus. Supra quas laudes quid possit sermo meus adicere? Ne igitur corda vestra, iam dilatata et inflammata sanctis laudibus ad inhiandum invincibiliter tenende caritati, meo caritatis amplitudini non condigno sermone coartem et refrigerem, sufficiant hec ad presens de laude caritatis. Que dicta de laudibus ipsius moneo, ut sint vobis speculum vite, in quod cotidie mentis vestre intuitum defigentes, reflectione ipsius contuitus in vestri propriam consideracionem perscrutemini, an tales sint forme mentis vestre correspondentes interius, quales resultant et apparent velud in speculo in

dictis caritatis laudibus, quales si inveneritis ineffabiliter gaudendum, si vero minus in vobis fuerint, ut in vobis formentur infatigabiliter totis viribus enitendum.

Sed forte labor in enitendo preciositatem attenuat caritatis ad quam laboriose pervenitur, licet cum ad hanc perventum fuerit, suaviter teneatur. Ac nec homo quidem deterreat, ipsa enim, sicut est omnium preciosissima, sic ad adipiscendum et tenendum facillima, et hoc eius preciositatem quodammodo congeminat quod cum adepta teneatur iocundissime acquiritur suaviter et non laboriose, sicut enim ex doctrina beati Augustini habere possumus. Non aliud est in substantia amor quam voluntas, sed voluntas non acquiritur nisi volendo, et amor nisi amando. Sed nil est facilius quam velle, nil facilius et suavius quam amare. Cum ergo voluntas volendo et amor amando acquirantur, non solum adeptus est dulcis sed ad adipiscendum facilis et sauis. /70vb/ Stultissime igitur contempnitur, et sapientissime instanter queritur quod facillime acquiritur, et iocundissime et saluberrime tenetur.

Ista res, tam facilis adeptu et tam preciosa obtentu, radix est, ut dixi, de qua sola pululat arbor pastoralis cure. Unde quisque sine hac radice pastoralis cure extra videtur agere officium, non est sicut arbor viridis sed sicut lignum aridum, nullis usibus nisi soli combustioni accomodum. Profundetur igitur hec radix in terra cordium vestrorum. Cumque sit res tam salubris sic in amore modus non habuisse modum. Sine modo enim et sine mensura amandum est quod sine modo et mensura bonum est. Tantum enim unumquodque amandum est, quantum [quam MS] bonum ipsum est. Ipse quoque creator et redemptor noster, ideo sine mensura et non aliquanto. [? aliquanter MS] Quin magis amandus est? Quia sine modo magna est distancia per quam ab ymo ad sursum nos elevavit. Creando enim nos elevavit a nichilo ad aliquid, inter que duo, scilicet inter nichilum et aliquid, est distancia infinita. Omne enim ens id quod nichil est infiniter excedit.

Nec solum nos elevavit ad hoc ut ex nichilo aliquid essemus, sed ut creatura ipsius dignissima essemus. Recreando vero nos, elevavit ab eterna morte in eternam vitam, a tenebris in lucem, ab ymo inferni ad supremum celi. Ut etiam nos recrearet, qui equalis est in divinitate Patri suscepit formam servi. [cf. Phil. 2:6-7] Tanto seipso pro nobis effectus minor, quanto minor est homo Deo. Mortalis et passibilis Deo immortalis et impassibili tantum pro nobis humiliatus, quantum distant pena et ignominia crucis a gloria supreme magestatis. Secundum igitur magnitudinem huius pro nobis humiliacionis, et nostre ab ymo per ipsum exaltacionis, debemus ei magnitudinem nostre dilectionis, que magnitudo tamen sit magna sine modo; debemus ei amorem cuius modus sit sine modo.

Propterea, in amorem excedentem modum nos excitare debet, quod omnium creaturarum in utilitatem nostram convertit ministerium. Omnia enim propter nos facta sunt, et homini subdito Deo omnis creatura lenior sit ad benefaciendum. Ministrat enim nobis angeli boni custodiendo, angeli mali exercendo; sol et luna et corpora celestia /71ra/ illuminando et calorem vitalem fovendo. Hec autem nota elementa, ignis videlicet, aier, aqua, et terra, tot habent manifestas et omnibus notas quas nobis ministrant utilitates, quod magis videntur patere silencio quam manifestari eloquio.

Omnium etiam creaturarum magnitudo, species, et ordo nos erigunt in Trinitatis cognicionem. Ipsa enim creaturarum magnitudo Patris demonstrat potenciam, species Filii sapienciam, ordo Spiritus bonitatem. Unde cum Trinitatis cognicio sit res utilissima, et in hanc utilitatem nobis serviat creatura etiam minima tocuis creature nobile ministerium nos excitare debet, merito in amorem excedente modum. Ipsa quoque que videntur in creaturis perniciose, sicut dicit beatus Augustinus, nobis sunt non modicum utilia, quia de ipsis "vel punimur, vel exercemur, vel terremur, ut non istam vitam, multis periculis et laboribus subditam, sed aliam meliorem, ubi summa est securitas, diligamus et desideremus, eam et nobis pietatis meritis comparemus." [Augustinus, De Gen. contra Manich. 1 (PL 34.185)]

"In omnibus quoque," sicut idem Augustinus monet, "cum mensuras et numeros et ordinem videas, artificem quere. Nec autem invenies nisi ubi summa mensura et summus numerus et

summus ordo est, id est Deum, de quo verissime dictum est quod omnia in mensura, numero et pondere disposuerit. Sic fortasse uberiolem fructum capies cum Deum laudas in humilitate formice quam cum transis flumen in alicuius iumentum altitudine.” [Augustinus, De Gen. contra Manich. 1 (PL 34.185)]

Profundemus igitur sine modo radicem hanc in cordibus nostris, quia tunc de ea prorumpet in altum robur cure pastoralis. Et attendendum existimo quod ipse Filius, Verbum incarnatum videlicet, extorquet confessionem amoris sui antequam tradat curam pastoralis officii. Ipse enim Filius non solum est Deus, sed Deus et homo, unus Christus. Unde Filium, Christum videlicet, diligere est eundem Deum et hominem diligere. Hoc est diligere ipsum viam secundum humanitatem et ipsum veritatem secundum doctrinam, et ipsum vitam secundum divinitatem. Ipse enim est via secundum humilitatem assumptam /71rb/ humanitatis, ducens nos ad vitam divinitatis in luce sue veritatis. “Ego,” enim inquit, “sum via, veritas et vita.” [Ioan 14:6] Ambulare vis? ego sum via; falli non vis? ego sum veritas; mori non vis? ego sum vita.

Si igitur Christum totaliter diligimus, non solum ipsum vitam laboris, vie mercedem, et veritatem viam, et vie finem demonstrantem diligimus, sed et ipsum viam qua laborando pervenimus ad vite mercedem. Ipse autem, sicut dictum est, via est secundum carnem assumptam et secundum ea que gessit et passus est in assumpta carne. Unde qui ipsum viam diligit, eius opera que secundum hominem gessit, et passiones quas secundum hominem pertulit, imitare pro modulo suo diligit. Qui enim dicit se in Christo manere, per dilectionem videlicet, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare, hoc est per actionum et passionum ipsius imitationem ipsum sequi. Ipse autem pro veritate et fide non deserendis in se, et informandis et confirmandis in aliis, omne asperum et durum quod homines mundi amatores fugunt in mansuetudine, sine vindicte libidine, cum persequencium amore et beneficiorum prestacione, amanter et pacienter sustinuit. Omne autem quod concupiscencie carnis suave est, quod concupiscencie oculorum et superbie vite magnum est, que mundi amatores velud magna appetunt, pro fide et veritate fortiter recusavit. [cf. 1 Ioan 2:16]

Hec est igitur pars dilectionis que vera radix est cure pastoralis, ut diligit invincibiliter omnium adversorum tolleranciam pro fide et veritate non deserendis, sed observandis in se, et pro eisdem informandis et promovendis et confirmandis in subditis, et ut invincibiliter pro eisdem diligit omnium prosperorum contemptum, adversa nulla timeat, prospera nulla concupiscat, in adversis si accidant non deprematur, immo potius in eorum tollerancia pro Christo vehementer letetur, “omne gaudium,” secundum Apostoli doctrinam, “existimans in temptationes varias incidere.” [Iac. 1:2] In prosperis si accidant non elevetur, sed magis timeat eorum blandam fallaciam quam adversorum torrentem seviciam.

Ex hac tali dilectionis /71va/ radice crescere potest in altum robur pastoralis cure. Hoc est enim oves vere pascere, omnia sustinere adversa, omnia recusare prospera, pro veritatis confessione ut oves vos imitentur. Et hec talis ovium pastio est retribucio quam retribuere possumus Domino pro omnibus que retribuit nobis. Hec est calicis salutaris accepicio. [cf. Ps. 115:13] Unde et Augustinus super hoc verbo ait: “Quid illi poterat retribuere Petrus qui amabat illum? Audi quid: pasce oves meas, id est fac pro fratribus quod pro te feci. Omnes sanguine meo redemi. Nolite dubitare mori pro veritatis confessione ut ceteri vos imitentur.” [Augustinus, In Ioan. epist. ad Parthos, 5]

Et ut noveris quia sic ab eo pasci volebat oves suas ut animam suam pro ovibus poneret, hec illi continuo dixit: “Cum esses iunior, cingebas te et ambulabas ubi volebas. Cum autem senueris, extendes manus tuas et alius te cinget et ducet quo tu non vis.” [Ioan. 21:18] “Hec autem dixit,” ut ait Evangelista, “signans qua morte esse clarificaturus Deum,” [Ioan. 21:19] ut cui dixerat, pasce oves meas, doceret eum ponere animam pro fratribus suis. [cf. 1 Ioan. 3:16]

Nec solum diligende sunt in Christo homine usque ad actum imitandi eius passiones, sed etiam quas secundum hominem gessit humane actiones, ut simus videlicet vigilantes, oracionibus insistentes, in hiis etiam pernoctantes; exhibeamus petentibus et indigentibus benignitatem in vultu,

dulcedinem in alloquio, habundanciam in dono; aberrantes revochemus, labentes sustineamus, lapsos erigamus, ambulantes promoveamus, tardantes stimulemus, preproperos refrenemus, ordinate ambulantes congratulemur, in omnibus exhibentes nosmetipsos sicut Dei ministros. Sic itaque diligendus est precipue Christus via, ut a pastoribus imitetur usque ad mortem etiam pro fratribus, passiones omnes et actiones eius “qui passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum ut sequamur vestigia eius.” [1 Petr. 2:21] Indignus est enim frui ipso vita qui non vult laborare in ipso via.

Diligendus est etiam Christus veritas, diligendus est et vita et forme. Ideo trinam amoris sui confessionem extorsit, qui de se dixerat, “ego sum via, veritas et vita,” /71vb/ ut sic insinuaret se exigere a pastoribus ut diligerent ipsum viam, ipsum veritatem, ipsum vitam.

Quidam enim diligunt ipsum veritatem et vitam, et odio habent ipsum viam. Ut qui volunt gaudere de veritatis ipsius visione, ed iocundari de dilectionis fruicione, nolunt tamen ipsum imitari in passione, vel operum bonorum actione. Volunt conregnare, sed nolunt compati, non attendentes illud Apostoli: “Si compatimur et conregnabimus,” [2 Tim. 2:12] et iterum, “si socii fueritis passionum simul et consolacionis eritis.” [2 Cor. 1:7] Quidam vero plurima passionum opera sustinent, et bonis operibus insistunt, et eternitate vite frui desiderant, sed tamen ex hiis que paciuntur et agunt humane laudis vanitatem appetunt. Hii videntur diligere viam et vitam sed non veritatem, cum veritati contrariam deceptricem amant vanitatem.

Non sic secundum partem vult se amari Christus. Vult itaque amari via quemadmodum dictum est. Vult et amari veritas. Et licet sit veritas secundum quod Deus sicut et vita, non incongrue tamen in hoc loco forte aptabimus veritatem ad eam que per os eius hominis facta est veracissimam predicacionem, ut hoc sit diligere ipsum veritatem, diligere ad imitandum predicacione veritatis ipsum predicatorem, ut vera videlicet que ipse docuit, “doceamus solum Iesum Christum, et hunc crucifixum,” [1 Cor. 1:23, 2:2] predicando annunciemus. A necessaria et utili veritate dicenda non obturet os vestrum verecundia et timor. Falsum vel inutile verbum non extorqueat ab ore vestro aliquis inordinatus affectus vel error. Dulcis sit commonicio, acris correpcio, terribilis comminacio, et spei plena promissio. Usque ad huius predicacionis imitacionem est Christus veritas invincibili amore a pastoribus diligendus.

Ipsi namque pastores os Christi sunt, lingua Christi sunt, guttur Christi sunt, dentes Christi sunt, labia Christi sunt. Sicut ex variis scripture locis manifestum est, omnibus instrumentis vocalibus in Christi corpore comparantur, ut ad officium predicacionis arcus invententur, et de silencio gravis dampnabiles ostendantur.

Os veritatis es, et a predicanda veritate obmutescis? Os veritatis es, et non niteris implere in te quod oras cotidie, “ne auferas ab /72ra/ ore meo verbum veritatis usquequaque?” [Ps. 118:43] Lingua Christi es, et adherescis palato et faucibus sapientibus suavitates voluptatum, qui deberes esse lingua de qua dicitur: “lingua mea calamus scribe velociter scribentis,” [Ps. 44:2] et de qua Salomon ait: “Lingua sapientum sanitas.” [Prov. 12:18] Ministrat enim sermonem, de quo dicitur: “neque herba, neque malagma sanavit eos, sed sermo tuus, Domine, qui sanat omnia.” [Sap. 16:12] Guttur Christi esse debes, de quo in Cantico: “Guttur eius suavissimum,” [Cant. 5:16] et siles ab eructando verbum bonum, [cf. Ps. 44:2] more ydolorum de quibus dicitur: “non clamabunt in gutture suo.” [Ps. 113:15] Dentes Christi esse debetis, de quibus iterum in Cantico: “Dentes tui sicut greges tonsarum.” [Cant. 4:2] Dentes veri Moysi, de quibus dicitur Deuteronomio 34: “Dentes illius moti non sunt,” [Deut. 34:7] et tamen nichil iuvatis more dencium in sonum verbi Christi formandi, nec in prescidendas animas a mundana conversacione, nec comminuendas easdem cordis contricione, ut traiciantur et incorporentur in Christi corpore. Labia Christi esse debetis, de quibus dicitur, “in labiis meis pronunciavi omnia iudicia oris tui,” [Ps. 118:13] et de quibus Salomon: “Labia iusti erudiunt plurimos,” [Prov. 10:21] et vos non solum siletis ab enunciando iudicia et alios erudiendo, sed forte quidam sunt “labia dolosa,” que “in corde et corde loquuntur,” qui timere possunt quod sequitur, “disperdet Dominus universa labia dolosa.” [Ps. 11:3-4]

Non igitur a predicando cessemus, qui tot instrumentis vocalibus in corpore Christi assimilamur, ut ostendamus exhibicione operis quod diligimus Christum, doctorem veritatis.

Diligamus insuper Christum secundum quod vita est, videlicet secundum quod Deus est vita eterna et omnis vite principium. Quam dilectionem, quia eam in sermonis nostri principio, licet non secundum eius dignitatem tamen secundum nostre facultatis modicitatem, commendavimus, nunc autem amplius prosequi supercedemus.

Est igitur radix cure pastoralis vita sana et integra verus amor Christi vie, veritatis, et vite, erumpens in nobis in imitationem sufferencie passionum Christi, ut pro fratribus non trepidemus etiam mori, qua parte amoris diligimus ipsum viam; erumpens quoque in nobis per imitationem ipsius per predicacionem veritatis, qua parte amoris diligimus ipsum veritatem; ardens etiam in nobis desiderio fruendi visione et amplexu sue divinitatis, /72rb/ qua parte amoris diligimus ipsum vitam. Hec est trina dilectio quam voluit Dominus firmari in Petro cum ter quereret an amaret eum, qua dilectione attestante Petri trina confessione radicata et firmata, cure pastoralis eidem commisit officium. Hec est dilectio sancte conversacionis, vere predicacionis, et eterne vite fruicionis, ad quam eternam vitam nos perducatur in luce sancte veritatis per se viam, qui est via, veritas, et vita, Dominus noster Iesus Christus, cui est honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto in secula seculorum amen.

#### Dictum 92

De lac<ri>mis laudabilibus [laudabilibus MS]

Cum dolor sit sensus absencie appetiti, lacrimaque ex dolore procedat, primum movens lacrimas amor sive desiderium est eius rei cuius absenciam sentit et refugit anima. Cum autem appetenda per se non sint nisi bona eterna et que ad ea in huius vite via perducunt, non esset dolendum nisi ex virtutum desiderio et sensu presencie vicii, vel paucitatis intencionis virtutum, vel presencie huius, scilicet, quod homo est is qui fuit aliquando subiectum viciorum, et ex desiderio bonorum eternorum et sensu dilectionis eorumdem.

Miserie enim penalitatum huius vite, cum omnes iuste fuit et purgamina viciorum si pacienter ferantur, in quantum huiusmodi deflende non sunt, sed in hiis cum Apostolo gloriandum, [cf. Rom. 5:3] sed in quantum in culpis radicate sunt, et sunt quidam rami culparum deflende sunt et lugende. Desiderium itaque non falsi boni debet esse motivum primum lacrimarum. Proximum autem motivum fuga mali que constringit animam, ex qua constrictio sequitur constrictio spirituum in cerebro, et sic humoris de cerebro per oculos expressio.

Laudabilis igitur lacrimae aut sunt ex amore virtutis in via et fuga vicii vel penalitatis in quantum in viciis radicate sunt, aut ex desiderio eternorum bonorum et fuga absencie eorumdem. Et hec duo genera lacrimarum sunt duo irrigua que peciit Axa, filia Caleph, sibi dari, ut legitur in Iosue 15, [Ios. 15:19] et Iudice primo, [Iud. 1:15] id est anima, filia predicatoris vel Dei, quia Caleph interpretatur canis vel omne cor. [cf. Isidorus, Etymol., 7, 6, 52] Predicator autem canem signatur, ut in Tobia, per canem qui precurrens nunciavit adventum Tobie iunioris, [cf. Tobias 11:9] et in Luca, capitulo 16o, per canes qui lingebant ulcera Lazari. [Luc. 16:21] Ipse est etiam omne cor qui omnibus omnia factus est ut omnes /72va/ lucrifaciat. [cf. 1 Cor. 9:19]

Hec insidet asino [cf. Iud. 1:14] cum stolidam carnem bene regit. Furibunda videtur cum mundum contempnit, et pro predictis plorat. Sed tamen in suspiriis et predictis lacrimis morbis propriis medetur, quod bene convenit interpretacioni nominis. Nam Axa furibunda, Araph vero medicamentum, ut dicit Ieronimus, interpretatur. [cf. Hieronymus, Liber interp. hebr. nom., 23] Sicut autem timor servilis inducit timorem inicialem et filialem, sic lacrimae que habentur exteriore solo penarum inducunt sepe lacrimas ex odio et fuga culparum, et hee lacrimae in se laudabilis non sunt, sic nec timor servilis in se laudabilis.



Ex superiore autem gemina divisione laudabilium lacrimarum, per commixtionem extremorum, facto quodam medio, nascitur trifaria lacrimarum laudabilium divisio. Quia sunt quedam lacrimae solum pro malis tollendis, quedam vero pro hiis tollendis et futuris bonis adipiscendis, quedam vero solum pro bonis eternis habendis. Prime lacrimae signabantur per labrum in atrio tabernaculi, in quo sordes abluebantur. [cf. Ex. 30:17, etc.] Secunde, per altare holocausti, in quo carnes assumebantur et ascendebat odor suavitatis coram Domino. [cf. Ex 29:41; 38:1; Eph. 5:2 etc.] Tercie vero lacrimae per altare thimiamatis, in quo non erat aliquid carnis absumendum, sed de quo solum odor suavitatis ascendebat. [cf. Ex. 30:1, etc.]

Congruit etiam hiis tribus lacrimis situs horum trium, labri scilicet quod erat exterius, et altaris holocaustorum quod erat in medio, et altaris thimiamatis quod erat interius. Lacrimae autem pro culpis delendis debent esse culpis commensurate, et secundum multitudinem culparum divise. Utrique autem large et habundantes ex cordis amaritudine procedere, quae vocis habent pondera, pro lacrimante supplicant, tribulantem accusant, ad celum ascendunt, Deum iudicem commovent, commotumque delectant, in gaudio terminantur. Unde Gregorius in Pastoralis libro 2o capitulo 32o: "Consummata mala perfecta diluant lamenta, ne qui plorant plus astringantur in debito perpetrati operis, et minus solvant fletibus satisfactionis. Scriptum quippe est, 'potum dedit nobis in lacrimis in mensura,' ut videlicet uniuscuiusque mens tantum penitendo compunctionis /72vb/ sue bibat lacrimas quantum se a Domino meminit aruisse per culpas." [Gregorius Magnus, Regula pastoralis, 3, 29]

De divisione lacrimarum idem Gregorius ait in eodem capitulo: "Admonendi sunt ut singula quaeque considerent, et dum per unumquodque errorum sui inquinacionem deflent, simul se ac totos lacrimis mundent. Unde bene per Ieremiam dicitur, 'cum iudee [videlicet MS] singula delicta pensarentur divisione aquarum deduxit oculus meus.' Divisas quippe ex oculis aquas deducimus quando peccatis singulis dispertitas lacrimas damus." [Gregorius Magnus, Regula pastoralis, 3, 29]

Debent etiam utrique lacrimae supradicte large et habundantes ex corde amaritudine procedere. Unde legitur in primo Regum primo quod: "Anna, cum esset amaro animo, oravit Dominum flens largiter," [1 Reg. 1:10] ut per amaritudinem lacrimarum dulcescat nobis dulcedo non fallax, [cf. Augustinus, Confessiones, 2, 1] et per earum largitatem et habundanciam, "ubi superhabundavit delictum superhabundet et gracia." [Rom. 5:20]

Habundantes etiam lacrimae vocis habent pondera, pro lacrimante supplicant, tribulantem accusant, ad celum ascendunt, Deum iudicem commovent, commotumque delectant. Unde in Ecclesiastico 35: "Non despicit Dominus preces pupilli, nec viduae, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrimae viduae ad maxillam descendunt, et exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad celum, et Dominus exauditor delectatur in illis." [Ecclus. 35:17-20]

Finis lacrimarum istarum gaudium, sicut Dominus promittit discipulis, dicens: "Tristitia vestra vertetur in gaudium." [Ioan. 16:20] Quod considerans, Iacobus ait: "Miseri estote, lugeate, et plorate. Risus vester in luctum convertatur, et gaudium vestrum in merorem," [Iac. 4:9] quasi dicat, si gaudere velitis perpetuo nunc lugeatis, alioquin extrema gaudii luctus occupat. Subiecto enim manente, necesse est uno contrariorum recedente alterum succedere. Quapropter cum anima sit perpetua omnium transitorio eius gaudio succedet meror, et transitorio merori succedet gaudium.

Quante autem efficacie sunt lacrimae ex hoc licet perpendere, quod sterilem septem filiis fecundaverunt, sicut legitur: "Donec sterilis peperit septem," [cf. 1 Reg. 2:5] et regi addicto morti quindecim annos vite addiderunt. [cf. Is. 38:1-5] Nec vacant ista a misterio, quia lacrimae septiformi dono /73ra/ Spiritu Sancti, et plenitudine bonorum operum fecundant. Addunt etiam vite nostrae quindecim annos, cum per illas efficitur quod per tres vires anime, per quinque corporis sensus ordinatas, exerunt actiones.

Effectui autem lacrimarum bene congruit earum claritas, salsedo, et velox arescencia. Quia, sicut oculum carnis caligare faciunt, sic oculum concupiscencie deficere faciunt. Unde scriptum est: "Defecerunt oculi mei pro lacrimis," [Lam. 2:11] et oculum interiorem sanant, et clariorem reddunt,

saporemque sapientie inducunt, et animam sapientia [? saporien'ncia MS] faciant, unde: "Fuerunt michi lacrimae mei panes die ac nocte," [Ps. 41:4] putredinemque viciorum tollunt, et fluxum luxurie arefaciunt.

### Dictum 93

An Christus non fuerit in antiquis patribus secundum rationem seminalem cum fuerit de illis materialiter

In semine est virtus inclinitiva ad formam et speciem, que, cum adest oportunitas exterior causalis et temporalis, prorumpit in speciem. In seminante autem est virtus decisiva seminis a se. Racio autem seminalis vocatur coniunctim virtus dicta tam seminis quam seminantis, et forte alterutra harum divisim quandoque vocatur ratio seminalis.

Cum autem dicitur quod id quod nascitur de semine est in seminante secundum rationem seminalem, intelligitur quod sit in seminante sicut in habente in se virtutem decisivam a se seminis immediati eius quod nascitur de semine, vel etiam seminis mediati unde nascetur seminativum seminis immediati. Et sic esse in alio secundum rationem seminalem est esse in illo ut in efficiente generativo, et per consequens esse in illo materialiter. Quod enim est in alio secundum rationem seminalem est in eo materialiter, sed non convertitur, ut quod est in alio materialiter sit necessario in eo secundum rationem seminalem.

Si autem dicitur quod nascitur ex semine esse in semine secundum rationem seminalem, intelligitur secundum virtutem occultam in semine, que, cum ad est oportunitas causalis et temporalis, prorumpit in speciem. Hec ergo appellatio, ratio seminalis, in sua intencione generali non signat concupiscenciam. Verumtamen per contractionem ad specialem materiam, utpote cum loquimur de ratione seminali hominis seminantis, cum non seminet nisi cum concupiscencia, includit in sui intencione concupiscenciam. Et est tunc ratio seminalis vis decisiva seminis concupiscencialiter, et in ratione seminali seminis decisi concupiscencialiter /73rb/ comitetur [conitetur MS] etiam feditas relicta in semine ex concupiscenciali seminacione.

Patet itaque quod Christus non fuit in Adam et Abraham secundum rationem seminalem, quia non futurus ex eo per concupiscencialem decisionem a se seminis immediati unde nasceretur Christus, neque etiam seminis unde nasceretur tandem immediatum seminativum concupiscencialiter seminis immediati corporis Christi. Licet enim Abraham concupiscencialiter seminaverit unde mediate nasceretur Christus, non tamen descendit de Abraham, qui seminaret in concupiscencia, semen unde immediate Christus. Id enim unde immediate Christus nec etiam seminatum fuit, set de carne virginis opere Spiritus Sancti separatum. Igitur fuit Christus in Abraham non secundum rationem seminalem, sed materialiter sive substancialiter, licet beata virgo in Abraham fuerit secundum rationem seminalem.

Sed numquid materia corporis Christi, que opere Spiritus Sancti de carne purissima beate virginis fuerit separata, et in corpus Christi eodem opere edificata, potuit aliquando fuisse semen humanum corporis? Non enim videtur quod quicquid est in corpore humano in semen descindi possit, sed aliquid est in illo quod potest in semen descindi et aliquid quod penitus est indescindibile in semen. Quod si ita est, tunc in corpore beate virginis fuit aliquid quod naturaliter fuit descindibile in semen si virum cognovisset, et aliquid quod non fuisset seminabile. Utrum igitur corpus Christi assumptum fuit, aut ex eo quod in illa fuit seminabile si virum cognovisset, aut ex eo quod in illa fuit inseminabile, si autem assumptum fuit corpus ex eo quod in corpore virginis erat inseminabile, tunc etiam idem in corpore Ade vel Abrahe fuit in se et per se inseminabile. Licet enim descindebatur ab Abraham in semine Ysaac, et ab eo in semine Iacob, et ita usque ad semen Marie, fuit tamen in quolibet illorum seminum ut pars materialis partis corporis Marie, partis inquam inseminabilis. Quod si ita est, nullo modo fuit in potestate hominis generativa homo Christus, etiam si homo non

peccasset et sine peccato et concupiscencia homo gigni potuisset, tamen de illa parte inseminabili opere propagacionis nullus homo propagari potuisset. Si igitur hec ita fuit, patenter non fuit Christus in antiquis patribus secundum racionem seminalem.

Sed quis secundum certitudinem cognoscet qualiter predicta vere se habeant? Nisi forte hoc nobis certitudinem /73va/ faciat, quod credimus certe quod Christi caro de purissima carne beate virginis assumpta est, purioremque credamus illam partem non seminalem quam seminalem partem. Sed unde hoc sciemus, scilicet, que illarum purior, an hoc scilicet magis congruit miraculo et divine operacioni, ut homo ille singulari miraculo natus de parte non seminali singulariter fiat?

#### Dictum 94

##### Distinctio paupertatis et diviciarum

Paupertas generaliter dicta est defectus vel carencia rei, cuius habitus est comodus et cuius defectio incomoda. Dives enim est qui non caret rebus sibi comodis. Solemus autem divicias vocare rerum temporalium possessiones, et divitem qui plures temporalium habet possessiones, eo quod hiis quasi rebus comodis suas defectiones supplere posse videtur, et sic carere incomodis.

Sunt autem quidam qui habent temporalium multitudinem possessionum, et nimio hiis adherent amore, et hii simpliciter divites vocantur. Habitus namque possessionum et amor nimius adiunctus, quasi materia quedam et forma concurrentes, ipsum divitem integraliter componunt. De talibus divitibus ait Dominus, Matteo 19: "Facilius est camelum" etc., et Iacobi ultimo: "Agite nunc divites, plorate ululantes" etc. [Iac. 5:1]

Sunt alii qui has temporales possessiones habent, sed illicito amore hiis non adherent. Tales fuit Ioseph ab Aramathia, de quo in Mattheo 27, ubi dicit Glossa interlinearis: "Quo dicio eo laudabilior." [chk. Glossa interlin., ad Mt. 27:57] Difficile est enim habere, et amore nimio non adherere. Quanto tamen minus hiis amore adheret, tanto melius hiis uti potest. Quia ut dicit Augustinus: "Nemo potest bene uti rebus quibus carere non potest." [Cf. Augustinus, De bono coniugali, 21, 25] Quanto igitur minus amat et facilius eis carere potest, tanto melius eisdem uti potest. Hii non simpliciter, sed quasi materialiter solum, divites dicuntur.

Sunt tercii qui, cum non habent has temporales possessiones, eas tamen nimium amant. Et hii non materialiter sed quasi formaliter sunt divites, et spiritu divites dici possunt.

E contrario tripliciter dicuntur pauperes. Nam sunt qui carent hiis temporalibus et ea non cupiunt, vel forte fugiunt, ut Christum nudum nudi sequantur. Et sunt qui ea habent, non tamen illicito amore hiis adherent. Et utrique dici possunt spiritu pauperes; priores vero pauperes spiritu et rebus, /73vb/ alii vero spiritu solum. Sunt tercii, qui non habent et cupiunt tamen, et hii pauperes sunt rebus et non spiritu.

Duo igitur posteriores modi divitum et pauperum simile sunt, secundum quid divites et secundum quid pauperes, communicantes in alico cum simpliciter divitibus, et in alico cum simpliciter pauperibus.

Vere autem divicie sunt nullo egere. Solus autem Deus per se nullo eget. Propter hoc ipse solus per se est dives. Alii autem sunt in tantum veri divites, in quantum illo qui per se vere dives est participant. Sola itaque participacio vere sapiencie vere divites facit. Igitur vera paupertas non est nisi sapiencie carencia, cuius carenciam non facit nisi stulticia et peccatum. Quia enim sapiens est qui omnia adversa patienter tolerat, sed talem non faciunt adversa miserum, sed eum reddunt clariorem, talis non eget hiis prosperitatibus, quia habita non tollunt eius miseriam que nulla est, nec faciunt eum beaciorem, immo potius adversitates sapienti sunt divicie, quia in hiis gloriatur in quantum iuste sunt, et bone, et purgative, et erudientes.

Penalitates tamen huius vite, quia consistunt in defectione et privacione bonorum que congruunt homini secundum statum suum sue prime condicionis, et secundum statum glorie, in

quantum huiusmodi sunt, paupertates dicuntur, et secundum hunc modum tanto quisque pauperior, quanto hiis penalitatibus plenior. Unde et Christus secundum hunc modum pauperrimus, quia non fuit dolor penalitatum similis sicut dolor eius. Hoc modo dicitur de Christo: "Ego vir videns paupertatem meam." [Lam. 3:1] Moraliter etiam Christus est pauper, quia cibo et potu quem esurit et sitit valde caret. Cibus enim et potus eius est ut nos faciamus voluntatem Patris eius. [cf. Ioan. 4:34]

Ex hiis dictis iam patet que sunt vere divicie. False autem divicie sunt rerum temporalium possessiones, quod satis ostendit Boecius in libro Consolationis philosophie, que nullam veram indigentiam auferre possunt, nec aliquam partem beatitudinis conferre. [cf. Boethius, Philosophiae consolatio, 1, pr. 3] De veris diviciis ait Psalmista: "In via mandatorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus diviciis." [Ps. 118:14; cf. 118:32] Et Apostolus, prima ad Corinthios primo: "Gracias ago Deo meo quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni sciencia." [1 Cor. 1:4-5]

Veras etiam divicias distinguens a falsis, ait Salomon: "Est quasi dives /74ra/ cum nichil habeat, et est quasi pauper cum in multis diviciis sit." [Prov. 13:7] Quasi dives enim est qui habet et amat illicite terrenas possessiones, et talis nichil habet cum careat eo qui solus vere est et per se dives est. Quasi pauper est qui hec terrena non amat, vel nec habet nec amat, et talis in multis diviciis est cum habeat ipsum qui per se dives est, "in quo sunt omnes thesauri sapientie et scientie absconditi." [Col. 2:3]

#### Dictum 95 Scutum fidei

Ambo huius scuti fulget luce inaccessiblei. Angulus ubi scriptus est "Pater," picturatur universe potencie virtute; angulus vero ubi scriptus est "Filius," universe pulcritudinis specie; angulus vero ubi scriptus est "Spiritus Sanctus," ordinis universorum aptissime connexione.

Angulus vero ubi scriptum est "Filius" quasi coreo tegitur, humanitate scilicet assumpta, quod dealbatur mundicia immunitatis a peccato et gloria resurrectionis, rubricatur sanguine passionis, iacinctinatur amore celestium, purpuratur insigni regio. Habet enim inscriptum, "rex regum et Dominus dominantium." [1 Tim. 6:15]

Hoc scutum, impressum in credulitate per dilectionem operante, scutum est fidei. Id impressum in amore, scutum est bone voluntati. Id impressum in fide mortua, aut discredulitate, aut odio, scutum cordis est de quo in Trenorum 3: "Dabis eis scutum cordis laborem tuum," etc. [Lam. 3:65]

#### Dictum 96 Scutum bone voluntatis

Bona voluntas generalis, qua vult homo esse talis in omnibus qualis esse debet, et qua vult se habere ad omnia ipsum circumstantia sicut se habere debet, est sicut scutum rotundum, de qua dicitur: "Domine ut scuto bone voluntatis tue coronasti nos," [Ps. 5:13] in cuius medio est sita ipsa essentia bone voluntatis, que undique se extendit ad circumstantia omnia. Et quia hec universalis voluntas nondum discernit que de circumstantibus se sibi sunt propiora, que remociora, que supra, que infra, que dextra, que sinistra, quibusve debeat maiorem, quibusve minorem debeat dilectionis affectum, quasi omnia a se habet ad huc eque distancia, et in circumferencia respectu sui descripta, ad que se protendit undique.

Cum autem iam incipit discernere que sunt supra se, que a latere, que infra, incipitque amare quod est super se super omnia ad fruendum eo. Quod autem est a latere sui incipit amare ut

se. Sed hoc subdividit in duos modos, ut amicum quasi a dextra positum /74rb/ diligat in Deo, et inimicum quasi a sinistra positum diligat propter Deum. Ea vero que sub se sunt diligat solum ad utendum hiis.

Cum inquam hec facit bona voluntas, sive amor ordinatus, qui idem est, quasi in circulari scuto supradicto, a centro quatuor extendit semidiametros ad quatuor angulos quadrati inscribendi. Sicque per consequens inscribitur illi circulo quadratum, in cuius supremo angulo situs est Deus, in dextro rectus sui amicus, in sinistro inimicus, in infimo bona temporalia. Fiunt tres latera huius quadrati ex affectionibus que ex descriptis in centro et in angulis mutuo in alterutrum se protendunt. A centro enim protendit se in angulum supremum amor ad fruendum eo quod ibidem situm est, id est Deo, et ab ipso mutuo protendit se amor in centrum, quo amat ibi positum, ut ibi positus fruatur se, id est Deo.

Item a centro protendit se in dextrum amor amici in Deo, et mutuo a dextro reflectit se in centrum amor consimilis. Item a centro protendit se in sinistrum amor inimici propter Deum, et a sinistro reflectitur in centrum. Ab eodem quoque centro protendit se in angulum deorsum amor ad utendum ibidem positus, consimilisque amor protenditur a dextro angulo in infimum. A sinistro vero in infimum protenditur amor ad fruendum in ymo positus. Mutua autem protensio amoris inter supremum angulum et dextrum penitus consimilis est mutue protensioni inter eundem supremum et centrum. A supremo autem angulo ad sinistram protenditur et odium et amor, quia odit Deus malos tales quales sunt, amat autem ut sint alterius modi quam sunt. E converso autem a sinistro ad supremum revertitur similiter tam odium quam amor quidem, quia mali odiunt Deum punitorem neque diligunt ipsum propter se, sed ad utendum eo.

Per hunc modum itaque, post scutum rotundum sequitur scutum quadratum, ut firma sit nostra protectio contra omnia iacula inimici.

Et notandum quod quilibet bonus dextro et sinistro cornu scuti sui protegit amicum suum, et inimicum etiam econtra protegitur a dextro cornu scuti amici, quia quod est dextram cornu scuti sui est umbo scuti amici, et quod est umbo /74va/ scuti proprii est dextrum cornu scuti amici.

#### Dictum 97 De tritico

Frumentum granum tritici hanc habet proprietatem ab omnibus granis exceptam, fructibilis et laudabilis est propter similitudinem complexionis humani corporis. Habet etiam cum ceteris granis commune quod colativum est mundificativum et sanativum. Ius de eius farina confectum purgativum est pectoris et pulmonis et eorum asperitatem lenit. Coctum cum oleo solvit apostemata dura. Granum assum et masticatum superpositum fugat morbum qui contingit ex morsu canis rabidi. Oleum de grano eius factum ad impetiginem et serpiginem auferendam, videlicet de tenuissimo pulvere qui de molendino eicitur, ius si fiat contra fluxum sanguinis, et saniei per os egestum et emoptoycis valet.

Hoc modo sacre scripture verbum, quod grano frumenti comparatur, aliarum scripturarum omnibus verbis, quasi omnibus granis, nutribilis et laudabilis. "Fons enim sapiencie verbum Dei in excelsis, et ingressus illius mandata eterna." [Eccus. 1:5] Et in Baruk 3o: "Audi Israel mandata vite," [Bar. 3:9] et 4o: "Hic est liber mandatorum Dei et lex que est eternum omnibus qui tenent illam ad vitam." [Bar. 4:1]

Verbum Domini aliis doctrinis magis assimilatur complexionis humane, quia vere complexionis ex quatuor virtutibus nulla alia doctrina sic assimilatur. "Sobrietatem enim et sapienciam docet, et iusticiam et virtutem, quibus nichil est in vita utilius hominibus," [Sap. 8:7] hoc est temperanciam, prudenciam, iusticiam, et fortitudinem. Hoc habet autem commune cum ceteris doctrinis, quod omnes sunt collative, sordium mundificative et lavative, quia, secundum Senecam, ex omnibus hiis,

si observaveris, informacionem, [Seneca, ... ] et Tholomeus dicit de astronomia, quod ipsa est sciencia ad sciendum Deum altissimum, propter preparacionem cum perscrutacione et intellectu, que et eius similia vere et manifeste significant Deum, qui non alteratur et non movetur, et non est accidens, neque est factus, quia ipsa nostre sciencie, quam de Deo altissimo habemus, vicina est, et ipsa est semita deducens ad eum. [Ptolomaeus, ...]

Item, ius factum de spiritali intelligencia velud de farina /74vb/ sapienciam et sermonem purgat, et horum lenit omnes asperitates. Decoctum cum oleo misericordie solvit duras collectiones.

Item, frequencia meditacionis [mediacionis MS] masticatum, et igne caritatis et tribulacionis assum, fugat omnem morbum qui solet provenire ex morsu detractorum. Non enim curat detractorum vel iudicancium verba, sed dicit cum Apostolo, prima ad Corintheos 4o: "Mihi pro minimo est ut a vobis iudicer, aut ab humano die." [1 Cor. 4:3] Vel curat omnem morbum qui venit de morsu Ade, vel de morsu prelatorum in rabiem versorum.

Item oleum, hoc est misericordia, quam docet sacra scriptura, aufert impetiginem avaricie, que, sicut dicit Gregorius, "Si in parvis non compescitur, sine mensura dilatatur. Impetigo quippe sine dolore corpus occupat, et absque occupacionis tedio excrescens membrorum decorem fedat, quia dum avaricia capit animum, et quasi delectat exulcerat." [Gregorius Magnus, Regula pastoralis, 1, 11] Serpiginem quoque tollit luxurie, que si intus non reprimatur in occasionem foris serpens dominatur. Pulvis tenuis de molendino anagogici sensus subtilitas est, que de comolitione historice eruitur, cuius vis contra omnem fluxum peccati, et contra verbum malum quasi saniem per os digestum valet.

Dictum 98

De folio

Folium verbum signat, iuxta illud: "Et folium eius non defluet," [Ez. 47:12] quod aperto sermone de Samuele dicitur, Regum primo capitulo 3o: "Nullum ex verbis eius in terram cecidit." [1 Reg. 3:19]

Nec inmerito verbum folio comparatur, quia si verbi sonantis recipiamus generacionem, inveniemus in eo folii figuram. Incipit enim eius formacio in trachee arterie stricto et rotundo, et perficitur in oris latitudine. Habetque in stricto et rotundo trachee arterie quasi folii caudam qua adheret arbori; in ore vero, quasi eius folii expansam latitudinem. Vel eciam usque ad egressum ab ore quasi strictum caude habet; post egressum ab ore quasi folii undique dilatacionem. Sic igitur verum in verbo vocali quasi viror et vita est folii. Folia vero arboris sunt ornamenta; sic sermo est solus quo homo plus aliis animantibus decoratur. "Honor enim et gloria /75ra/ in sermone sensati," sicut scribitur in Ecclesiastico 5o, [Eccus. 5:15] et in eodem, capitulo 4 [x MS]: "In lingua agnoscitur sapiencia, et sensus, et sciencia, et doctrina in verbis veritatis." [Ecclus. 4:29]

Folia eciam sunt arboris et fructus munimentum et defensio contra extrinsecas intemperies. Et in Parabolis 12, scribitur: "Os iustorum liberabit eos." [Prov. 12:6] Sermo enim compositus ire repellit ardorem, sicut scriptum est: "Responsio mollis frangit iram," [Prov. 15:1] licium et inimiciarum cedat [i.e. sedat] turbinem, quia "verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos." [Eccus. 6:5]

Fluit autem folium cum discontinuatur ab arbore. Folii autem spiritalis discontinuacio est verbi exteriorum ab interiori disiunctio. Hoc autem est cum aliud dicit verbum exterius et aliud sentit mens interior. Causa autem casus foliorum est condensacio et siccacio succi glutinosi. Similiter cum siccatur humor caritatis, amor vidilecet veritatis, cadit folium verbi discontinuatum a verbo interiori. Folium autem cadens in terram decedit, quia illuc cadit verbum ubi terminatur intencio dicentis. Omnis autem menciens intencio in terra terminatur, quapropter eius verbum in terram cadit. Veridicorum autem verba nusquam cadunt, sed usque ad celum intencionis directione pertingunt.

De hac foliorum in excelsum protensione in Ecclesiastico 35: "Oratio humiliantis se nubes penetrabit." [Eccus. 35:21]

Hec folia medicinalia sunt omnium infirmitatum sanativa. Unde Ezechielis 47: "Fructus eius in cibum, et folia eius ad medicinam," [Ez. 47:12] et in Apocalypsis ultimo, folia arboris illius sunt ad sanitates gentium deputata. [cf. Apoc. 22:2]

Verbum etiam Domini bene dicitur folium, quasi filum a multitudine filorum. Sicut enim folium unum habet in medio filum super quod quasi super fundamentum construitur tota fabrica folii, et ex illo mediano filo ramificantur hinc inde multa fila, illaque itidem fila in plurima alia, sic verbum Domini medianum filum [filium MS] super quod fundatur habet dilectionem, que dilectio ramificatur hinc in precepta tria dilectionis Dei, et inde in septem dilectionis proximi, eaque itidem decem in alia innumerabilia ramificantur, texturamque scripture componunt.

Hec autem folia hanc /75rb/ habent prerogativam ad alia, quod preter morem foliorum fructificant, nec fructum contemptibilem, sed super omnia expetibilem. Unde Ysaiae 57: "Creavi fructum laborum pacem, pacem ei qui longe est et qui prope, dicit Dominus." [Is. 57:19] Et in Parabolis 13o: "De fructu oris homo saciabitur bonis." [Prov. 13:2]

#### Dictum 99 De montibus

Mons signat Dominum salvatorem. Unde Ysaiae 2o: "Erit in novissimis diebus preparatus mons domus," etc. [Is. 2:2] Et Daniel dicit quod ipse est lapis precisus de monte sine manibus, qui crevit in montem magnum, Danielis 2o. [cf. Dan. 2:34-35] Mons etiam ecclesiam signat, unde Psalmista: "Qui confidunt in Domino sicut mons Syon." [Ps. 124:1] Et iterum: "Sicut ros Hermon qui descendit in montem Syon." [Ps. 132:3]

Item, montes Apostoli et Prophete sunt. Unde Psalmista: "Montes excelsi cervis." [Ps. 103:18]

Item, montes sanctos viros, sive divinos libros, sive angelos signat. Unde in illo Psalmo: "Levavi oculos meos in montes." [Ps. 120:1]

Mons quoque populus est Iudeorum, de quo in Daniele: "Absconditus est lapis sine manibus de monte," id est Christus, sine viri opere, de populo Iudeorum. [cf. Dan. 2:34]

Item, montes sunt homines altitudinem huius seculi appetentes. Unde: "Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini," etc. [Ps. 96:5]

Montes divites et potentes huius seculi, ut in Iob 41o: "Huic montes herbas ferunt," [Iob 40:15] id est vicia carnis.

Mons diabolus propter timorem, ut in Ysaia: "Levate signum super montem caliginosum," [Is. 13:2] et in Ieremia: "Ecce ego ad te mons pestifer," [Ier. 51:25] et in Apocalypsi scriptum est quod mons magnus missus est in stagnum ignis et sulphuris, quia contumacia diaboli eterna pena iehenne dampnatur. [cf. Apoc. 8:8; 20:9]

Mons dogma hereticorum, unde in Psalmo ex persona ecclesie dicitur: "In Domino confido, quomodo dicitis anime mee, transmigra in montem sicut passer?" [Ps. 10:2] Et in Ieremia: "Date Domino Deo vestro gloriam antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos," [Ier. 13:16] hoc est, cavete ne forte gressus operum vestrorum in superba doctrina hereticorum offendentes, in caliginem erroris cadant. Item, in Psalmo: "A desertis montibus." [Ps. 74:7]

Montes duo erei, qui in Zacharie 6o describuntur, duo testamenta, de quorum media /75va/ quadriga Domini, id est quatuor evangeliorum predicatio, procedit.

Montes autem, ut ait Rabanus, ab eminentia dicuntur, quasi eminentes. "Sunt autem montes tumores terrarum altissimi." [Hrabanus, De universo 1, 13; PL 111.59] Mons autem est cum terra in aliqua parte levatur supra totius terre planiciem naturalem. Per hanc proprietatem signare potest

mons tam superbos quam bonos. Quasi enim planicies terre naturalis est ipse status hominis quem naturaliter habet a condicione, quasi planiciem terre nec excederet, nec infra subsideret, qui secundum hominem, id est secundum quod dictat ratio naturalis, viveret. Qui itaque per gratiam super hunc statum elevatur et quodammodo supra se ut secundum Deum vivat, quasi terre planiciem naturalem excedit. De sic elevato in montem dicit Ieremias: "Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se." [Lam. 3:28]

Superbia iterum est amor excellencie proprie, qui appetit elevare hominem supra statum sibi congruum, et quantum est de se elevat. Hec itaque elevacio hominis supra se, quid est nisi supra terre naturalem planiciem in montanam altitudinem elevacio? De hac in montanam altitudinem elevacione dicitur per Abdiam: "Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petre, exaltantem solium tuum." [Abd. 1:13]

Ob hanc supra se elevacionem dicitur Diabolus mons, de qua elevacione Ysaiae 14o: "Qui dicebas in corde tuo, in celum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, ascendam supra altitudinem nubium, et similis ero altissimo." [Is. 14:13-14]

Item, quasi terre naturalis planicies est gradus cuiusque boni, ad quem gradum et non supra pertingit communitas hominum, quasi igitur montes sunt qui supra hunc gradum in quovis bono pertingunt. Hoc itaque modo montes sunt qui vel in bonis extrinsecis, utpote divitiis et potenciis secularibus; vel corporis dotibus, utpote viribus, vel animi, utpote ingenio vel sciencia, communitatem hominum transcendunt. Secundum hunc modum tam boni quam mali montes quidem sunt. Nam Iohannes evangelista, secundum Augustinum, sic mons est propter sciencie celsitudinem. [Augustinus, In Iohannis evangelium tractatus, 2, 5] Et Arrius similiter propter acuti ingenii preeminenciam. [? cf. Augustinus, Enarrationes in Psalmos, Ps. 124, 5] Sic etiam quondam Iudeorum populus ad ceteras naciones mons fuit propter religionis et observancie legis prerogativam, /75vb/ sic quoque nunc populus Christianus. [cf. Augustinus, Sermo 45 (CCSL 41)] Christus etiam hoc modo mons nunc altissimus propter immunitatem a peccato et cetera bona in quibus ille solus prelatus est toti generi humano.

Sunt autem quidam montes aurei, ad quos accedere non possunt homines propter dracones et grifes et immensorum hominum monstra. Hii montes possunt precipue angelos signare, qui propter sapiencie claritatem et a terrenis fecibus defecacionem, bene auro comparantur. Et propter sui per gratiam supra se elevacionem montibus, ad quos dum hic peregrinamur per apertam visionem accedere non possumus, peccatis nostris que per suggestiones demoniorum perpetravimus penis quoque peccatorum prepedientibus. Demones autem et peccata per dracones et grifes et hominum monstra signari notum est, ut in Ysaiae 13o: "Replebuntur domus eorum draconibus, et habitabunt ibi struciones, et pilosi saltabunt ibi, et respondebunt ibi ulule in edibus suis, et sirene in delubris voluptatis." [Is. 13:21-22] Item, idem, 34o: "Erit cubile draconum et pascua strucionum, et occurrent demonia onocentauris, [onocentaurus MS] et pilosus clamabit alter ad alterum," etc. [Is. 34:13-14]

Item, est mons quidam Olympus dictus, qui nubium excedit altitudinem, et sub suo cacumine tonitrua, fulgura, ventos turbines, et omnes aieris despiciunt intemperies in suo cacumine ab omni intemperie pacatissimus. Unde et litteras ibidem in pulvere scriptas perpetuo servat non oblitteratas, eius tamen partes inferiores omnes impetunt aieris intemperies. Qui itaque per hunc montem, cuius nomen totus ardens interpretatur, signantur nisi hii qui toti inflammantur illo igne quem Dominus venit in terram mittere, [cf. Luc. 12:49] illo inquam igne de quo dicitur Deuteronomii 4, et Hebrei 8: "Deus noster ignis consumens est." [Deut. 4:24; Hebr. 12:29] In quibus viciorum consumpta rubigine per mentis contemplacionem elevati sunt supra fantasmatum nubila, minasque et terrores hominum, et mundi adversitates quasi tonitrua et fulgura et ceteras intemperies sub se despiciunt et derident, secundum vocem Domini: "Non timentes eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere," [Mt. 10:28] mentis servantes serenitatem dum corpus /76ra/ tribulatur, cum Apostolo: "Spe gaudentes, in tribulacione patientes." [Rom. 12:12] Qui iterum ait: "Non solum



autem, sed et gloriamur in tribulacionibus.” [Rom. 5:3] Hii tales legis Dei scienciam menti, quasi montis cacumini, inscriptam, servant a mundi turbinibus non obliteratedam.

Sunt alii montes qui per spongiositatem in sui summitate aquas suggendo attrahunt, de quibus erumpunt fontes et fluvia. Hii sunt per humilitatem intus cavi, per concupiscenciam sapiencie eam suggestentes, haustamque docendo aliis, illam influentes prius faciendo quod prius monet Salomon, Paraboli 2o, dicens: “Inclina cor tuum ad agnoscendum prudenciam. Si enim sapienciam invocaveris et inclinaveris cor tuum prudencie, si quesieris eam quasi pecuniam, et quasi thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, et scienciam Dei invenies.” [Prov. 2:20-25] Deinde quod idem Salomon, Paraboli 5 consequenter admonet: “Diriventur fontes tui foris, et aquas tuas in plateis divide.” [Prov. 5:16]

Sunt alii montes qui sulphureum ignem fetentem et caliginosum exsufflant et evomunt, ut Ethna, Vesevus, et Chimera. Et qui sunt hii montes nisi huius mundi potentes, in quibus plerisque ardet et fetet vicium luxurie, maxime illud non naturale? Hic ignis fetens et caliginosus, cum erumpit in verbis aut funesto opere, quid aliud est nisi flamma sulphurea erumpens de monte. Potentes bene comparantur Chimere, in cuius una parte habitant leones, in altera capre, in tercia dracones, quia hii sunt leones crudelitate, capre fetenti petulancia, [petulencia MS] dracones astuta fraudulencia. [cf. Isidorus, Etymol., 11, 3, 36] Possunt eciam hii montes esse heretici, qui doctrinam efflant fetentem et caliginosam.

Est eciam essencialis causa montium terremotus, quo pars terre sursum in eminenciam propellitur. Quid autem est terremotus nisi prosperitatis terrene concussio et perturbacio. Per hanc concussionem et perturbacionem multi de imo vite abiecte et impure ad vite sanctissime celsitudinem propulsi sunt. Nonne hic terremotus Saulum sustulit in Paulum, qui cacumen suum sustulit in tercium celum?

Est alia causa generacionis moncium, aquarum /76rb/ videlicet super terre superficiem inundacio, que partes terre minus solidas secum trahit, congeritque in unum cumulum alicui super terram solidiorem suo tractatui non cedentem. Quid est autem hec inundacio nisi gracie predictio, que in sacramento baptismi infirma mundi secum trahit, et in unitatem fidei et dilectionis congerit, et per vite eminenciam sustollit fortibus mundi, et resistentibus inundacioni huic in ymo et confusione remanentibus, secundum quod scriptum est: “Infirma mundi elegit Deus ut forcia queque effunderet.” [1 Cor. 1:27] Si autem sit alicui vis mineralis, que aquam roris et pluvie condenset in terram, sicut est vis mineralis que convertit aquam in lapidem, generetque vis illa alibi montes temporis processu crescentes. Hiis montibus bene signantur hii in quibus vis gracie Spiritus Sancti pluviam doctrine consolidat, et in vite contemplative firmam celsitudinem crescere facit.

Notandum quod quanto montes sunt excelsiores, tanto sunt intemperiebus ayeris magis expositi, et a turbinibus magis impetiti. Sic homo, quanto est vite eminentior, [eminentorum MS] tanto magis temptacionibus pellitur et aieris potestatibus impetitur, [cf. Eph. 2:2] et sepe eciam exterioribus tribulacionibus.

Omnes autem montes piramidales sunt, et in conum tendunt. Hoc autem signat in bonis montibus quod tendunt ad hoc ut sint unum in Christo, [cf. Ioan. 17:11] qui est vera unitas et summa simplicitas. In malis montibus signat quod eorum finis est punctio pene iehennalis, et quod in puncto ad inferna descendunt. Ipse enim conus punctalis, in quantum unit totum in summitate simplici, gerit tipum unitatis in Deo. In quantum tamen acutus et pungitivus, gerit tipum acuminis penalitatis, et subiti descensus ad illud.

Montes eciam in quanto primo recipiunt radios solis et ultimo, gerunt tipum ecclesie de Iudeis, que primo credit, et que in fine credet quando relique salve fient.

Dictum 100

De duodecim lapidibus fundamentalibus in Apocalypsi nominatis

Iohannes in Apocalypsis 21 ait: "Fundamentum primum, iaspis." [Apoc. 21:19]

iaspidum multum sunt genera. Alius enim viridis coloris et tinctus quasi floribus apparet.

Alius smaragdi habet similitudinem sed crassi coloris, quo omnia fantasmata fugari /76va/ autumant. Alius nivi et spumee marinorum fluctuum, quasi mixto cruore obrutilans. [cf. Bede, Explanatio Apoc. 3, 21]

[Iaspis primus lapis MS (add. in marg.)]

Isidorus ait: "Iaspis de Greco in Latinum viridis gemma interpretatur. Ias quippe viride pinasin gemma dicitur. Volunt autem quidam iaspidem gemmam et gratie et tutele esse gestantibus, quod tamen credere non fidei, sed supersticionis est." [Isidorus, Etymol., 16, 7, 8]

Dena[!?] ait: "Caste gestatus fugat febres et ydropem." [???

Beda ait: "Per iaspidem igitur fidei viror inmarcessibilis indicatur, que Dominice passionis sacramento per undam baptismatis imbuitur, atque ad omnes spiritualium graciaram flores proficientibus meritistis instruitur. Hanc autem qui habuerit, vanos timores fugat, monente beato Petro: 'Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, querens quem devoret,' quasi dicat, cui resistite fortes in fide. Et potest cum ipsa sponsa dicere: 'Amicus meus candidus et rubicundus.' De hoc lapide apud Isaia, propugnacula civitatis muniuntur pariter et ornantur." [Beda, Explanatio Apoc., 3, 21]

Viror in vegetabilibus quasi quedam necessitas est et forma proxima ad vitam primam vegetabilem suscipiendum et tenendum. Et quid aliud est fides nisi viror quidam et forma quedam proxima materialis ad vitam primam gratie suscipiendam. "Iustus enim ex fide vivit," ut Abacuk ait 2o, [Hab, 2:4] et Apostolus ad Corintheos 5: "Iustificati ex fide." [Rom. 5:1] In fide autem quasi tincti flores nondum in se plene formati. Quedam enim est in fide pictura illorum florum qui erunt expressi in patria, ubi iustus "germinabit sicut lilium" [Amos 14:6] et florebit in eternum ante Dominum. [cf. Ps. 91:14] Que expressa floricio summe pulcritudini erit plena conformacio in visione per speciem, in fide autem nunc est quasi longinqua assimilacio et depinctio. Unde prima ad Corintheos 13o: "Nunc videmus per speculum," [1 Cor. 13:12] etc., et 1 Ioannis 3: "Karissimi, nondum apparuit quid erimus; cum autem apparuit, similes ei erimus." [1 Ioan. 3:2] Et hoc forte notatur cum dicitur quod "similitudinem habet smaragdi, sed crassi coloris," quia similitudinem habet quamdam visionis per speciem, sed habet adhuc quodammodo grassiciem propter similitudines rerum corporalium quibus velud /76vb/ in enigmate speculatur.

Fides fugat omnia fantasmata, quia "si habueritis fidem sicut granum sinapis, et si dixeritis hinc arbori eradicare et explantare in mari, obediet vobis." [Mt. 17:19] Fides autem nullis decipitur fantasmatis deceptions. Nec dubium quin fides sit gratie et tutele gestantibus illam. Ipsa enim est scutum in quo extinguntur omnia tela ignea inimici. [cf. Eph. 6:16] Fides eciam caste gestata fugat febres et ydropem, quia mortificat ardorem concupiscencie et rebellionem carnis ad spiritum, et extinguit sitim avaricie que per ydropim signatur.

Viridis color visum confortat. Quod autem confortat visum spiritualem fides est. Hec enim oculum interiorem sanat et ad videndum intelligibilem lucem confortat. Unde Ysaiae 7: "Nisi crederitis non intelligetis," [cf. Is. 7:9] et in Actibus: "Fide purificans corda eorum." [Act. 15:9]

Sed quomodo est ille lapis in fundamento, cum dicitur ab Isaia esse in propugnaculo? [Is. 54:12] Quia quod creditur et quasi in ymo in fide ponitur, basis est spei erecte, et id quod creditur iterum super spem erectam collocatur, et est quasi epistilium spei. Iterum super id speratum erigitur amor, et idem iterum collocatur in amoris summitate. Fides itaque credita in summo amoris posita, quasi castris anime propugnaculum est.

[Saphirus secundus lapis MS ( add in marg.)]

Saphirus lapis est fulgens et similimus celo purpureo. "Est enim ceruleus cum purpura, habens pulveres aureos sparsos." [Isidorus, Etymol. 16, 9, 2] Hic radiis percussus solis fulgorem ardentem ex se emittit. Reperitur in mari Rubro. [Beda, Explanatio Apoc., 3, 21] Hic lapis, ut perhibent, educit carcere vinctos, obtrusasque fores et vincula tacta resolvit. Hic lapis corpora prebet integra et boni coloris. Sudorem multum fluentem compescit, et omnem ardorem interanearum partium. Vetera ulcera cum lacte contritus sanat, et epiforas oclorum, et motus frontis, et torsiones ventris cum lacte sanat. Invidie resistit. Scarabeus sculpitur in eo.

Hic lapis secundus signat spem celestium, eciam nostram per spem in celis conversacionem. Spes enim naturaliter fidem immediate sequitur. Huius colorem pariter et sacramentum exposuit Moyses, cum /77ra/ Dei habitum describens diceret: "Sub pedibus eius quasi opus lapidis saphiri, et quasi celum cum serenum est." [Ex. 24:10] Ezechiel quoque dicit, 10 capitulo, quod locus in quo tronus Dei sit saphiri habet similitudinem, et gloria Domini in hoc colore consistit. [Ez. 1:26; cf. Beda, Explanatio Apoc., 3, 21] Ad yma namque Dei summitas nostre spei contingit, et in spe nostra Deus primo collocatur.

Spes autem bene lapidi comparatur propter fortitudinem et infatigabilitatem in labore. Unde in Isaie 40: "Qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquile, current et non laborabunt, volabunt et non deficient." [Is. 40:31] Psalmista eciam: "In Domino sperans non infirmabor." [Ps. 25:1]

Spes quoque fulget attactu supreme lucis. Unde Isaie 50: "Qui ambulat in tenebris et non ei lux, speret in nomine Domini et innitatur super Dominum suum," [Is. 50:10] quasi dicat, sic illuminabitur et fulgebit. Innititur autem spes non super inferius sed super superius, quia spei inclinatio sursum est. Universaliter autem omnis virtus sursum tendens habet fundamentum et cui innititur non subtus, sicut ponderosa, sed sursum.

Celum autem purpureum tum propter celum in quo est vis regitiva inferiorum, tum propter purpuram quod est insigne regnum, tipum tenet virtutis supreme regitive in anima, id est amoris Dei, qui omnia regit et ordinat. Et quid tam simile amori regenti et regalem sedem in anima obtinenti ut spes? Spes namque amori similima est. Spes quoque similima est rei sperate. Quodam enim modo sperans conformatur sperato sicut amans amato, licet non sit eciam illa tam expressa conformacio.

Spes autem nostra sperata Christus est, Deus et homo, sicut dicit Isaie 14o: "In ipso sperabunt pauperes populi eius," [Is. 14:22] et ad Colossenses primo: "Christus in vobis spes glorie." [Col. 1:27] In quantum Deus, celum regitivum omnium; in quantum homo, passus et sanguinis purpura indutus, addit celo divinitatis colorem purpureum. Nec vacat quod color ceruleus, qui proprius est aque, admiscatur purpure, quia de latere Christi in quod passum /77rb/ speramus profluxit aqua cum sanguine, et quod depingitur in sperato depingitur in ipsa spe.

Quid est quod hic lapis habet pulveres aureos, nisi quod verbum est caro factum, quod veritas de terra orta est. Aurum namque sapiencia est, pulvis vero terra carnis est, pulvis aureus caro Deus. Et bene dicitur quod habet pulveres aureos pluraliter, quia quecumque plura de eternis speramus per hominem Deum nos illa adepturos speramus. Qui ergo unus est Christus, unus in se pulvis aureus in comparacione ad plura sperata per ipsum, quasi illorum obtinet pluralitatem

Item, spes habet aurum in pulvere quia habet sapienciam nondum in aperta visione. "Spes enim que videtur non est spes," sed sapienciam, "quam non videmus per pacienciam expectamus." [Rom. 8:24-25] Hic radiis percussus solis ardentem fulgorem ex se emittit quia, celestibus semper intentus animus divini habens, cotidie radiis innovatus, compunctior atque ardencior eterna perquirat, aliisque inquirenda persuadet.

Spes enim radios luminis receptos, reflectit in solem radios mittentem; reflectit quoque in circumstantes, ut eos ad lumen quo irradiatur revocet et accendat. Audit enim et dicit: "Veni," et "abissus abissum invocat." [Ps. 41:8]

“Quod in mari Rubro invenitur, signat per Domini passionem in sacri baptismatis lavacrum mentes mortalium ad presumenda celestia sublimiter erigi.” [Beda, Explanatio Apoc. 3, 21] Spes quoque manifeste funibus peccatorum vinctos educit de carcere huius corporis penalis et mundi cum hominem sic erigit supra se ut possit dicere cum Apostolo: “Nostra autem conversatio in celis est.” [Phil. 3:20] Unde Psalmista: “In te speraverunt patres nostri, speraverunt et liberasti eos.” [Ps. 21:5] Et unde liberasti, nisi de carcere, sicut dicit alibi: “Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tu.” [Ps. 141:8] Que etiam sunt vincula peccatorum que spe tacta non resolvantur?

Prebere [prebet MS] quoque corpora integra et boni coloris, quid aliud est quam spes que nos perducet ad integritatem gloriose et lucentis resurrectionis, quia innuit /77va/ Iob 19o, dicens: “Credo quod redemptor meus vivit,” etc., usque: “Reposita est hec spes mea in sinu meo,” [Iob 19:25-27] Et ad Ephesios 4o: “Ut non contristemini sicut ceteri qui spem non habent.” [1 Thess. 4:13]

Sudorem quoque compescit. Illum inquam sudorem de quo dicitur: “In sudore vultus tui vesceris pane tuo.” [Gen. 3:19] Spes enim celestium manifeste minuit laborem terrenum, reducens ad pacis tranquillitatem. Unde Isaie 26o: “Vetus error abiit, servabis pacem quia in te speravimus.” [Is. 26:3]

Spes quoque celestium ardorem ire et luxurie et ceterarum concupiscenciarum refrigerat. Nec solum invidie resistit, sed fraternam aggratulationem parit.

Scarabeus sculptur in illo, quia in spe semper debet esse timor. Per scabones et scarabeos et vespas, sicut ait Rabanus, signantur aculei timoris. [cf. Hrabanus, De universo, 8, 3] Unde est illud dominicum promissum in lege: “Mittet Dominus ante introitum tuum antecessores tuos vespas qui exterminabunt Cananeum.” [cf. Sap. 12:8]

[Calcedonius tercius lapis MS ( add in marg.)]

“Calcedonius quasi ignis lucerne pallentis speciem retinet, et habet fulgorem sub divo, non in domo.” [Beda, Explanatio Apoc., 3, 21] Sculpturis resistit, radiis solis ictus vel digitorum attritu si excandeat, paleas ad se rapit. “Apud Nasamonas, que est Ethiopie provincia, nascitur.” [Beda, Explanatio Apoc. 3, 21]

Lapis igitur iste tercius ponitur, et signat illos quorum vita abscondita est cum Christo in Deo, quam absconsionem facit secundus lapis, spes videlicet: “Perfecisti enim eis qui sperant in te in conspectu filiorum hominum; abscondes eos in abscondito faciei tue.” [Ps. 30:20-21] Unde et congrue sequitur hic lapis tercius. Hic habet speciem lucerne, de qua dicitur Iohannis 5: “Ille erat lucerna ardens et lucens.” [Ioan. 5:35] Absconditi enim in abscondito faciei Domini a conturbacione hominum similes sunt Iohanni, qui civium turmas fugiens, heremum peciit ne leni saltem maculare vitam fame posset. Hii ardent cum Iohanne amore et lucent sermone, pallent ieiunio et carnis maceracione. Fulgorem habent sub divo et non in domo, quia “celestibus desideriis subnixi, hominibus latere volunt, et in abscondito ieiunium, elemosinam, et preces agunt,” [Beda, Explanatio Apoc., 3:21] sicut monet Dominus, Mattei 6o. [Mt. 6:5-6] “Sed cum vel doctrine vel alii sanctorum operum /77vb/ usibus in servituri ad publicum exire iubentur, mox quid fulgoris intus gesserint ostendunt.” [Beda, Explanatio Apoc., 3:21] Et lux prius clausa prorumpit ut “luceat coram hominibus, et glorificetur Pater qui in celis est.” [Mt. 5:16]

Quod vero sculpturis resistit, et calescam ad se paleas rapit, talibus merito congruit qui a nullo suam fortitudinem vinci permittentes ipsi potius fragiliores, quosque in sui luminis ardore que iura coniungunt radiis solis calescit et attritu digitorum, quia ex luce veritatis calescit affectus quo in Deo abscondimur. Ex affectu calefacto procedit opus ex opere quod attricione digitorum signatur. Recalescit affectus et calefactus in se rapit quas potest de paleis ut ultra non habeant levitatem palee sed transeant in pondus firmitatis lapidee.

“Quod in provincia Ethiopie nascitur signat absconsos in Christo sub ardente fervore dilectionis, fama tamen obscura quasi nigrante cute sordore.” [Beda, Explanatio Apoc., 3:21] In

persona talium dicit sponsa: "Nigra sum, sed formosa." [Cant. 1:4] Nigra, quia extrinsecus obscura; formosa, quia intrinsecus ardore dilectionis pura luce veritatis fulgida, summe pulcritudini configurata.

[Smaragdus quartus lapis MS ( add in marg.)]

"Smaragdus nimie viriditatis est adeo ut herbas virentes, frondes, et gemmas eciam superet omnes, inficiens circa se viriditate repercussum aierem, qui mero et viridi proficit oleo, quamvis natura imbuatur. Cuius genera sunt plurima, sed nobiliores Sitici; secundum locum tenent Bactriani, tertium Egipcii." [Beda, Explanatio Apoc., 3:21]

Sculpentibus gemmas nulla gratior oculorum refectio est. Cuius corpus si extersum est sicut speculum reddit ymagines. Quippe Nero Cesar gladiatorum pugnam in smaragdo expectabat. Colliguntur in commissuris agrorum flante aquilone; tunc enim tellure discooperta intermicant, quia hiis ventis maxime arene moventur. [Cf. Isidorus, Etymol., 16, 7, 1-2]

Hic lapis, si creditur, auget opes, prestat facundiam, fugat enutriceum, caducos sanat, tempestates avertit, castimoniam tribuit.

"Huius lapidis tellus locuples sed inhabitabilis. Nam cum auro et gemmis affluat, grifes tenent universa, alites ferocissimi, vel potius fere /78ra/ volantes. Sunt autem quadripedes, et corpore quidem leonibus, capite vero et alis aquilis similime. Arismaspi cum hiis dimicant, qui uno oculo in media fronte feruntur insignes ut accipiant hos lapides mira cupiditate et feris rapientibus, et ar<is>maspis custodibus." [Beda, Explanatio Apoc., 3:21]

Dictum est in tractatu de iaspide cur viror fidem significet. Unde cum hic lapis omne vires virore superet, quid aliud signat quam animas in fide firmissime et perfectissime confirmatas et roboratas, ut viror iaspidis ad fidem inchoantem et proficientem referatur.

Saphirus ad spem, que super fidem erigitur, et consequenter abscondit hominem in abscondito vultus Dei, quod pertinet ad calcedonium, in quo abscondito pergustans aliquid de dulcedine Dei ita roboratur, ut fides inchoata iam creverit ad perfectum.

Et quasi laspidis viror debilior ad inmarcessibilem smaragdi pervenerit virorem, hic lapis circa se inficit aierem repercussum, quia fides firma "hereditatem inmarcessibilem conservatam in celis et mente concipit sperando, et in proximis satagit spargere predicando." [Beda, Explanatio Apoc., 3:21] Et sic sua circumstantes inficit viriditate, mero proficit et oleo viridi, quia "calice Dominice passionis, et interne pinguedine caritatis, que per Spiritum sanctum datur eciam ad mundi contemptum, fides firma proficit, [Beda, Explanatio Apoc., 3:21] ut quo a terrenorum fetibus defecior eo fit inmarcessibilitate virencior. Quod autem nobiliores sunt Sitici, signat quod fides firma, quanto plus mundi adversitate, quam signat frigora Scicie, attemptatur, tanto amplius spe inmarcessibilis eterne hereditatis vegetatur.

Qui sunt autem sculpenes gemmas, nisi illi qui in animabus imprimunt formas virtutum et scienciarum, et configurant eas summe pulcritudini, scilicet verbo Dei. Hii sunt predicatorum et doctores anime, namque sancte gemme sunt precise figurate in ligatura auri et opere lapidarii sculpte in memoriam. Ad hanc figuracionem faciendum ipsi doctores lapidarii multum intendunt oculos intelligencie ut sciant per veritatem et probacionem, et per spem intelli/78rb/gant que docent. Sed cum in hac intencione caligat oculus, non est quo recurret ut reficiatur, nisi ad fidem quo vegeior factus mentis oculus iterum intendat in videndum per speciem vel exercicium quod prius vidit per fidem.

Quod corpus smaragdi extensum vel extersum speculum est, quid aliud est nisi quod hic in fide per dilectionem extensam videmus. "Videmus qausi per speculum in enigmate." [1 Cor. 13:12] In hoc speculo conspicimus pugnas gladiatorum, "quibus non est colluctacio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes," etc. [Eph. 6:12]

Flante quoque vento frigidus persecucionis discooperitur lapis iste, ablato pulvere terrenorum amatorum. Tunc enim se exerit et intermicat firmitas fidei que prius latebat. Hic ventus

patefecit hunc lapidem in Moyse, sicut scribitur ad Hebreos, 2o: “Fide Moyses, grandis factus, negavit se esse filium pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere iocunditatem.” [Hebr. 11:23-25] Et de tribulatis pro Christo dicitur in fine illius capituli: “Et hii omnes fidei testimonio probati inventi sunt,” etc. [Hebr. 11:39]

In commissuris agrorum reperitur. Et que est agrorum commissura nisi mors que dividit inter agrum huius mundi et agrum paradisi. In hac autem commissura, cum flat ventus frigidus persecucionis, martirii maxime intermicat firmitas fidei. Vel secundo: Agri sunt latitudo sensibilibium cum floribus specierum sensibilibium, et latitudo intelligibilium cum floribus specierum intelligibilium. Inter hos agros invenitur lapis fidei, quia fides non est cognitorum per sensum, nec visorum per speciem. Per intellectum est, sed inter hec media, quia fides est supra sensum, et est ex non attingentibus ad scienciam certa presencio. Fides enim, sicut spes, est eorum que non videntur. [cf. Rom. 8:24; Hebr. 11:1] Unde ad Hebreos 2o: “Fide Noe responso recepto de hiis que adhuc non videbantur, metuens aptavit archam in salutem domus sue.” [Hebr. 11:7]

Fides manifeste divicias auget spirituales, prestat facundiam, quia hec tales fecit in facundia piscatores, /78va/ quod laudantur rethores si possunt intelligere piscatores. [cf. Augustinus, Sermo 43 (CCSL 41)]

Quid aliud caducos sanat, tempestates avertit, et castimoniam reddit, quia sine hac omnis anima fornicatur a Deo post deos alienos, [cf. Deut. 31:16] et per hanc coniungitur omnisque coniungitur sponso casto virginis Filio.

“Huius lapidis terram thesauris virtutum habundantem adierat Psalmista cum dixit: “Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine,” [Ps. 54:8] id est animum subtrahit elongando a mundi illicebri. In has contrarias bestias offenderat cum imprecans ait: “Muta fiant labia dolosa, que loquuntur adversus iustum iniquitatem in superbia et abusione,” sive “contemptu.” [Ps. 30:19] In hac quoque Gazas desiderabiles se invenire manifestat cum admiracione delectabili secutus adiungeret, dicens: “Quam magna multitudo dulcedinis tue, Domine, quam abscondisti,” etc., usque in finem Psalmi. [Ps. 30:20] Contra huiusmodi alites semen divini verbi preripere anelantes, quique sanctorum invigilant simplici per celeste desiderium intencione, quasi uno oculo adiurandi, ut gemmam fidei ceterarumque virtutum investigare et effodere queant. Quo enim queque virtus celsior est, eo pauciores habet cultores, gravioremque ab inmundis spiritibus persecucionem tollerant, qui velud grifes horreni meritorum deiectione terrestres, superba mentis altitudine volucres, divicias spirituales non sibi ad usum possidere, sed hominibus auferre indefesso labore decertant. Et quia tanta fidei sublimitas per evangelium mundo innotuit, apte, propter quatuor evangelii libros, quarto loco ponitur smaragdus.” [Beda, Explanatio Apoc., 3:21]

Sardonice faciunt duo nomina: sardus et onix.

Tres capit ex binis unus lapis iste colores:

Albus in hiis nigro, rubeus supereminet albo.

Sunt qui tres puros inpermixtosque colores.

Sic in se retinet, distent, ut limite certo.

Hic enim lapis ex onice candorem, ex sardio ruborem trahit, ab utroque sardonici nomen. Sunt huius genera plurima. Alius enim terre rubre similitudinem tenet; alius per humanam unguem sanguis eniteat bicolor apparet; alius tribus coloribus, subterius nigro, medio /78vb/ candido, superius vineo consistit. Hic lapis signat homines, amore passionis corporis rubicundos, spiritus puritate candidos, et mentis sibimet humilitate despectos, protestantes cum Apostolo: “Etsi exterior noster homo corrumpitur, sed interior renovatur.” [cf. 2 Cor. 4:16] Iterum: “Nichil michi conscius sum, sed non iustificatus sum,” [1 Cor. 4:4] et in Psalmo: “Quamquam in ymagine ambulet homo tamen vane conturbatur.” [cf. Ps. 38:7] Positus enim in ymagine Dei ambulat de virtute in virtutem, tamen ex corporis infirmitate turbatur, de cuius fragilitate descendit humilitas cum dicitur: “Infelix

ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis huius.” [Rom. 7:24] [cf. Beda, Explanatio Apoc., 3, 21]

Hic lapis congrue sequitur smaragdum, quia fides talis qualis smaragdo signatur martires patit, quia sancti “per fidem vicerunt regna,” usque, “alii ludibria et verbera experti,” etc. [Hebr. 11:33-36] Hec enim fides exclamat: “Quis nos separabit a caritate Christi? Persecutio,” etc. ad Romanos 8. [Rom. 8:35]

Cera autem, in qua est mel, plerumque signat has species corporales, in quibus per signacionem est dulcedo spiritualium. Martirium autem, cum signat animam, nichil secum trahit maxime de speciebus corporaliter amatis, quia falce martirii omnia, eciam venialia, resecantur. Et Augustinus ait: “In sacramento baptismali omnia peccata remittuntur, in martirio extinguuntur.” [Augustinus ... ] Sicut super ad Hebreos 12o: “Perfectior in hac vita dilectio nulla est ad quam sancti martires pervenerunt qui contra peccata usque ad sanguinem certaverunt.” [cf.? Glossa ord. ad Hebr. 12:4] Ideoque iniuria est in ecclesia pro martire orare, cuius debemus oracionibus commendari. [cf. Augustinus, Sermo 159 (PL 38.868)]

Apud Indos reperitur hic lapis, quia sub adustione liberacionis agnoscitur et torrente persecucionis detegitur. [cf. Isidorus, Etymol. 16, 8, 4]

Recte eciam quinto loco ponitur, quia corpus nostrum ex quinque sensibus constare manifestum est, secundum quod quis martirio exponitur persecutores corpus possunt occidere sed animam nequunt tangere. [cf. Beda, Explanatio Apoc., 3, 21]

[Sardonix quintus lapis MS ( add in marg. )] [Sardonix quintum ... Sardius sextum, according to Bede]

“Sardius sive sardus dicta eo quod reperta sit primum a Sardis,” /79ra/ utrumque autem dicitur sardius et sardus. “Hec [hic MS] rubrum habet colorem marmoribus prestans, sed inter gemmas vilissima. Genera eius quinque.” [Isidorus, Etymol. 16, 8, 2]

Hec nichil confert preter fulgorem, excepto quod onix nequit hac puritate nocere. Onicis autem nocumenta sunt hec: Quod collo suspensus onix, digitove ligato, in sompno lemures et tristicia cuncta figurat, multiplicat lites, et commovet undique rixas.

Hic lapis itaque, “qui ex integro sanguinei coloris est, martirum gloriam signat, de qua dicitur: ‘Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.’ [Ps. 115:15] Merito sexto loco ponitur, cum Dominus noster in sexta etate seculi incarnatus est, et sexta feria fuit pro tocius mundi salute crucifixus.” [Beda, Explanatio Apoc., 3, 21]

Et cum martires, velud senario perfecti, nihil habent superfluitatis aut diminucionis. Quid autem de preciosis vilius est martiribus, sed non in merite, ymmo in persecutorum aspectu et opinione. De hac vilitate dicit Paulus, prima ad Corintheos 4o: “Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.” [1 Cor. 4:13] Ad hac vilitate non fuit immunis ipse princeps martirum, testante Ysaie 53: “Et nos putavimus eum quasi leprosum, percussum a Deo, et humiliatum,” [Is. 53:4] et Ieremie: “Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.” [Lam. 3:14]

Martirium nichil confert preter fulgorem, quia omnia que ad martirium pertinent lucis sunt. Unde beatus Laurentius ait: “Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.” [source?]

Onices sunt persecutores martirum qui tristicia cuncta omnimodarum penarum figurant. Si virtus martirii omnium horum repellit nocumentum, facitque cuncta talia iocunda et suavia, sicut patuit in beato Laurentius dicente: “Disce, miser, quoniam carbones tui non ardorem mihi, sed refrigerium prestant.” [source?] Et Apostolus ad Romanos 5: “Non solum autem, sed et gloriamur in tribulacionibus,” [Rom. 5:3] et “Ibant gaudentes a conspectu consilii,” etc., [Act. 5:41] et ad Hebreos 11: “Moyses magis elegit affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere iocunditatem, maiores estimans divicias thesauro Egipciorum, improprium Christi, aspiciebat enim in remuneracionem. [Hebr. 11:25-26]

Virtus eciam martirii tollit lites et rixas, unde et in martirum persona dicitur: “Dedisti nos tanquam oves /79rb/ escarum,” [Ps. 43:12] ad similitudinem eius qui tanquam ovis ad occisionem ductus est, et tanquam agnus coram tondente se obmutuit.” [Act. 8:32] De hiis Cassiodorus: “Ovis, quia non habet arma resultacionis, raptoribus suis probatur esse tentibilis. Non enim aut cornu valet, aut dente contendit, aut fuga presumit, sed manibus latronis pacienter adquiescit, dum nulla se reluctacione defendit. Sic Famuli Christi velud oves estimati sunt, quoniam sine contencione aliqua videbantur occidi.” [Cassiodorus, Expositio Psalmarum, Ps. 43]

[Crisolitus sextus lapis MS ( add in marg.)]

Crisolitus lapis est lucidissimus, auro similis, habens scintillas ardentes ut ignis, cuius genus quoddam cerulei viridentisque coloris invenitur, habens colorum marini similitudinem, unde eciam apud Hebreos a marini colorum similitudine tharsis appellatur. [cf. Isidorus, Etymol. 16, 15, 2; Beda, Explanatio Apoc., 3, 21]

Hic lapis dicitur esse tutela fortis contra timores nocturnos, maxime si applicetur rasure auri, et sic portetur pertusus et traiectus cum setis asini, et in brachio sinistro ligatus, omnia demonia vincit, hanc et Ethiopia gignit.

“Huius lapidis specie,” ut ait Beda, “figurantur hii qui superne vereque intellectu sapientie fulgentes, verba exortacionis in proximos, vel eciam virtutum signa, quasi scintillas ignis effundunt. Quorum, ut Arator ait: ‘Mentibus instat amor, sermonibus estuat ardor,’ quod quia solo spiritualis gracia munere geritur, decentissime septimo fundamento crisolitus inest. Septiformi enim numero Spiritus Sancti gracia designatur. Unde et in Apocalipsis 1: ‘Et a septem spiritibus qui in conspectu eius sunt.’ [Apoc. 1:4] Huic sensui consonat quod cerulei viridentisque coloris lapis iste invenitur, quia viror ad integritatem fidei pertinet, que est inicium sapientie, aqua tropice ad Spiritum sanctum pertinet, testante Domino: ‘Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aque vive. Hoc autem dicebat de Spiritu sancto, quem accepturi erant credentes in eum.’” [Ioan 7:38-39] [Beda, Explanatio Apoc., 3, 21]

Aurum itaque interioris amoris, et sapientie, et scintille exteriorum verborum et virtutum, a Spiritu sancto intus operante sunt et prodeunt. “Non enim vos estis,” ait, “qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.” [Mt. 10:20] Unde hic lapis in septimo numero et in colore ceruleo, quasi sapientia et amor verba /79va/ et virtutes in Spiritu sancto.

Quod autem habet similitudinem marini coloris, hoc est quod in talibus depromit se amaritudo compunctionis. Mare enim quandoque est in tipo ipsa compunctionis contricio. Unde Ieremia: “Magna est velud mare contricio tua.” [Lam. 2:13] Vel secundum quod mare est ecclesia. Bene est in hiis marini coloris similitudo, quia hii in vita et doctrina ecclesie sunt sicut forma et exemplaris assimilacio, in quorum omnium tipo dicitur Timothei 4o: “Exemplum esto fidelium in verbo, in conversacione, in fide, in caritate, et castitate.” [1 Tim. 4:12] Et ad Titum 2o: “In omnibus teipsum prebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est vereatur, nichil habens malum dicere in nobis.” [Tit. 2:7-9] Et prima Petri 4o: “Non dominantes in clero, sed forma facti gregi ex animo.” [1 Petr. 5:3]

Hic lapis contra timores nocturnos fortis est tutela. Timores namque nocturni sunt timores vani cum licet trepidatur timore ubi non est timor. Hii autem sunt timores de hiis amittendis que iuncti amittere possumus. Hiis autem nec amore inherendum est, nec adhuc spe progrediendum, nec ab amissione timore fugiendum, nec in amissione tristicia tabescendum.

Hii autem timores insunt hiis tantum qui in nocte sunt. Si enim in claritate viderent quam nulla sunt que invite amitti possunt, et quam magna sunt que sola voluntate bona contra omnem violenciam teneri possunt, nullus unquam esset talium rerum amittendarum timor.

Hos timores itaque nocturnos fugant qui, interius prediti luce sapientie, foris effundunt ardentes verbi scintillas, qui dicunt: “nolite timere eos qui corpus possunt occidere,” etc. [Mt. 2:9] Item: “Principes non sunt timori boni operis, sed mali.” [Rom. 13:3] Hii sunt “sexaginta fortes qui



ambiunt lectum Salomonis, quorum uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos." [Cant. 3:7-8] Hii quoque sunt qui demonia fugant, quibus Dominus "dedit potestatem super omnia demonia, et calcandi super serpentes et scorpiones," [Luc. 10:19] de quibus dicitur: "In nomine meo demonia eicient," [Marc. 16:17] et quibus dicitur: "Deus autem pacis conteret Sathan sub pedibus vestris velociter." [Rom. 16:20]

Sed hoc, ut dictum est, faciunt in nomine Christi, qui per crisolitus bene potest signari. Cum hunc crisolitus, scilicet Christum, lancea /79vb/ perforatum, et setis asini, hoc est verbum doctrine apostolice, traiecit, deferunt in brachio sinistro, hoc est in potestate et voluntate tollendi malum a proximo. Per asinos namque plerumque doctores signantur, ut in libro Iudicum 5, in cantico Delbore, ubi dicitur: "Benedicite Domino, qui ascenditis super nitentes asinos, et sedetis super in iudicio, et ambulatis in via." [Iud. 5:10] Brachium autem dextram est voluntas et vis faciendi bonum; brachium sinistram voluntas et vis auferendi malum. Hunc quoque lapidem bene gignit Ethiopia, quia hos tales facit veri solis appropinquatio hos decolores reddit exterius et quasi nigros tribulacionis adustio. Unde horum tipo dicit sponsa: "Nigra sum sed formosa," [Cant. 1:4] et post: "Nolite considerare me, quia fusca sum, decoloravit enim me sol." [Cant. 1:5]

Super horum capita bis transit sol in una operis peryodo, quasi in uno anno circulo, quia in quolibet opere consideratur ex mentis puritate quod intencio sit recta et sciencia vera, ut nusquam sit umbra obfuscans erroris, nusquam obscuritas distorte intencionis, sicut ibi cum sol iminet capiti, nulle sunt umbre.

Hiis eciam, sicut Ethiopibus, nil celi latet, quia hiis per intensam caritatem totum quod continet scriptura patet. Sicut enim dicit Augustinus: "Divinarum scripturarum multiplicem habundanciam, latissimamque doctrinam, sine ullo errore apprehendit, et sine ullo labore custodit, cuius cor est plenum caritate, testante Apostolo: 'Plenitudo legis est caritas'." [Rom. 3:10] [Augustinus, Sermo 350 (PL 39.1533)]

[Berillus septimus lapis MS ( add in marg.)]

"Berillus in India [Iudea MS] gignitur, in viriditate similis smaragdo, sed cum pallore. Politur ab Indis in sexangulas formas, ut ebetudo colorum repercussione angulorum excitetur; aliter politus non habet fulgorem. Genera eius novem." [Isidorus, Etymol. 16, 7, 5]

Est itaque quoddam genus Berilli "quasi consideres aquam solis fulgore percussam, rubicundum aut decorum reddere colorem. Sed, ut dictum est, non fulget nisi poliendo figuretur in formam sexangulam." [Beda, Explanatio Apoc., 3, 21] Dicitur quoque manum tenentis adurere, eximii sunt oleo, similes limphe ve marine. Sculptur in eo locusta marina, gestat amorem coniugii, ad oculorum vicia facit et ad omnem valitudinem /80ra/ Si aquam in qua missus est potui dederis, ructus et suspirium et epatis dolorem curat.

Hic lapis, secundum quod duos habet colores, viriditatem scilicet cum pallore, signat eorum vitam qui eternorum contemplacionem bonorum ad tempus adherent, et iterum cura fraterne administracionis, quasi ad pallorem redeunt, dum exteriora per activam vitam fratribus administrare student, et qui paulo ante fuerant virides in Dei contemplacione pallescunt iterum in temporalium rerum ad administracione per humilitatis officium.

Moyes in monte cum Domino habuit virorem; de monte descendens vergebat ad pallorem. [? cf. Ex. 19; 34:29-30, etc.] Et Paulus ait: "Sive mente excedimus Deo," ecce viror, "sive sobrii sumus vobis," ecce pallor. [2 Cor. 5:13]

Vel viror est in eternorum contemplacione, pallor in carnis per ieiunium maceracione. Pallor autem ieiunii comes est; unde poeta, famem describens, ait: "Pallor in ore sedet." [Ovid, Metamorphoses 2, 775] Et hic pallor signum est vere amancium, ut hiis posset comode aptari, quod idem poeta fatue amantibus coaptant dicens: "Palleat omnis amans: hic est color aptus amandi." [Ovidus, Ars amatoriae 1, 729]

Secundum hoc vero quod lapis iste est quasi consideres aquam solis fulgore percussam, rubicundum et decorum reddere colorem, signat homines ingenio quidem sagaces, sed amplius superne gratie lumine resplendentes. Namque aqua sensus altitudinem designet. Salomon testis est, qui ait: "Aqua profunda verba ex ore viri." [Prov. 18:4] Sed non est perfecti fulgoris, vel humana vel etiam divina sapientia, nisi operum quoque consummatio subnectatur. Nam senario numero sepe perfectio actionis designatur, maxime cum in hoc numero sit opus mundi consummatum. [Beda, Explanatio Apoc., 3, 21]

Quod tenentis manum adurere dicitur, proculdubio patet quod quisquis sancto viro coniungitur eius nimirum conversacionis igne recreatur. [Beda, Explanatio Apoc., 3, 21]

Quod vero repercussum rubicundum reddit colorem, signat quod luce sapientie repercussus in perfecta operatione depromit in se fervorem ardoris caritatis, et etiam moriendi pro Christo desiderium.

Eximii autem sunt oleo similes. Hoc est qui in operum perfectione manifeste pandunt affectum misericordie.

Per locustum, que super crura /80rb/ posteriora innitens velocem in altum facit saltum sed cito decidit, signari potest elevacio in altum per nisum. Super hec temporalia posteriora cito decidit.

In berillo itaque sculptur locusta quando in iugi memoria eorum qui resplendent tanquam berillus superna gracia describitur quod "gloria inpii stercus et vermis; hodie extollitur et cras non invenietur." [1 Mach. 2:62] In quibus describitur et illud Iob 21: "Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt." [Iob 21:13] Et illud Isaie 30: "Pro eo quod exprobrastis verbum hoc, et sperastis in calumpniam et tumultum, et innixi estis super eo, propterea erit vobis iniquitas hec sicut interruptio cadens, et requisita in muro excelso, quoniam subito, dum speratur non, veniet contritio eius, et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contricione prevalida, et non invenietur de fragmentis eius testa in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur aque parum de fovea." [Is. 30:12-14] Hoc est itaque locusta per nisum super terrena elacio cito decidua, que bene dicitur marina, quia variis amaritudinibus respersa.

Item signati per hunc lapidem quid conferunt nisi amorem coniugii. Ad hoc enim laborant ut sponsa "sine macula et ruga" [cf. Eph. 5:27] casto et indissolubili amore sponso copuletur. Hoc expressit Paulus, qui fuit unus de hiis lapidibus, cum dixit: "Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo." [2 Cor. 11:2]

Patet etiam quod hiis lapidibus spiritualibus curantur oculi spirituale vel vicia, et omnis valitudo spiritualis conferatur. Hii mittuntur in aquam cum opera sua suam imitantur doctrinam. Hii petantur in aqua missi cum eos concorditer doctrine sue operantes imitantur alii. Et inde sanatur memoria, unde solet esse ructus verbi insipidi et fetidi; et voluntas, unde solet esse suspirium mali desiderii; et sanatur dolor epatis, unde solet sumere alimentum et augmentum corpus peccati.

[Topacius octavus lapis MS ( add in marg.)]

"Topacius ex virente genere est omnique colore resplendens." [Isidorus, Etymol. 16, 7, 9] Habet enim in se omnium lapidum colores. Unde secundum quosdam et nomen accipit, quia "pan" Grece, Latine /80va/ "omne" dicitur.

"Hec gemma inventa est primum in Arabie insula, in qua Trogodite predones fame et tempestate fessi cum herbrum radices foderent, eruerunt. Que insula postea quesita nebulis cooperta tandem a navigantibus inventa. Et ex hac causa, secundum quosdam, locus et gemma nomen accepit; nam 'topasim' Trogoditarum lingua signacionem habet querentis." [Isidorus, Etymol. 16, 7, 9]

"Hec est autem amplissima geminarum; eadem sola nobilium limam sentire videtur," [Isidorus, Etymol. 16, 7, 9] "quia si pollire velis, obscuras, si nature proprie relinquis, irradiat." [Beda, Explanatio Apoc., 3, 21]

Hic lapis quam rarus est invencione tantum mercium quantitate preciosius est.

“Hic lapis duos habet colores, unum auri purissimi, alterum etherea claritate relucentem; pinguedoque rosea, verecundaque puritas, vicinusque lapidi crisoprasso magnitudine et colore, quia maxime lampas [? limpat MS] cum solis splendore percutitur, omnium gemmarum superans preciosissimas claritates, in aspectum suum singulariter provocans oculorum cupidissimam voluptatem.” [Beda, Explanatio Apoc., 3, 21]

“Hic [Hec MS] regibus ipsis fertur esse mirabilis, ut inter divicias suas nichil se simile possidere cognoscant.” [Beda, Explanatio Apoc., 3, 21] Auxiliatur emoroicis, et ferventes undas compescit.

“Huius lapidis nature pulcherima qualitas contemplative vite decori dignissime comparatur. Hanc enim reges sancti, quorum cor est in manu Dei, cunctis bonorum operum diviciis, universisque virtutum gemmis, merito proferunt, in eam maxime sue pure mentis intuitum, aciemque dirigentes, tanto ardentius celestis vite dulcedinem animo complectentes, quanto frequencius fuerint superne gracie repercussi fulgore. Habent igitur sancti viri aureum colorem ex interna flamma caritatis. Habent et ethereum ex superne contemplationis dulcedine. Qui sepe presentis seculi turbine velud lime attritu vilescit. Non enim facile potest animus uno eodemque momento terrenis laboribus, erumpnis, curis, et doloribus /80vb/ angi, et illa celestis vite gaudia tranquille mentis statu delectatus intueri. Quin pocius ingemiscendo proclamat: ‘Turbatus est pre ira oculus meus; inveteravi inter omnes inimicos meos.’” [cf. Ps. 6:8] [Beda, Explanatio Apoc., 3, 21]

“Quod vero in insula Egipti eiusdem nominis reperitur, dupliciter intelligendum est, quia et ille precipue, id est Egipciorum regiones, monachorum gregibus habundant, et quicumque soli iusticie vicinus habitaverit, etherei nimirum luminis fulgore coloretur. Et pulcre, sicut in octavo ordine active vite perfectio, sic in nono speculative suavitatis gemma ponitur. Sive quia novem ordines angelorum, quorum vitam imitantur, in scriptura sacra reperiantur, sive quia a perfecte beatitudinis denario uno tantum, ut ita dicam, gradu mortis abest. Cui summo desiderio propheta suspirans ait: ‘Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion,’ [Ps. 118:127] id est super omnem probate actionis claritatem, superque omnem que in hoc seculo fieri potest, contemplativi gaudii sublimitatem, dulcissimo mandatorum tuorum delectabar amore. Quorum primum est et maximum, ‘Diliges Dominum Deum tuum,’ etc., [Mt. 22:37-38, etc.] quod non nisi in illo celestis regni culmine ad integrum perfici posse certissimum est.” [Beda, Explanatio Apoc., 3, 21]

Patet quoque quod viret contemplacio, quia plantatur precipue in contemplativorum amore ille qui est “flos campi et lilium convallium,” [Cant. 2:1] in quo et ipsi germinant sicut lilium, et florent in eternum ante Dominum. [cf. Amos 14:16 et Ps. 91:14]

Habet omnium lapidum colores, quia etiam omnium activorum vita in contemplativorum vis speculative descripta est. Hec enim eorum vis de regulis eternis in mente Dei primo haurit regulas recte vivendi non solum ad Deum, sed etiam, “in medio huius nacionis prave,” [Phil. 4:15] ad proximum.

Hii bene dicuntur a “pan,” quod est “omne,” quia ipsi sunt “nichil habentes et omnia possidentes.” [2 Cor. 6:10]

Hec autem a predonibus primo est reperta. Et qui sunt hii predones nisi de quibus dicitur: “Regnum celorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.” [Mt. 11:12] Fessi fame, cum /81ra/ filio prodigo et turbine tempestatis molestiarum huius vite actuose et laboriose radices effodiunt herbarum, quia ad initium nituntur attingere virtutum ut eo pasci famem pellant. Virtutum autem radices sunt in ipso Deo virtutes exemplares, quas radices magna perscrutatione effodiunt ipsi contemplativi, ut illis radicibus nutriantur.

Locus autem contemplacionis est insula, quia amaritudinibus huius mundi undique pellitur, sed tamen non quatitur. Nebulis est cooperta, quia Dominus dixit, 3 Regum 8: [Regum 38 MS] “Ut inhabitaret in nebula,” [3 Reg. 8:12] et Ezechielis 10: “Nubes replevit atrium interius,” [Ez. 10:3] quia adhuc mentes contemplativorum vident in enigmate, et non per speciem. [cf. 1 Cor. 13:12] Vel nebula dicitur ipsa lux inaccessibilis, nondum limpide ab oculis mortalium visibilis, que proximo

operit contemplativos, “absconditos in abscondito faciei eius a conturbacione hominum.” [Ps. 30:21] Sicut enim ait Crisostomus: “Omnem sensum et intellectum superat Deus, cuius lux per excellenciam tenebre nominatur, quoniam a nulla creatura quid vel qualis sit comprehenditur.” [Chrysostomus ... ]

Locum tamen hac nebula opertum inveniunt navigantes, id est qui navem ligni crucis conscendentes mare huius mundi pertranserunt. Et bene hic locus a quesicione inveniende quod queritur nuncupatur. In omnibus autem quies queritur, et hoc solum invenitur. “In omnibus,” enim ait, “requiem quesivi, et in hereditate Domini morabor.” [Eccus. 24:11]

Hec est gemmarum amplissima, quia caritati latissima nullaque actionum comprimitur angustia. Hec quoque manifeste omnium gemmarum superat claritates. Hec enim est limpiditas oculorum Rachelis, “que erat decora facie et venusta aspectu.” [Gen. 29:17] Hec sistit fluxum sanguinis per posteriora fluentem, quia omnem iocunditatem per exteriores corporis sensus adhuc infima manantem stringit, dicens: “Michi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi,” [Gal. 6:14] et cum propheta: “Non gloriatur sapiens in sapientia sua, et non gloriatur fortis in fortitudine sua, et non gloriatur dives in divitiis suis, sed in hoc gloriatur qui gloriatur scire et nosce me.” [Ier. 9:23-24] /81rb/ Hec comescit undas ferventes, quia omnes ardores carnis concupiscentis refrigerat.

[Crisoprassus decimus lapis MS (add in marg.)]

Crisoprassus viridis est colore, porri sucum [suctum MS] referens, aureis intervenientibus guttis, unde etiam nomen accepit, quoddam etiam purpureum iubar trahens. [cf. Isidorus, Etymol., 16, 7, 7; Beda, Explanatio Apoc., 3:21] “Nascitur autem in India,” et, ut ait Beda, “signat eos qui viriditatem eterne patrie, perfecte caritatis fulgore promerentes, eam etiam ceteris purpurea martirii sui luce patefaciunt, qui, quoniam in eo quod presentem vitam despiciunt, et Domini in carne apparentis exempla sequuntur, iam velud in India, id est prope solis ortum, [occasum MS] meritorum suorum fulgur ostendunt, regique suo, cui nunc compaciuntur, tunc conregnare desiderantes expectant, iure in decimo loco sunt positi. Per denarium, enim, quo dominice vinee cultores remunerantur, eterni regis percipienda ymago figuratur, ubi quod in nono gradu non poterat, perfecta dilectione Dei et proximi per omnia decalogus implebitur.” [Beda, Explanatio Apoc., 3, 21]

[Iacinctus undecimus lapis MS (add in marg.)]

“Iacinctus ex nominis sui flore vocatur. Hic in Ethiopia invenitur, ceruleum colorem habens. Optimus, qui nec rarus est nec densitate obtusus, sed ex utroque temperamento lucet, purpuraque refulgens. Hic autem non rutulatur aequaliter, sed cum celi facie mutantur. Sereno, enim, perspicuus atque gratus est, nubulo coram oculis evanescit atque marcessit, in os missus frigidus est, in sculpturis durissimus, non tamen invictus, nam adamante inscribitur et signatur.” [Isidorus, Etym. 16, 9, 3; cf. Beda, Explanatio Apoc., 3, 21]

“Hic lapis signat animas celesti semper intencioni deditas, atque angelice quodammodo, quantum mortalibus fas est, conversacioni appropinquantes.” [Beda, Explanatio Apoc., 3:21] Ethiopia namque propinquantem habet ad viam solis et syderum ortum directum. “Istis omni custodia discretionis [directionis MS] cor servare precipitur, ne vel nimia sensus subtilitate calentes, alciora se querere et forciora se scrutari audeant. Gloria enim Domini celare verbum, id est caute de Deo vel homine Christo philosophari, vel rursus desidia torpente ad infima fidei incipit atque elementa exordii sermonum Dei relabantur. Quin potius via regia gradientes, a dexteris et sinistris per arma iusticie tutati procedunt, apta/81va/que temporis observancia cum celo faciem mutantem, suis inspectoribus dicunt: ‘Sive enim mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis.’” [2 Cor. 5:13] [Beda, Explanatio Apoc., 3:21]

“Quasi enim iacinctus nubulo circumdatus locus, Apostolus dicitur: ‘Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris.’ [2 Cor. 6:12] Et iterum: ‘Nichil iudicavi me scire inter

vos nisi Iesum Christum et hunc crucifixum.’ [1 Cor. 2:2] Et quasi in serena luce visus, ait: ‘Sapientiam autem loquimur inter perfectos.’ [1 Cor. 2:6] [Beda, Explanatio Apoc., 3:21]

Item: “Gaudens cum gaudentibus et flens cum flentibus,” [Rom. 12:15] “omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret, [1 Cor. 9:22] quasi cum celi facie mutatus est. Hii voantur ex nomine illius qui dicit: “Ego flos campi, et liliū convallium,” [Cant. 2:1] dum, renovati spiritu mentis sue, [cf. Eph. 4:23] germinant sicut liliū et floreunt in eternum ante Dominum, [cf. Amos 14:16 et Ps. 91:14] quibus et dicitur: “Florete flores sicut liliū.” [Ecclus. 39:19]

In os missi frigidi sunt per effectum, quia talium exempla in ore predicatorum nobis proposita ardorem viciorum in nobis extinguunt. Hii tales non de facili inscribuntur, quia “non circumferuntur omni vento doctrine,” [Eph. 4:14] nec alia doctrina eorum affectus inscribit nisi solius Christi, qui lapide adamantino signatur.

[Amastistus duodecimus lapis MS (add in marg.)]

Amastistus Indicus inter purpureas gemmas principatum tenet, nam est alterum genus eius descendens ad iacinctos, [Isidorus, Etymol. 16, 9, 1] quod genus velud marcidius evanescit, a roseo sive meri rubore in album declinans, sicut rubor vini corruptus aqua.

Eius autem primum genus est purpureum permixtum violacio colore, et quasi roseo nitore quasdam leniter flamulas fundens. Sed et quiddam in purpura ipsius non ex toto igneum, sed quasi vinum rubeus apparet. Est autem sculpturis facilis. [cf. Isidorus, Etymol. 16, 9, 1]

Contrarius ebrietati igitur ut Beda ait: “purpureus decor celestis regni habitum, roseus vero atque violacius, humilem sanctorum verecundiam, preciosamque mortem signat. Quorum videlicet mens principaliter in summis erigitur, etiam cum exterius perpeti abiecta cernuntur, Dominici semper inter adversa memores promissi: ‘Noli timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.’ [Luc. 12:32] Quique flammam caritatis non ad se tantum invicem, sed ad ipsos persecutores spargentes, positos genibus implorant: ‘Domine, ne statuas illis hoc peccatum,’ [Act. 7:59] atque inter calicem passionis bibendum, illius pocus vini quod letificat cor hominis, iugi recordatione debriantur, quod Dominus se novum cum discipulis suis in regno /81vb/ Patris sui bibiturum esse promisit.” [Beda, Explanatio Apoc., 3, 21]

Est autem sculpturis facilis, quia doctrina sapientie Dei per aspectum in affectum penetrantis mens talium facile inscribitur. Debet enim cor nostrum carneum esse quo ad sensum et facilem receptionem inscriptionis doctrine Dei, et debet esse lapideum quo ad retentionem eiusdem inscriptionis et quo ad resistenciam insculpcioni ab aliena et non sana doctrina.

Hii autem tales contrarii sunt ebrietati de quo dicit Apostolus: “Nolite inebriari vino in quo est luxuria.” [Eph. 5:18]

“In iaspide, vero, fidei viriditas, in saphiro spei celestis altitudo, in calcedone flamma caritatis interne figuratur. In smaragdo autem eiusdem fidei fortis inter adversa confessio, in sardonice sanctorum inter virtutes humilitas, in sardio reverendus martirorum cruor exprimitur. In crisolito vero spiritualis inter miracula predicacio, in berillo predicatorum operacio, in topazio eorundem ardens contemplacio monstratur. Porro in crisoprasso beatorum matrirorum opus pariter et premium, in iacincto doctorum celestis ad alta sublevacio et propter infirmos humilis ad humana descensio, in amatisto celestis semper regni in humilium animo memoria designatur.” [Beda, Explanatio Apoc., 3, 21]

Dictum 101

Sermo ad pastores de hoc verbo, “Ego sum pastor bonus”

Filius Dei volens ostendere ad quid in carnem venerit, et ad quid nos prelatos plebi sue prefecerit, ait: “Ego sum pastor bonus.” [Ioan. 10:11]

Ad hoc enim venit in carnem ut nos oves pascue eius pasceret herbis seminalibus doctrine scripture sacre; ut nos pasceret floribus specierum creature; ut nos pasceret exemplorum fruge; ut nos pasceret carnis sue lacte; ut nos pasceret divinitatis soliditate. Et ad hoc prefecit prelatos simplici plebi sue velud gregi ovium ut similiter pascant gregem Domini moralibus preceptis scripture, moralibusque institutis assumptis ex similitudinibus cum speciebus creatura, quia omnis creature species habet aliquod exemplar honesti et invisibilia Dei per ea que facta sunt intellecta conspiciuntur. Item, ut pascant gregem operum fruge exemplari; ut pascant sacramentum corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi administrando, ut pascant eciam visionem divinitatis per speciem promittendo.

Unde patet quod quinquefaria est pascua gregis Domini. Prima pascua gregis est ager scripture, /82ra/ in quo agro singula precepta moralia sunt sicut singule herbe virides et seminales quas oves plebium simplicium prelatorum expositione intelligendo velud deglutunt et in ventrem memorie trahunt, et recordando ruminant, et amando sibi incorporant. De quo agro dicitur, "Simile est regnum celorum thesauro abscondito in agro," [Mt. 13:44] quia in latitudine scripture sub sensu historici superficie latet thesaurus desiderabilis spiritualis intelligencie.

Secunda pascua est ager latitudinis creature, in quo agro singularum specierum pulcritudines sunt sicut flores singuli quibus pascuntur plebium greges cum pastorum doctrina et eruditione ex similitudinibus specierum creature informantur aliqua morum honestate.

Tertia pascua est ipsius prelati respectu plebium simplicium vita et conversatio bona secundum exemplum eiusdem, et Christus homo respectu prelatorum, quia prelatorum imitatores sunt plebes sicut ipsi prelati Christi, secundum vocem Pauli, dicentis, "Imitatores mei estote sicut et ego Christi." [1 Cor. 4:16] In hoc agro de semine verbi erumpunt fruges bonorum operum, quorum exemplo pascuntur subditi velud quadam fruge sicut prelati pascuntur fruge exemplorum Christi. De hoc agro dicit Ysaac, "Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni." [Gen. 27:27] Christi enim bonus odor sumus Deo, aliis vite in vitam, aliis mortis in mortem. Sed quia sumus adhuc agni novelli et tenelli, egemus adhuc lactis confortacione.

Unde quartum quo pascendus est grex Domini verbum est incarnatum. Ipsa enim verbi divinitas, ut docet Augustinus, per carnem assumptam et lactescebat. [Augustinus, Confessionum libri, 7, 18] Hoc autem lacte roboratus grex, et in tribus prescriptis agris pastus, tandem perveniet ad pascuam soliditatis divine visionis, ut dicat cum Psalmista, "Satiabis me cum vultu tuo." [cf. Ps. 15:10] Hec pascua est ager amplissimus, quia magestas divinitatis immensa. In hoc agro est flos inmarcessibilis pulcritudinis universe. Ipse quoque flos est eterna Dei sapiencia, in qua descripta est pulcritudo universa, in qua sunt omnium rerum mortalium et corruptibilium et irrationabilium viventes et eterne rationes. Huius agri flores habent in se robur universe potencie et suaviter universae bonitatis. De huius agri pulcritudine ait Psalmista, "Et pulcritudo agri mecum est." [Ps. 49:11] Ab eo igitur quod in hiis /82rb/ quinque pascuis gregem Domini pascimus, in nostro capite pastore Christo pastores sumus. Ymmo magis, omnes in illo unus pastor sumus, sicut omnes fideles in illo cum illo sunt unus Christus.

Nostrum itaque pastorale officium in primis potest divisione senaria partiri. Prima namque pars officii pastoralis est ut intret per ostium, quia: "Qui intrat per ostium, hic pastor est ovium." [Ioan. 10:2] Secunda est pars, ut efficiat oves vocem suam audire. Tercia, ut vocet illas nominatim. Quarta, ut educat illas. Quinta, ut ante eductas, vadat. Sexta et maxima, ut pro ovibus suis animam suam ponat. [quia maiorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (Ioan. 15:13). add. Brown]

Primum namque in officio constituto pastorali verbum Christi, sive verbum Christum, debet predicare, et per Christum predicatum quasi per ostium (ipse est enim ostium) in mentes subditorum velud in ovile intrare. Cogitacio enim et voluntas loquentis in verbo et per verbum ipsius loquentis defertur ad aures auditoris, et per aures intrat in auditorum intelligenciam, et ab intelligencia transit in memoriam, et memoria reconditum amplexatur per amorem. Et ita cogitata

voluntas loquentis intrat per verbum medium in consensum audientis, et ita quodammodo ipse loquens per medium verbum intrat in audientes. Unde si verbum sit persuasorium superbie vel invidie, avaricie vel luxurie, vel alicuius inmundicie, intrat loquens in audientes non per ostium humile sed per elatam maceriam superbie, ruiturus in ignem et in ymum iehenne. Si autem verbum sit persuasorium veritatis fidei et honestatis morum, cum hec in Christo sint per verbum Christum in verbo preloquuto, velud per ostium humile intrat pastor in ovile. Per hoc ostium intravit qui dicit, “Nichil iudicavi me scire inter vos nisi Iesum, et hunc crucifixum.” [1 Cor. 2:2] Per hoc itaque ostium, hoc est per Christum predicatum, debent pastores intrare in ovile ovium. Et si recordentur quid sunt, non debent aliud loqui quam Christum. Ipsi enim pastores os Dei Patris sunt, dicente Ieremia, “Si quis seperaverit preciosum a vili, quasi os meum erit.” [Ier. 15:19] Sed os Patris quid loquetur nisi verbum Patris, hoc est Christum, qui est Dei verbum? Absit ut os Dei Patris loquatur opera hominum, aut opera patris diaboli, sed ut ait Psalmista, “Os meum loquetur sapienciam.” [Ps. 48:4] Et in Ysaia ex persona Patris dicitur, “Egredietur de ore meo iusticie verbum.” [Is. 45:23]

Primo itaque, ut dictum est, pastor intret per Christum /82va/ predicatum. Nec est contrarium illi quod alibi dictum est, “Cepit Iesus facere et docere,” [Act. 1,1] quasi ibi preordinetur opus doctrine, et hic econtrario doctrina operi, quia et hic preordinatur opus doctrine. Talis enim debet in pastorem assumi qui prius probatus sit vite sanctitate ut opera quibus probatus est antequam constituatur pastor, probent verba que statim loquitur cum fit pastor. Unde ad Timotheum, primo, “Oportet episcopum irreprehensibilem esse,” etc. [1 Tim. 3:2] Ad Titum, “Oportet episcopum sine crimine esse,” etc. [Tit. 1:7]

Cum itaque prima pars officii pastoralis sit per Christum predicatum intrare, congrue secunda pars est ut, quantum in se est, vocem predicatam faciat oves audire, quia predicationem sequi debet audicio. Audient autem si habeant aures perfectos. Est autem auris perfecta cum verbi sonantis in aure corporis significacio hauritur ab intelligencia, et intellecta reponitur in memoria, et memoria imprimitur in affectum beneplaciti, ut sit memoria mandatorum Dei ad faciendum ea. De hiis auribus dicitur, “Aures autem perfecisti mihi,” [Ps. 39:7] et “Quibus aures audiendi audiat.” [Mt. 11:15] Si autem desit vel in affectu beneplaciti impressio, vel intellecti memoria, vel auditi aure corporis interior intelligencia, non est auris perfecta et integra set abscisa. Non est autem in loquentis exterius potestate ut veritatem quam loquitur ostendat audientis intelligencie, vel infigat memorie, vel imprimat affectui. “Unus enim est magister, Christus,” [Mt. 23:8] qui hec operatur interius. Quomodo igitur qui loquitur exterius efficit ut vox eius audiatur interius? Forte is est modus, ut oracione moveat interius loquens verbum Christum ad imprimendum interiori auditui quod ipse exterius loquitur auditui exteriori. Cum enim attendit predicator quod sue potestatis non est nisi exterius sonare ad aurem corporis, et ob desiderium inscripcionis eorum que loquitur in aure mentis, gemitibus et oracionibus efficit ut Christus verbum loquatur in aure mentis ut audiat auditor quid in se loquatur Deus, eciam ipse predicator non immerito ob hoc dicitur efficere quod oves eius vocem dicantur audire. Cum enim tria sunt que integrant racionem quam reddaturi sunt pastores pro ovibus, scilicet doctrina sana, lux exemplaris operum, et oracio, “maior hiis,” ut dicit Bernardus, “est oracio.” [Bernardus, Epistola 21, 3; ed. Leclercq and Rochais, 8, 61] Et propter hec tria ter dicitur Petro, “Pasce oves meas.” [Ioan. 21:15-17] Pasce, scilicet verbo, pasce exemplo, pasce oracione. /82vb/

Tercia pars officii pastoralis est ut proprias oves vocet nominatim. Sed eas sic vocare non potest nisi noscat et nomina. Hec autem nomina sunt illa quibus scribuntur in libro vite. Et est cuiusque nomen quo scribitur in libro vite colletio virtutum interiorum quam non est in alio reperire. Propter quam eciam de quovis dici potest, “Non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi.” [Eccus. 44:20] Hec itaque nomina propriam ovium debet pastor agnoscere. Et sunt duo modi veniendi in talium nominum noticiam. Quia sicut medicus agnoscit in cura sua suscepti occulta, partim ex signorum consideracione, partim vero ex ipsius suscepti relacione, sic et pastor, qui idem est medicus animarum susceptarum, in cura sua secreta et occulta debet agnoscere, partim per

signa, partim per relata, maxime in confessione. Debet enim pastor omnia sensibilia opera subditorum suorum diligenter notare, et ex quo affectu procedant prudenter conijcere, [convicere MS] quia sicut ait Salomon, "Quomodo in aquis resplendent vultus prospiciendum, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus." [Prov. 27:19] Et alibi, "Cor hominis immutat faciem illius, sive in bonum, sive in malum." [Eccus. 13:31] Etiam in Ecclesiastico, 19o capitulo, "Ex visu cognoscitur vir, et ab occurso faciei sensatus. Amictus corporis, et risus dencium, et ingressus hominis annunciant de illo." [Eccus. 19:26-27] Ex huiusmodi itaque signis cum hiis que audit ex narratione proprie confessionis, debet pastor animam subditi sui plene agnoscere, ut conveniat illi quod alibi dictum est, "Novit iustus animas iumentorum suorum." [Prov. 12:10] Et sic agnoscens illum secundum propriam nominationem qua scriptus est in libro vite, vocet, id est a torpore excitet, et ad bonorum exercitium stimulet. Hoc est quod post dicitur, "Cognosco oves meas." [Ioan. 10:14] Sed nota quod sequitur, "Et cognoscunt me mee." [Ioan. 10:14] Non enim pastor agnoscat suas per ipsam confessionem nisi et ipse cognoscant pastorem. Cognoscant, inquam, non eius similiter confessionem audiendo, sed ex signis operum cognoscant illum hominem veracem, secretarium fidelem et occultorum ratione nulla revelatorem, miserie agnate compacientem et eiusdem pro viribus relevatorem. Tali namque et vix vel nullo modo alii plene revelant subditi /83ra/ occulta interioris morbi.

Quarta itaque pars pastoralis officii convenienter sequitur, scilicet ut educat eas. Quia postquam noverit eas tam per signa quam illarum propriarum confessionem, consequens est ut confessis et agnitis veram iniungat penitentiam. Ipsa enim penitentie iniunctione quasi eas educit de vinculis et de carcere. Penitentia namque cathenam peccati rumpit, quia peccati cathena quasi quibusdam ansulis consequenter innexis hoc modo conficitur: De voluntate perversa nascitur libido. De libidine, mali operis frequentatio. De opere, frequentato consuetudo. De consuetudine, necessitas, quibus quasi quibusdam ansulis sibimet innexis confecta cathena stringitur, et dure ligatur anima misera. Penitentie autem partes singule singulas dicte cathene ansulas rumpunt. Quia ansulam perverse voluntatis rumpit odium peccati et dolor et contritio; ansulam libidinis, carnis maceratio; ansulam frequentationis mali operis, operum misericordie frequentatio; consuetudinem, consuetudo; et necessitatem, necessitas. Igitur, ut dictum est, eductio de vinculis est per penitentie iniunctionem. Sed qualiter viam asperam iniuncte penitentie ibunt subditi, nisi per eam in eorum conspectu prius incedant prelati?

Propter hoc consequitur quinta pars pastoralis officii, ut ante oves vadat. Vadat inquam per vias asperas et duras penitentie, et exemplo suo complanet et molliat eas sequenti gregi, faciens quod monet Apostolus, dicens, "Exemplum esto fidelium in verbo, in conversacione, in caritate, in fide, et in castitate." [1 Tim. 4:12]

Post hec sequitur sexta pars, ut animam suam ponat pro ovibus suis. Cum enim pastor sanam doctrinam predicaverit, et ut vox predicacionis sue audiatur, oracionis sue merito effecerit, per signa et confessionem oves suas agnoverit, et per iniunctam penitentiam de cathena peccati eduxerit, et per viam penitentie coram ovibus ierit, quid restat, nisi etiam ut hanc vitam, si opus est, pro ovium salute ponat. Nec debent pastores ad hanc perfectionem esse pigri, quia minima virtus incomparabiliter melior est vita corporali, cum hec vita corporalis non sit nisi vivificatio corporis ab anima. Virtus vero vita est anime a Deo vivificata. Si autem paterfamilias /83rb/ aliquis dedisset pastori suo obolum, ut obolum illum in comodum et honorem domini sui qui tradidit, converteret. Similiter tradidisset pastori illi ovem dilectam servandum, cuius ovis vita incomparabiliter esset melior obolo, accideretque casus quod pastor ille posset, vel racionabiliter crederet se posse, salvare vitam ovis tradite custodie sue per oboli traditi dacionem, nonne infidelissimus esset si obolum pro salute ovis dare denegaret? Preterea, mors corporis pena est culpe, quia Deus mortem non fecit. Sed impii manibus et verbis accersierunt illam. Quia itaque pena culpe solvitur, cum necessitate morbi et senectutis et corrupcionis huius vite mortalis morimur, mortem culpe solvimus. Cur ergo quod necessitate et invite, et ideo cum tristitia, culpe solvitur non solvimus incomparabiliter libencius,



liberi, voluntarii, ac per hoc gaudentes, auctori vite et destructori mortis et culpe? Maxime cum sic ad honorem eius demus vitam corporis corruptibilem per mortem martirii spontaneam, velud obolum plumbeum, recipiemus eandem eciam vitam eiusdem corporis, sed incorruptibilem, velud obolum in nummum mutatum aureum.

Dictum 102

Super hunc versum, “Ab altitudine diei timebo”; qualiter proprietates solis congruunt mystice Iesu Christo

“Ab altitudine diei timebo; ego vero in te sperabo.” [Ps. 55:4]

Dies est sol lucens super terram. Est autem sol alcius, hoc est profundior, et a nobis remotior nocte quam die. Unde ab altitudine diei peccant mali, id est ab elongacione solis, id est Christi, ab eis per terre interposicionem, hoc est per terrenorum amorem. Et bene Christus sol dicitur, quia sol est lux mundi, omnibus stellis, uat creditur, lumen prebens. Medius inter tres superiores et tres planetes inferiores motu suo regulari aliorum motus regulans ipse accedens tribus superioribus cum ipsi soli accedant et apropinquant tres inferiores, numquam in seipso luminis defectum patiens, sed eius lumen alicui aufertur aut per terre interposicionem, aut lune, aut nubis. Magis moratur in signis estivis, minus in yemalibus; a medio signorum cingulo numquam flectitur, cum alii planete evagentur; nec movetur /83va/ motu proprio nisi processive, cum ceteri moveantur quandoque retrograde. Hic motu suo quartas anni effecit, et per participacionem pluviarum est causa temperamenti elementarum et naturarum et composicionis elementarum individuorum. Ipseque est causa calorum universalis qui est in hoc mundo, et ubi non accidit eius calor, utpote in septemtrione, coagulantur ibidem vapores et non elevantur in sublime. Flant in eodem loco semper venti validi, et non componitur aliquid ibi ex animantibus et sementibus. Ipse quoque est qui per calorem suum in locis sibi appropinquantibus attrahit sursum ex aquis marinis partes earum subtiliores et elevat in sublime, ubi congregantur in nubes ymbriferas terram fecundantes. Si autem sol ascenderet in circulum stellarum fixarum, destruerentur elementa et elementata. Et rursus si descenderet ad circulum lune, destruerentur eciam. Item, in locis a quibus multum elongatur sol, multiplicantur nives, et vincit in eis humiditas et frigo, et hominum habitantium in illis laxantur corpora, et fiunt eorum compages occulte, non apparentes pre multitudine carniarum facies eorum rotunde, oculi parvi, capilli leves colores albi, cum rubedine; qualitas animi eorum est ebetudo et abscisio, pietatis paucitas quoque sapientie et multitudo oblivionis.

Sol quoque in die per calorem suum calefacit aierem et reddit eum subtilem et rarum. Eius quoque absencia, aier densatur ita ut pre densitate eius non possunt aliam vivere de nocte nisi essent stelle per lumen suum aierem subtiliantes et per motum calefacientes. Motus quoque omnium animalium cum pervenerit sol ad eorum orizontem dum est ascendens ad medium celum eorum sit in augmentacione et fortitudine. Cum autem declinaverit a medio celo, debilitatur motus eorum atque minuitur usque ad occasum. Cum vero occiderit sol, laxantur corpora ad sompnum. Et hec variacio profectus et defectus et declinacionis manifestior est in quibusdam seminibus et floribus que moventur, crescunt, et proficiunt aperte cum ascensu eius et declinantur cum eius declinacione, et cum sol occideret debilitantur et marcescunt.

Hee solis proprietates aperte congruunt Domino /83vb/ Iesu Christo, qui dicit, “Ego sum lux mundi.” [Ioan. 8:12] Ipse omnibus stellis lumen prebet, quia ipse “est lux vera que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.” [Ioan. 1:9] Homines autem sanctos stellas dicere possumus ex Daniele dicente, “Qui ad iusticiam erudiunt plurimos quasi stelle in perpetuas eternitates.” [Dan. 12:3] Ipse autem medius est, quia secundum hominem mediator Dei et hominum, et ideo bene medius inter tres; tres quia ipse homo inter se Deum et Patrem et Spiritum sanctum, videlicet Trinitatem, se homine superiorem et humanum genus per tres ordines divisum: ante legem, sub

lege, sub gracia; vel in coniungatos, continentes, et virgines; sive inchoantes, proficientes, et perfectos, velud lunam et mercurium, luciferum. Luna enim propter novilunium bene tipus est inchoantium, mercurius propter comitatum solis proficientium, lucifer propter prerogativam luminis perfectorum. Et patet quod Christus secundum hominem ad Trinitatem accedit et appropinquat; nos autem ad illum per morum assimilationem et conformitatem. Eius quoque vita et motus operationum nobis est vivendi et movendi regula, hoc est operandi, quia "qui dicit se in Christo manere, debet, sicut et ipse ambulavit, et ipse ambulare." [1 Ioan. 2:6] "Dominus quoque solus dux noster est." [Deut. 32:12] Ait enim Psalmista, "Deduxisti sicut oves populum tuum." [Ps. 76:21] Numquam in se luminis defectum patitur, sed a nobis lumen eius excluditur, aut per hec terrena et mutabilia amata velud per terram aut lunam interpositas, aut per nubem fantasticarum et pravarum cogitationem, sicut in Sapiencia dicitur, "Perverse cogitationes seperant a Deo." [Sap. 1:3] Et Ieremias ait, "Opposuisti nubem, ne transeat oratio." [Lam. 3:44]

Sol magis moratur in signis estivis et minus in hiemalibus. Signa estiva opera sunt contemplationis, in quibus fervor caritatis ardencior et lux intelligencie clarior. Signa hiemalia opera sunt active vite, in quibus caritas tepidior et lux intelligencie minor. Et bene opera omnia que aliquo modo se offerunt sensui, quia aliud relinquunt intellectum, signa dicuntur quia signum est quod se offert sensui, aliud relinquens intellectui. Opera autem omnia signa sunt cordis interius, et per consequens signa glorie aut pene future, sicut dicitur Ecclesiastico 19, "Ex visu cognoscitur vir, et ab occurso faciei agnoscit sensatus; amictus corporis et risus dencium et ingressus hominis annunciant de eo." [Eccus. 19:26-27] /84ra/ Et ibidem, 13o, "Cor hominis immutat faciem illius sive bona sive in mala." [Eccus. 13:31] Ibidem, 26, "Divitis et pauperis cor bonum, in omni tempore vultus eorum hillares." [Eccus. 26:4] Et in eodem, "Fornicatio mulieris in extollencia oculorum et in palpebris suis agnoscitur." [Eccus. 26:12]

Signa itaque yemalia sunt sex, id est operatio, et quinque que sequuntur operationem. Quia ut ait Bernardus, "Oportet quod opus sit rectum voluntarium, purum, discretum, et firmum: Rectum in intencione, voluntarium ut nec timore nec aliqua fiat coactione, purum ut dum fit aura vanitatis non invalescat, discretum ut ultra modum non tendatur, firmum ut perseveret." [Bernardus, Parabolae 6, 6; ed. 6/2 p. 291]

Estiva signa similiter sunt sex, id est contemplatio, et quinque que eam sequuntur, quorum primum est "consideracio peccatorum et iehenne, secundum contemptus presencium [puercium! MS] et spes futurorum, tercium iudicium et regnum, quartum status corporis post resurrectionem et glorificacio, quintum spiritus humanus et eternitas cum qua uniendus [vivendus MS] est. [Bernardus, Parabolae 6, 6; ed. 6/2 p. 291] In his ego estivis, sol diucius immoratur, quia ex actione activi plerumque cito transeunt ad vitam cotemplativam, ex contemplativa non de facili reditur ad activam.

Sol a medio signorum cingulo nusquam declinat cum omnes alie planete evagentur quia Christus nec in contemplando, nec agendo aliquorsum vel in nummo ad dexteram vel ad sinistram declinavit. "Ipse enim peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius." [1 Petr. 2:22] Et ipse de se dicit, Iohanne 8o, quod "que placita sunt illi," id est Deo Patri, "facio semper." [Ioan. 8:29] Cum econtra, "Omnes iusticie nostre sicut pannus menstruate," [Is. 64:6] et, "Astra non sunt munda in conspectu eius," [Iob 25:5] non est signum aliquod de dictis duodecim in quo nos non declinemus, ille autem in nullo.

Item solis motus semper est processivus cum aliorum sit retrogradus, quia Christi caritas numquam excidit nec in alico tepuit, cum nostra frequenter aut tepiat aut refrigescat. Christi opera non remittebantur aut tardabantur, quia "exultavit ut gigas ad currendum viam," [Ps. 18:6] cum nostra sepe remissa sunt. Nonne ipse retrocesserat cui dicebatur illud Apocalypticum,(?) "Habeo adversum te pauca, quia caritatem tuam primam reliquisti?" [Apoc. 2:4] Item, quid aliud quam procedere monebatur cum subditur, "Memor esto /84rb/ unde excideris, et age penitentiam, et prima opera tua fac." [Apoc. 2:5]

Hic motu suo quartas anni efficit, quia Christus operum suorum exemplo in nobis efficit vernalem temperiem dum temperanciam instruit et nos illa informat, docens verbo et exemplo “quia mitis est et humilis corde.” [Mt. 11:29] Estatem efficit dum ad estus tribulacionum fortiter tollerandos nos animat et erigit, docens nos verbo et exemplo ut non timeamus “illos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.” [Mt. 10:28] Et quid est aliud quam ad estivum ardorem quedam floricio et viror quidem in tribulacione, secundum Apostolus, patientes esse, “non solum autem, sed et gloriari in tribulacionibus”; [Rom. 5:3-4] Gaudere, quia “digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.” [Act. 5:41] Ubertatem autem autumpnalem efficit dum nos per iusticiam unicuique quod suum est reddere constituit. Quid autem aliud est quam autumpnalis ubertas de fruge bonorum operum unicuique quod suum est reddere? Item, feriacionem yemalem in nobis efficit dum inquiete speculationis nos docet prudenciam, regulas scilicet agendorum et omittendorum, secundum quas temperamus cupiditates, erigimus timiditates, et ordinamus ad regiminis acciones, velud si homo in feriacione yemali provideat quid congruat vernali temperiei, quid estivo fervori, quid frugi et ubertati autumpnali.

Hic idem sol, Dominus videlicet Christus, causa est temperamenti elementorum. Sunt autem quattuor elementa naturales quattuor affectiones: Tristicia, que est animi constrictio, velud terra in ymo et medio constricta. Timor, qui est fuga animi, velud aqua que labilis est et fugax. Spes, que est progressio animi, velud ayer in quo primo est levitas sursum tendens. Gaudium, quod est diffusio animi, velud ignis, qui calore suo disgregat et dilatat materiam, congregans illa que sunt unius nature, et segregans illa que sunt diversarum naturarum. Hec temperat cum hec terrena oppositis infundit spiritualibus, utpote cum tristiciam mundi, que mortem operatur, infundit gaudio spirituali, cum sit, ut dicit Apostolus, “quasi tristes, semper autem gaudentes.” [2 Cor. 6:10] Et quod scribitur in Tobia, tercio, “Qui post lacrimacionem et fletum exultacionem /84va/ infundis.” [Tob. 3:22] Similiter intellige de temperamentis ceterorum. Sicut autem elementum magis est nomen materiale, et natura magis nomen formale, sic nomen elementi congrue aptatur ad quattuor dictas affectiones. Sed cum per ordinacionem bonam fiunt virtutes, tunc magis eis nomen nature convenit.

Quomodo autem hec spiritualia elementa transeant in naturas aperit Bernardus, qui cum predictas quattuor affectiones aliis nominat nominibus, hoc modo dicens, “Sunt affectiones quattuor notissime, amor et leticia, timor et tristicia. Absque hiis, humana non subsistit anima. Sed quibusdam sunt in coronam, quibusdam in confusionem. Purgate enim et ordinate gloriosam in corona virtutum reddunt animam, inordinate pro confutione perturbacionum ignominiosam. [per confusionem diectam et ignominiosam = Bernardus] Purgantur autem sic: Si amantur que amanda sunt, si magis amamus que magis amanda, si non amamus que amanda non sunt, sic et de ceteris. Ordinatur autem sic: In inicio timor, deinde leticia, post hanc tristicia, in consummacione amor. Compositio corone talis est: De timore et leticia nascitur prudencia; et est timor causa prudencie, leticia fructus. De leticia et tristicia nascitur temperancia; et est tristicia causa temperencie, leticia fructus. De tristicia et amore nascitur fortitudo; et est tristicia causa fortitudinis, amor fructus. De amore et timore nascitur iusticia; et est timor causa iusticie, amor fructus. Considera ergo quoniam iste affectiones ordinate virtutes sunt, inordinate vicia vel perturbaciones. Si timorem sequitur tristicia, desperacionem superat; si amorem leticia, dissolutionem. Sequitur ergo timorem leticia, quia timor futura timet, leticia de presenti gaudet, prudentis cautele finem leticia possidet. Probat ergo leticia timorem. Probatus timor nichil aliud quam prudencie est. Comitetur tristicia leticiam, quia moderate leta amplectitur qui [quia MS] tristiciam reminiscitur. Temperat ergo tristicia leticiam. Temperata leticia nichil aliud est quam temperancia. Iungatur amor tristicie, quia fortiter tristicia sustinet qui per amorem que sunt amanda desiderat. Confortat igitur amor tristiciam. Confortata tristicia nichil aliud est quam fortitudo. Iungatur timor amori, quia ordinate amandis inheret qui timenda non necgligit. Ordinatur /84vb/ ergo timor amorem. Ordinatus amor nichil aliud est quam iusticia. [Ordinatur amor timorem ... Ordinatus timor ... = Bernardus] Due affectiones, leticia et tristicia, non se extendunt ad alia; in nobis enim letamur, et in nobis tristamur. Amor et timor ad alia

se extendunt. Timor enim est affectio naturalis que nos coniungit superiori per inferiorem partem, et habet se ad solum Deum. Amor affectio est que nos coniungit superiori, pari, inferiori, et equali, et habet se ad Deum et ad proximum. In hiis autem duobus perfecta consistit iusticia: ut timeamus Deum propter potenciam, amemus propter bonitatem, et proximum propter nature societatem.” [Bernardus, Sermones de diversis, 50, 2; ed. 6/1, p. 271]

Est quoque idem sol causa temperamentis compositionis individuorum elementorum. Sunt autem, ut dictum est, elementa ipse affectiones naturales, nature ipse virtutes. Individua autem sunt collectiones naturalium proprietatum que singulis sunt proprie. Hoc enim est individuum aliquod spiritualiter dictum, scilicet collectio virtutum cui collectioni similem. Non est in aliquo reperire propter quam de quolibet bono dici potest. Non est inventus similis illi. Hec collectio et individuatio nomen est secundum quod scribitur in libro vite. De hoc nomine dicitur, “Et vocabo servos meos nomine altero.” [Is. 65:15] Ad istam individuacionem signandum commutata sunt quibusdam sanctis nomina, ut Abram in Abraham, [Gen. 16:5] et Iacob in Israel, [Gen. 32:28] et Symon in Petrum. [Ioan. 1:42]

Hic idem sol causa est calorem universalis qui est in hoc mundo, hoc est caritatis. Ipsa namque caritas calor est universalis, tum quia radix est et formationis virtutum omnium, tum quia naturaliter hoc intendit ut ab omnibus subiectis suis <capacibus> communicetur, tum quia ad omnes se dilatat ut omnes vivificet sicut calor solis. Nichil enim spiritualiter vivit nisi huius caloris vegetacione, sicut nichil vivit naturaliter in mundo sensibili nisi calorem solis vegetacione. Et sicut in luminoso calore solis huius sensibilis sunt simul et universaliter omnium rerum cause que mundi huius sensibilis gibbositas comprehendit, ut ait Crisostomus. [Crisostomus, ???] “Inde namque,” ut idem ait, “forte omnium corporum procedunt. Inde distancium calorem pulcritudo et cera (?) que in sensibili natura predicari possunt, sic in luminoso calore caritatis de vero sole iusticie procedente sunt simul et universaliter. Et inde procedit omnes forme que spiritualiter formosam faciunt /85ra/ animam et omnium spiritualium calorem varia pulcritudo.” [Crisostomus, ???]

Ubi autem non accedit iste calor solis, utpote in septentrione, coagulantur ibidem vapores, et non ascendunt in sublime. Similiter, ubi non accedit calor caritatis a sole iusticie procedens, coagulantur et inspissantur ibi vapores fantasmatum rerum corporalium et infimarum concupiscenciarum, et non ascendunt hec in sublime. Quia non sunt hic fantasmata rerum sublimium, nec ascendunt ad sublimitatem intelligibile in anima, sed describuntur in parte anime inferiori, scilicet in spiritu animalis enim homo hiis vaporibus fantasmatum obnubilatus non percipit ea que sunt spiritus Dei, et cum obnubilacione istorum vaporum fantasmatum videlicet est obscuritas ambiguitatis errorum et ignorancie. Solummodo enim fantasmatum obnubilacio facit in anima ambiguitatis errores et ignorancie obscuritatem, sicut ait Augustinus, “Hinc anime oboritur erroris dedecus, dum rerum sensatarum ymagines discernere a se potest non ut se solam uideat; coheserunt enim mirabiliter glutino amoris, ut dum incorpoream naturam solam nititur cogitare.” [Augustinus, De trinitate 10, 8] Hec ea putat esse sine quibus illa non potest cogitare. Tanta est enim vis amoris ut ea que cum amore diu cogitaverit eis que glutino inheserit, attrahat secum, et cum ad cogitandum incorpoream veritatem redit, et errat mens cum se istis ymaginibus tanto amore coniungit.

Dempto enim fantasmatum nubilo, claresceret pura lux veritatis. Calore autem caritatis multiplicato quo diliguntur incorporalia et eterna solvitur fantasmatum omne nubilum, et erumpit lux intelligibile incorporalium. Ubi autem est talium vaporum coagulacio, flant in eodem loco venti validi temptacionum et iniquitatum, de quibus dicitur in Ysaia 64, “Iniquitates nostre quasi ventus abstulerunt nos.” [Is. 64:6] Et Psalmista, “Tanquam pulvis quem proicit ventus a facie terre.” [Ps. 1:4] “Is est ventus vehemens qui irruens a regione deserti concutit quattuor angulos domus,” Iob, primo. [Iob 1:19] In tali loco non componitur aliquid ex animantibus habentibus sensum spiritualem, nec aliud ex semenibus crescentibus in virtutum frugem. /85rb/

Quomodo autem sol in locis ubi appropinquat attrahit ex aquis marinis partes partes subtiliores, et elevat eas in sublime, et congregat in nubes ymbriferas terram fecundantes, satis dictum est, mystice, ubi exposuimus quomodo predicatorum sunt nubes. [cf. Dictum 78]

Item, si sol ascenderet ad circulum stellarum fixarum, et rursus si descenderet ad circulum lune, destruerentur elementa et elementata, quia si Christus esset solum spiritualis nature sicut sunt angeli, vel esset solum humane nature, destruerentur omnes compositiones spiritualis ex virtutibus quattuor. Sed ipse est "supra lunam" quia supra humanam mutabilem naturam per naturam divinitatis, et "sub stellis fixis" quia sub natura spirituali per naturam humanitatis. "Minorasti eum," enim ait Psalmista, "paulo minus ab angelis," [Ps. 8:6] existens mediator Dei et homini, consilians terrena celestibus, sicut sol est medius planetarum.

Que autem sequuntur de proprietatibus solis ita patenter congruunt proprietatibus solis spiritualis quod exponere non egent. Ubi namque est solis iusticie elongacio, ac per hoc fervoris caritatis privacio, est multiplicacio dealbacionis ypocriseos velud nivis. Vincit enim ibi fluctivaga et humida concupiscencia. Frigus quoque infidelitatis et habundante iniquitate refrigescit caritas multorum. [cf. Mt. 24:12] Laxantur ibidem corpora hominum ad luxuriam et gulam et ceteras mollicies, nec sunt ibi compages mutue dilectionis manifeste, sed sunt occulte, quia "sunt homines seipsos amantes." [2 Tim. 3:2] Et hoc pre multitudine carnum, hoc est carnalium affectionum. Facies talium rotunde per volubilitatem inconstancie. Oculi intelligencie parvi propter multitudinem carnum circumstancium, hoc est carnalium affectionum in superfluis que possident. Levitatem molliciei appetunt. Qualitas animi talium manifesta est ebetudo ad intelligendum scienciam Domini, et pietatis abscisio, sapiencie parvitas et oblivionis multitudo.

Dictum 103

De bono iudice

"Recte iudicate, filii hominum." [Ps. 57:2]

Si vis recte iudicare, primo considera quod non hominis sed Dei exerces iudicium, et quod quicquid iudices in te redundabit, et sic a deviacione te cohibeat timor, et in recto processu te iuvet diligencia. Non te flectat /85va/ personarum acceptio vel muneris cupido. Unde in Paralipomenon 19o, de Iosephat, qui constituens iudices terre, precipiens, ait, "Videte quid facietis. Non enim hominis exerces iudicium sed Dei. Quodcumque iudicaveritis in vos resdudabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligencia cuncta facite. Non enim est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum." [2 Paralip. 19:6-7]

Item, oportet iudices esse electos, potentes et sapientes et nobiles et gnaros et probate conversacionis, in quibus sit amor veritatis, non magni acceptacio, nec parvi contemptus. Unde in Exodo 18o dicitur Moysi, "Elige de omni plebe viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui odering avariciam." [Ex. 18:21] Etiam in Deuteronomio primo, "Date ex vobis viros sapientes et gnaros, et quorum conversacio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes." [Deut. 1:13] Et post, "Tulique de tribubus vestris viros sapientes et nobiles, et constitui eos principes." [Deut. 1:15] Et post, "Audite illos, et quod iustum est iudicate, sive civis sit iste sive peregrinus. Nulla erit distancia personarum; ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cuiusque personam, quia Dei est iudicium." [Deut. 1:16-17]

Item, oportet iudices palam et prompte offerre se conquerentibus et iusticiam petentibus, nec solum quod iustum est, sed iuste exequi. Unde in deuteronomio 16o, "Iudices et magistros constitues in omnibus portis tuis, ut iudicent populum recto iudicio; nec in alteram partem declinent, nec accipies personam, nec munera, quia munera excecant oculos sapientum et mutant verba iustorum. Iuste quod iustum est prosequeris." [Deut. 16:18-20] At forte dices quod licet accipere

exennia, esculentum et poculentum. Audi quid dicitur in Ecclesiastico, "Exennia et dona excecant oculos iudicum, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum." [Eccus. 20:31]

Item, oportet bonum iudicem virtute iniquitates irrumpere, et faciem potentis non extimescere. Unde in Ecclesiastico 7, "Noli querere fieri iudex nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne forte extimescas a facie potentis, et ponas scandalum in agilitate [equitate = Eccus.] tua." [Eccus. 7:6]

Item, eo artius oportet iudicem ordinatum /85vb/ esse secundum regimen et formam sapientie, quod ad exemplum eius ministri et subditi informantur. Unde in Ecclesiastico 10, "Iudex sapiens iudicabit populum suum, et principatus sensati stabilis erit. Secundum iudicem populi, sic et ministri eius, et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea." [Eccus. 10:1-2] Propter hoc oportet ut conversatio et habitatio iudicis sit in excelso sapientie. Unde legitur de [in MS] Samuele in primo Regum 7, quod domus erat in Ramatha, qui sonat in celsitudine, et quod ibi iudicabit Israelem. [1 Sam. 7:17] Propter hoc necessarium est ut cor iudicis erigatur ad sapientie regulam. Unde Sapientia 9, "Constituisti hominem sapientia tua, ut disponat orbem terrarum in equitate et iusticie, et in direccione cordis iudicium iudicet." [Sap. 9:2-3] Ysaia 42, "In veritate ducet iudicium." [Is. 42:3] Item, Isaia 28, "Ponam iudicium in pondere, et iusticiam in mensura." [Is. 28:17]

Item, oportet iudicem iustos absolvere, reos condemnare, penas culpulis comproporcionare et equalibrare. Unde in Esdre 7o, "Tu autem, Esdras, secundum sapientiam Domini tui, que est in manu tua, constitues iudices et presides, ut iudicent omni populo, hiis videlicet qui noverunt legem Dei tui. Sed et imperitos docete libere. Et in omnes qui non fecerunt legem Dei tui et legem regis diligenter, iudicium erit de eo, sive in mortem, sive in exilium, sive in condempnationem substance sue, sive in carcerem." [1 Esd. 7:25-26] Et in Deuteronomio 25: "Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint iudices, quod iustum esse perspexerint, illi iusticie palmam dabunt, quem impium condempnabunt reum impietatis. Sin autem eum qui peccavit dignum viderint plagis prosternent, et coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit et plagarum modus." [Deut. 25:1-2]

Oportet ergo iudicem libenter eruditionum suscipere et sapientie studere. Unde Psalmista, "Erudimini qui iudicatis terram." [Ps. 2:10] Et paulo post, "Apprehendite disciplinam," etc. [Ps. 2:12] Boecius ait, "Platonis ore sanctitum est, beatas fore res publicas si eas vel studiosi regerent vel earum rectores studere sapientie contigisset." [Boethius, Philosophiae consolatio, 1, pr. 4] Fortem in iudicii executione, patientem in adversitate quam maxime suscitant iuste condempnati et eorum complices, ad exemplum Dei iudicis de quo dicitur, "Deus iudex /86ra/ iustus, fortis, et pociens." [Ps. 7:12]

Item oportet iudicem semper habere pre oculis Deum iudicem, ut sic iudicet aliis sicut vult et expectat ab eo iudicari. Unde in Psalmo, "De vultu tuo iudicium meum prodeat." [Ps. 16:2] Et Apocalypsi, primo, "A septem spiritibus qui in conspectu troni eius sunt." [Apoc. 1:4] Hoc est, in conspectu iudicum qui dicuntur troni Dei, per quos Deus iudicia sua discernit.

Item, non flectat iudicem vel pauperis miseria vel divitis potentia. Unde in Levitico 19, "Non facies quod iniquum est, nec iniuste iudicabis. Nec consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Iuste iudica proximo tuo." [Lev. 19:15] Et in Exodo 23o, "Non declinabis in iudicio pauperis," [Ex. 23:6] quoque non misereberis in negotio sive in iudicio.

Item, iudicandum est secundum veritatem et non secundum plurimorum sententiam. Unde in Exodo 23, "Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum adquiesces sentencie, ut a vero devies." [Ex. 23:2]

Item, iudicis est patienter audire, nec cito moveri propter alterius partis allegacionem ad sententiam proferendum. Unde Iohanne Crisostomus, "Iudices seculi eciam si audierint eum qui primas negotii partes prosequitur, vehementer perorantem et largissimis dicendi fontibus inundantem, expectant tamen respondentis ad hoc prosecutionem, et audiunt omni paciencia. Nec prima allegacione moventur ad sententiam proferendum, eciam si verissima videantur esse que dicta sunt. Servatur enim apud audienciam illorum secundo quoque integer dicendi locus, quoniam

quidem hoc est iudicium disciplina, prius ex utraque parte causam diligenter agnoscere et ita sententiam promulgare.”

Item, non est iudicandus aliquis ex arbitrio suspicionis, neque iudicio extraordinario. Unde Augustinus, in libro De penis, “Non est homo iudicandus ab homine ex arbitrio suspicionis vel extraordinario iudicio, sed potius ex lege Dei, secundum ordinem ecclesie, sive ultro confessus, sive accusatus et convictus.” [Augustinus, Sermo 351; PL 39.1547] Item, ut ait Bernardus, “Oportet ut iudex nec preceps sit in sententia, nec vehemens in vindicta.” [Bernardus, Epistola 42; ed. 7, 103]

Item, dicit Rabanus, “Iudices dicti sunt eo quod ius dicant populo. Non est autem /86rb/ iudex si non est in eo iusticia.” [cf. Hrabanus, De universo, 16, 4, PL 111.453; cf. Gratian, Decr. C.23, q. 2, c. 1 = Isidore] Item, Super Psalmos: “Non possunt recte iudicare, quibus in corde et in manu est iniquitas.” [cf. Augustinus, Enarrationes in Psalmos, 61, 21; ed. CCSL 39 (chk Glossa ord.)] Duplex autem est causa, ut ait Plato, quare sapientes capessent rei publice gubernacula. Prima, inquit, ne improbis flagitiosisque civibus relicta gubernacula, pestem bonis ac perniciem ferant. Altera, studium communis boni omnium. [cf. Boethius, Philosophiae consolatio, 1 pr. 4] Sicut autem iudices boni gloriosius remunerabuntur, sic iudices mali crudelius ceteris punientur. Unde in Sapiencia 6o, “Discite, iudices, finium terre. Prebete aures, vos qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est a Domino potestas vobis et virtus ab altissimo, qui interrogabit [interrogat MS] opera vestra et cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis neque custodistis legem iusticie, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum hiis qui presunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia. Potentes autem potenter tormenta patientur.” [Sap. 6:2-7] Et paulo post, “Forcioribus autem forcior instat cruciatus.” [Sap. 6:9]

Caveant ergo iudices ne sint de illis quibus exprobrat Amos 5o, dicens, “Qui convertitis in absinthium iudicium et iusticiam in terra relinquitis.” [Amos 5:7] Item, idem 6o, “Quoniam convertitis in amaritudinem iudicium et fructum iusticie in absinthium.” [Amos 6:13] Item, ad pravos iudices ait Micheas 3o, “Audite iudices domus Israel, qui abhominamini iudicium, et omnia recta pervertitis; qui edificatis Syon in sanguinibus et Ierusalem in iniquitate.” [Mic. 3:9-10] Item, ad eosdem ait Sophonias 3o, “Principes eius in medio eius quasi leones; iudices eius lupi vespere, non derelinquebant in mane.” [Soph. 3:3] Item in Ysaia 10, “Ve qui condunt leges iniquas, et scribentes iniusticias inscripserunt, ut opprimerent in iudicio pauperes, et vim facerent cause humilium populi mei, ut essent vidue preda eorum et pupillos diriperent. Quid enim facietis in die visitationis et calamitatis de longe venientis? Ad cuius confugietis auxilium? Et ubi derelinquetis gloriam /86va/ vestram, ne incurvemini sub vinculo et cum interfectis cadatis?” [Is. 10:1-3]

Dictum 104  
De laude Dei

Laudare aliquem est bona opera. Bone et recte voluntatis eius enarrare, referendo ea ad bonam et rectam voluntatem, a qua egressa sunt illa opera congaudendo et effectum dilectionis rependendo illi voluntati quod de illa opera talia sunt egressa. Unde qui narrat opera alicuius voluntaria non in quantum eius sunt ipsum cuius sunt, non laudat. Ut si quis describat artificium aliquodam non referens illud ad artificem, artificium magnificat, sed non artificem laudat. Unde qui mundum et elementa mundi descripserunt et ea ad Deum artificem non retulerunt, ipsum conditorem non laudaverunt, licet ea unde laudabilis est conditor magnifice dixerunt.

Nullus autem laudabilis est nisi ex operibus bone et recte voluntatis. Ex eo enim quod quis invitatus vel inscius facit non laudatur, nec ex passione, sed ex passionis tolerantia aliquis laudatur. Ipsum quoque recte et bene velle opus est bone voluntatis. Unde primo est aliquis laudabilis. Item, qui narrat alicuius bone et recte voluntatis opera, ipsa ad eam referendo, nisi eidem voluntati

congaudeat, affectumque dilectionis rependat, non dicitur vere laudare. Unde qui Dei enarrat opera, eaque ad ipsum refert ut ad auctorem, eidem tamen ob hoc non congaudet nec dilectionis affectum rependit, non laudat, sicut philosophi qui per visibilia Dei invisibilia cognoverunt, et per facta, factorem intellexerunt, non tamen sicut Deum glorificaverunt, quia dilectionis affectum aut graciaram actionem non rependerunt, ipsum nequaquam laudaverunt. [cf. Rom. 1:18-23]

Ex hoc patet quod nullus malus Deum laudat, quia aut non enarrat eius opera, aut si enarrat, ad illum auctorem illa non refert, aut si ad auctorem illa refert, non inde dilectionis affectum et graciaram actionem illi rependit. Unde Augustinus, "Si bona dicis et male vivis nondum laudas." [Augustinus, Enarrationes in Psalm. 49, 30; ed. CCL 38] Et Psalmista, "Non mortui laudabunt te, Domine." [Ps. 113:17] /86vb/ Mortui autem sunt qui in crimine vivunt. Et iterum, "Sacrificium laudis honorificabit me," [Ps. 49:23] et "Non est speciosa laus in ore peccatoris. [Eccus. 15:9] Ex predictis etiam sequitur quod qui vere laudat aliquem vult omnes auditores suos rapere ex sua laude in dilectionem eius quem laudat, alioquin laudans laudatum non diligeret. Quem enim diligimus ab omnibus diligi volumus.

Is etiam est finis laudis, ut ipse laudans in laudati dilectione laudando amplius inflammetur, et audientes in eiusdem rapiat et inflammet dilectionem. Hoc fine laudatur Deus. Unde, "Laudans invocabo," [Ps. 17:4] in me scilicet, et alios amplius vocabo. Et quid est eum amplius in te vocare nisi amplius eum diligere?

Item, creatura rationalis ex libero arbitrio solo nil bene facit, et ita nil laudabile facit. Sed ex sola voluntate liberi arbitrii rationalis creatura ordinata per gratiam egreditur in creatura rationali bene agere. Et magis est illud bene agere gratie quam liberi arbitrii. Igitur cum vere laudatur quis solum ex operibus bone et recte voluntatis, non laudatur creatura in se sed in Domino. Unde in Psalmo, "In domino laudabitur anima mea." [Ps. 33:3] Igitur cum laudamus creaturam eius, non debemus eius opera ad solam eius voluntatem, sed magis ad gratiam, referre. Nec laudando debemus nos et alios in laudati amorem in se inflammare, sed in laudati amorem in Domino. Et hoc totum est, "In Domino laudabitur anima mea," [Ps. 33:3] hoc est ut opera mea non mea sed magis Domini dicuntur, magis ad gratiam quam ad meam liberam voluntatem referantur, sicut sua retulit Apostolus dicens, "Non autem ego, sed gratia Dei mecum," [1 Cor. 15:10] laudando non in mei sed in Dei dilectionem laudentes et audientes attendantur.

Qui ergo vult laudari in se usurpat sibi quod Dei est. Et qui laudat alium in se attribuit illi quod Dei est, et ita in Deum peccat, tribuens creature honorem creatoris, agitque contra hoc verbum Domini, "Et gloriam meam alteri non dabo." [Is. 42:8] Et in illum quem in se laudat, peccat, quia quem laudat in se eius opera ex ipso solo dicit, sed si ex ipso solo sunt, nulla sunt, "quia sine me," inquit, "nichil potestis facere." [Ioan. 15:5] /87ra/ Quapropter laudare aliquem in se est dicere eius opera nulla esse, et hoc non est ipsum laudare sed vituperare maxime. Patet etiam quod quantum quis amat laudem sui in se tantum, amat sui ipsius vituperium.

Item, cum hominem in Domino laudas, idem opus dicis esse hominis et Dei, et ita opus hominis dicis opus Dei, et opus quod est supra posse solius hominis. Et quomodo possis magis honorare hominem quam dicere quod eius opus quodammodo divinum opus est et supra hominem? In Domino itaque non in se laudetur anima mea.

Item, cum nec mentitus, nec falsum dicens, nec ambigens de hiis que dicit, ut patet ex supradicta ratione laudis, vere laudet, nec possit aliquis in huius vite obscuritate alterius opera manifesta vere dinoscere an sint ex bona et recta voluntate, non potest in hac vita alium quis vere laudare. Unde, "Non laudes hominem in vita sua." [cf. Eccus. 11:30] Verumptamen, sicut speramus opera proximorum que videmus bone et non errantis esse voluntatis, sic non asserendo quod nescimus, sed sub affectu pie spei loquendo, proximos laudare possumus et debemus.

Item, cum omnes creature sint opera bone et non errantis voluntatis Dei, in omni creatura laudabilis est Deus, et a nobis laudandus, sicut monet Ymnus trium puerorum, et Psalmus antepenultimus et penultimus. [Dan. 3:51-90; Psalms 148, 149] Et etiam si nulla esset creatura, cum



ipse sit voluntas ordinatissima et rectissima, non minus sed incomparabiliter esset laudabilis. Hec est itaque Dei laus plena et perfecta, eius eternam ordinatissimam et rectissimam voluntatem omnesque creaturas ab ipsa voluntate progressas, eas ad illam referendo plene agnoscere, et agnoscendo prout congruunt enarrare, et enarrando congaudere, et dilectionem et graciaram actionem rependere. Hec laus talis non erit nisi in patria, “cum cognoscemus eum sicuti est.” [cf. 1 Ioan. 3:2] Et in ipso agnoscemus omnia ad ipsum auctorem, omnia referendo, et ex omnibus illum diligendo. Hec laus non erit transitoria, sed stans perpetua tota. Nec tamen confusa simul et infinita. Hec enim est eius mensura ut sit sine mensura, et modo ut sit sine modo, et finis ut sit sine fine. “Beati qui habitant in domo tua Domine. In secula seculorum laudabunt /87rb/ te,” [Ps. 83:5] et, “Misericordias Domini in eternum cantabo.” [Ps. 88:2]

Hec laus ideo non erit transitoria, quia uno aspectu non vacillante, non transeunte, simul omnia et non successive, contemplabimur. Omnia ergo verbo interiori simul et semel, et tamen inconfuse, loquemur, quia ipse ordo verbi loquentis intus est agnicio ordinis rerum omnium cognitarum. Infinita erunt scita, quare et infinitorum simul loqucio de quolibet agnito. Deum diligimus. Ergo et infinito amore diligimus. Vere est itaque laus ista infinita, quia et qui laudatur infinitus, et verbum et amor quibus laudatur infinita sunt. Hec nostre laudis et amorum infinitas satis exprimitur in Baruk 3o, “O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis eius! Magnus, et non habet finem, excelsus et immensus.” [Bar. 3:24-25] Et Sapiencia dicitur, “Sapiencia infinitus est thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, participes amicicie Dei effecti sunt.” [Sap. 7:14] Que autem est domus Dei nisi anima humana? Et similiter, quis alius locus possessionis eius, et quomodo non habet finem nisi in agnoscendo et amando? Et nisi homo aliquando saperet infinitatem, quomodo esset sapiencia infinitus thesaurus hominibus?

Item, numquid aliquid novit Deus quod non eostendet dilectoribus suis in patria? Ipse autem scit infinita, sicut expresse dicit Augustinus in libro De civitate Dei. [cf. Augustinus, De civitate Dei, 12, 19]

#### Dictum 105

##### De ysopo

Ysopus calidus est in tercio gradu. Valet contra catarrum et vocis raucedinem, et contra omnes querelas pulmonis, et contra tussim. Repellit ventum nocivum et flemma viscosum. Vultibus eximium prestat colorem. Valet contra tumorem splenis et contra ydropim, et contra omnem tumorem splenis et contra ydropuim et contra omnem tumorem interiorum. Valet eciam contra dolorem dencium, et contra tinnitum aurium. Limpidat eciam livores omnes.

Hec est humilitas, que maxime calescit in tercio gradu, cum ex fervore caritatis se subicit non solum autem maiori et pari, sed eciam minori, ut sic decenter impleat omnem iusticiam. A racione quoque velud a capite non fremit noxius humor, consensus videlicet in voluptatem, nec verbum indiscretum per nares discrecionis si haustus /87va/ fuerit suctus humilitatis. Humilibus eciam tollitur raucedo murmuris. Hec enim est qui custodit nos a murmuracione, que nichil prodest, sciens quoniam “sermo obscurus in vacuum non ibit.” [Sap. 1:11] Hanc repellere omnes querelas pulmonis, omnesque tumores interiores et exteriores superbie et inflacionis, manifestum est quia contra omnem partem superbie hec habet propria remedia.

Ipsa enim humilitas, que est amor consistendi in congruo sibi ordine, contrariatur per se superbie, que amor excellencie proprie. Hec enim ordinem sibi congruum supergreditur, et per humilitatem ad sibi congruum reducit. Cum eciam ait Bernardus, “Superbia ex aliis quibusque bonis virium magis suarum capere soleat incrementum; sola humilitas propugnaculum quoddam et turris omnium virtutum eius resistit malicie, obviat presumpcioni.” [Bernardus, Ep. 42, 17; ed. 7, p. 114]

Dividitur etiam superbia in duas species, in superbiam cecam et superbiam vanam, quorum prior intelligencie, posterior voluntatis vicium est. Ceca superbia est vicium quo se existimans aliquis vel esse bonum quod non est, vel a se esse quod est in se, non in Domino gloriatur. Vana superbia est cum quis vel de eo quod est, vel de eo quod non est, laudatus suis magis quam Dei laudibus delectatur. Hec mala superbie repellunt contraria humilitatis. Ipsa namque humilitas est contemptus excellencie proprie, ipseque contemptus opponitur appetitui in ipsa superbia que propriam appetit excellenciam. Duabus etiam dictis speciebus due species nichilominus contrariantur. Contra cecam superbiam est ut quis de se noverit sentire humiliter, contra vanam, nec consentire aliter sencientibus, quia qui novit sentire de se humiliter in neutro fallitur ipsius de se iudicium, videlicet ut aut se maius putet aliquid esse quam sit, aut a se esse quod sit, et ideo patienter carens illo quod sibi novit deesse, humiliter de eo quod certus est adesse, non in se sed in Domino gloriatur. Contra, sentire de se aliquid alcius quam sit, antidotum [antitodum MS] humilitatis est talia, iugi meditatione revolvere, "Non alta sapientes, sed humilibus /87vb/ consencientes," etc. [Rom. 12:16] Et idem, "Non ambulavi in magnis, neque in mirabilibus," etc. [Ps. 130:1] Et iterum, "Qui se putat aliquid esse cum nichil sit, ipse se seducit." [Gal. 6:3] Item contra sentire se aliquid esse a se est idem, "Quid habes quod non accepisti. Si autem accepisti, [ait MS] quid gloriaris quasi non acceperis." [ait MS] [1 Cor. 4:7]

Contra superbiam vanam, qua delectamur in nostris laudibus falsis, est illud, "Qui te beatificant in errorem mittunt." [cf. Is. 9:16] Et idem Psalmus, "Vani filii hominum," etc., usque ad "inidipsum." [Ps. 61:10] Et iterum idem Apostolicum, "Parco autem ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me." [2 Cor. 12:6]

Contra dilectionem in laude de bono quod in se esse cognoscitur occurrit idem, "Gracia Dei sum id quod sum." [1 Cor. 15:10] Et Psalmus, "Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam." [Ps. 113:1] Et timor huius verbi, "Recepisti mercedem tuam." [Mt. 6:2, etc.] Et iterum, "Gloriam ab invicem queritis, et gloriam que a solo Deo est non vultis." [Ioan. 5:44]

#### Dictum 106

##### De corde conterendo

Cor contritum non conteritur nisi quod durum est et frangibile. Corda ergo malorum hoc modo indurantur: fluida sunt per fluctivagam concupiscenciam, lutum fiunt per admixtionem terrenorum amatorum, indurantur per ipsius concupiscencie ardorem. De hac duricie dicitur Ezechiele 3o, "Omnis domus Israel attrita fronte est et duro corde." [Ez. 3:7] Et in Ecclesiastico 3o, "Cor durum male habebit in novissimo." [Eccus. 3:27] Et ad Romanos 2o, "Secundum duriciam cordis thesaurisas tibi," etc. [Rom. 2:5] Hec duricies conterenda est in mortariolo petrino gravi et dura pila. Mortariolum est caverne vulnerum Christi. Ipse enim est petra, "Petra autem erat Christus." [1 Cor. 10:4] Et in Psalmo, "Dominus petra mea." [2 Reg. 22:2; cf. Ps. 93:22] Et quid eius vulnera nisi quedam mortarioli vacuitates? In hiis vacuitatibus reponendum est cor durum ut conteratur, sicut dicit Isaia 3o, "Elevabitur Dominus solus in die illa, et ydola penitus conterentur, et introibunt in speluncas petrarum." [Is. 2:17-19] Et paulo post, "Et ingredietur scissuras petrarum et cavernas saxorum." [Is. 2:21]

Cor autem induratum in peccato cogitacionis reponatur ad conterendum in vulnere lateris propter cogitacionem, que cordis est. Induratum autem in peccato voluntatis ponatur in vulneribus pedis, quia voluntas pes est anime. Induratum in peccato /88ra/ operis ponatur in vulneribus manuum, quia operationes per manus significantur. Pila autem, qua [quia MS] conterendum est cor, conflatur ex tribus, videlicet ex timore pene peccati, ex horrore feditatis peccati, ex rubore et verecundia peccati. Quis enim habet cor tam induratum quod primo non conteratur timore penarum iehennalium si eas intime meditetur, si constituat sibi ante oculos stagnum sulphuris ardentis, cuius

ignis tenebrossissimus, fetidissimus, urentissimus et inextinguibilis, quia quos [= quis?] semel recipit eos non extinguens inextinctus eternaliter exuret. Si meditetur ab hinc subitum transitum ad aquas vivium, ubi erit stridor horribilis dencium. [cf. Mt. 8:12] Meditetur insuper lectum in quo reponitur post illud balneum, quem describit Isaias, dicens, "Subter te sternetur tineas, et operimentum tuum vermibus." [Is. 14:11] Oculos hic vagos ad concupiscendum ibi tenebunt tenebre palpabiles, que cogent miserabili voce clamare, "Ve! Ve! uante sunt tenebre!" Sicut dicit Iob, "Lux impii extinguetur, nec splendet flamma ignis eius. Lux obtenebrescet in tabernaculo eius, et lucerna que super eum est extinguetur." [Iob. 18:5-6] Nichil ibi occurret aspectui nisi, ut dicit Crisostomus, "Undique dire facies crudelium tortorum; auris qui hic non avertitur ab auditu iniquitatis ibi replebitur diro ululatu et gemitu; quam horrende sonabunt lingue que hic iniquitatem in excelso sunt loquute." [Chrysostomus ???] Qualis autem erit ululatus describitur in libro Sapientie, ubi dicitur quod, "videntes turbabuntur timorem horribili," etc. [Sap. 5:2] Iste dirus planctus est "Ve," quod videt propheta scriptum cum lamentatione et carmine." [Ez. 2:9] Adde adhuc istis qui erit ibi, "Pro suavi odore fetor, pro zona funiculus, pro crispanti crine calvicium, et pro fascia pectorali cilicium." [Is. 3:24] Ubi "exardescet contra impium sitis, attenuabitur fame robur eius, et inedia invadet costas eius. Devorabit pulcritudinem cutis illius, consumet brachia illius primogenita mors." [Iob 18:9, 12-13] "Hiis penis horribilibus," ut dicit Crisostomus, "adhuc magis cruciabit impios quod videbunt se pro parvo et exiguo deliciarum /88rb/ tempore perdidisse bona eterna, mala vero quesisse perpetua. Omnes enim iehenne superat cruciatus removeri et abici ab illa gloria sanctorum, arceri a conspectibus [conspectibus MS] Christi, carere bonis quibus habueras in potestate perfrui" [Chrysostomus, ???]

Hac prima parte huius pile duriciam cordis tui contunde et contere, que conflata est de igne et frigore, verme, tenebris et fetore, diro ululatu, et siti, et fame, et inedia consumente, et angustia spiritus ex eo quod se videt tanta bona perdidisse, et pro brevibus deliciis tanta mala incurrisse. Quod si cordis duricia adhuc isto pondere est infrangibilis, adice horrorem feditatis peccati, considerans diligenter quam fedum est peccatum quod est diaboli progenies, mortis parens, nature corruptio, boni privatio, anime captivatio et deformatio. Peccatum namque supremam anime faciem, in qua debet gerere reformatam ymaginem summe et ineffabilis pulcritudinis, avertit in conformitatem, ymmo, ut ita dicam, in condeformitatem, summe turpitudini. Homo namque interior, qui debet gestare reformatam ymaginem Trinitatis, per peccatum deformatur in similitudinem bruti animalis. Dicit namque Ieronimus super illum locum Ezechielis, "Homo, homo de domo Israel," [Ez. 14:4] quod bis dicit "homo" ad demonstrandum quod quilibet debet esse geminus homo, exterior videlicet et interior. Qui vero per concupiscenciam bestialem iam deformavit hominem interiorem, iam non est homo, homo, sed homo bestia." [? Hieronymus, Comm. in Ezechielis, ???; CCSL 75; chk Glossa ord.] Et quid fetidius quam homo porcus per gule voracitatem, aut homo hircus per luxurie fetorem, aut homo canis per iracundie ardorem, aut homo lupo per avidam rapacitatem, aut homo leo per subditorum tyrannicam oppressionem? Procul dubio in aspectu vere videncium, incomparabiliter deformior est homo extra et bestia intra quam si esset econverso homo intra et bestia extra. Et quantum vitaret quisque fieri in forma bestiali extra licet maneret verus homo ad intra, plus debet vitare oppositam mutacionem, quanto anima est melius corpore.

Infidelis philosophus hanc feditatem bene perspexerat, qui dixit, /88va/ "Etsi scirem homines ignoraturos et deos ignoscituros non peccarem." [Socrates ???] Infidelis et immundus tantum abhorret peccati feditatem, et tu, fidelis, in sacramento purissimi sanguinis Iesu Christi dealbatus non solum non abhorres, ymmo delectaris in feditate peccati. Qui deberes amplexari sponsum, Filium Dei, amplexaris diaboli, filiam mortis, matrem(?) nature corruptricem, boni privatricem, et tui captivatricem.

Confla hec cum prioribus, que si adhuc non sufficiunt tuam contere duriciam, adice ad hec peccandi verecundiam et ruborem. Quis non vehementer erubesceret perpetrare peccatum aliquod si crederet illud non posse fieri nisi coram oculis centum vel mille virorum senium, sapientum et

venerandorum? Et quomodo non magis erubesceris peccare in conspectu Dei creatoris et redemptoris tui et in conspectu multitudinis celestium civium? Nonne qui talis es magis vereris faciem hominum quam faciem Dei? Vel si forte ideo non erubescis, licet videant te, quia tu non vides illos vidente te, ymaginare, si potes, illud tempus de quo loquitur Daniel, dicens, "Sedit [Dedit MS] iudicium, et libri aperti sunt." [Dan. 7:10] Quando cuncta cunctorum cunctis archana patebunt; quando si non fueris de hiis quorum remisse sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata, omnia peccata tua in libro consciencie tue apertissime scribentur omnibus explicita temetipsum palam accusancia teipsum testimonio consciencie tue condempnanda. Quantus putas te tunc rubor tenebit? Quanta ignominiosa confusio? Nonne tunc, si posses, velles pre tua confusione abscondi ad litteram in fossa humo, ingredi in speluncas petrorum et in voragine terre. [cf. Is. 2:17-21]

Ex hiis itaque tribus, scilicet timore pene, et peccati feditate, et peccandi rubore, confla tibi pilam, et cor tuum in petra Christo positum, cotidie tunde fortiter et contere, donec in pulverem minuatur, ut possis dicere cum Abraham, "Loquar ad Dominum meum, cum sim cinis et pulvis." [Gen. 18:27] Sed ne pulverizatum "proiceat ventus a facie /88vb/ terre," [Ps. 1:4] habeas gravedinem ut sis de populo de quo dicitur, "In populo gravi laudabo te." [Ps. 34:18] Ut ad tuum medium forti visu feraris, secundum illud, "Redite prevaricatores ad cor." [Is. 46:8] Comprehat etiam te liquor et humor gracie, glutinumque caritatis, cuius fervor te excoquat et inducet in bonum, sicut prius econtra induraberis in malo. De hac duricie in bono dicitur Ezechiele 3o: "Ecce dedi faciem tuam valenciosem faciebus eorum, <et frontem tuam duriosem frontibus eorum,> ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam." [Ez. 3:8] Isaias quoque ait: "Ideo posui faciem meam durissimam ut petram, et scio quoniam non confundar." [Is. 50:7]

Dictum 107

De quibusdam proprietatibus columbe, super hunc versum, "Quis dabit pennas sicut columbe"

Psalmus 54: "Quis dabit mihi pennas sicut columbe?"

Rabanus ait, "Columbe dicte sunt quod earum colla ad singulos conversiones colores mutant. Aves mansuete et simplices, et in hominum multitudine conversantes, ac sine felle, que nidos frequentant et prolem multiplicant, et osculo amorem concipiunt. Ungue vel rostro non ledunt, minores aviculos non invadunt. Puro vescuntur grano, mortibus et cadavere non pascuntur, gemitum habent pro cantu, super aquas sedent ut ancipitrem previsa umbra in aqua declinent." [cf. Hrabanus Maurus, De universo 8, 6; PL 111.348-9 ???]

Significat autem columba Deum, ut in Ieremia, "A facie gladii columbe unusquisque ad populum suum convertetur, et singuli ad terram suam fugient," [Ier. 50:16] quia unusquisque a facie verbi Domini ad populum sanctorum patrum convertetur, et singuli ad terram vivenium, que est hereditas Domini, confugiunt.

Columba quoque Spiritum sanctum significat, ut in Evangelio, "Vidi Spiritum descendentem sicut columbam super eum." [Ioan. 1:32] Columba etiam significat ecclesiam, ut in Canticis, "Columba mea, in foraminibus petre et in cavernis macerie." [Cant. 2:14] Et in eodem 6o, "Una est columba mea, perfecta mea, una est matris [matri MS] sue." [Cant. 6:8]

Columbe Apostoli sunt, ut Isaias 6, "Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbe ad fenestras suas?" [Is. 60:8]

Columbe Iudei, ut Sophonia 3o, "Ve provocatrix, et columba non audiunt vocem," /89ra/ ubi littera nostra est, "Ve provocatrix, et redempta civitas, columba. Non audivit vocem, et non suscepit disciplinam. In domino non est confisa. Ad Deum suum non appropinquavit." [Soph. 3:1] Et in Osee 7o, "Et factus Effraym quasi columba seducta non habens cor." [Os. 7:11] Potest etiam hec columba significaresimplicitatem fatuam, deceptibilem ex facili.

Item, duo pulli columbarum duplex penitencie lamentum. Unde Levitico 12o, “Si non valuerit manus eius offerre pecus, offerat duos turtures aut duos pullos columbarum.” [cf. Lev. 12:8]

Per columbam itaque maxime caritas significatur. Et prerogativa aliqua caritatis informati significantur, quibus bene congruit quod “ad conversiones singulas colores mutant,” quia, cum Apostolo, omnibus omnia fiunt, ut omnes lucrifaciant, qui cum lugentibus lugent, cum gaudentibus gaudent, cum infirmatis infirmantur, cum scandalizatis uruntur. [cf. 1 Cor. 9:22; Rom. 12:15]

Vel in collo maxime est hec conversio, quia in collo, per quod verbum profertur, verbum significatur, quia prerogativa caritatis dicantur que est unctio docens de omnibus verbum scripture. Unde et idem secundum litteram, pro varietate singulorum auditorum mutant in varios colores et varias luces spiritualium intelligenciarum. Hec varietas significatur tam per manna omnimodi saporum quam per corpus camalionis, quam etiam per abissi fluitantem superficiem, in quibus refulget color multimodus.

Hec quoque caritas habet simplicitatem que corpus totum, hoc est congeriem operum, reddit lucidum. “Vera autem simplicitas,” ut ait Bernardus, “duo habet necessaria: caritatem in intencione, et veritatem in electione. Nam si bonum quidem diligit, sed verum non eligit, habet quidem zelum Dei, sed non secundum scienciam, et nescio quemadmodum iudicio veritatis vera esse poterit cum falsitate simplicitas, aut vera potest dici simplicitas, quam simplex ignorat veritas. Scriptum est autem quia ‘ignorans ignorabitur.’ Patet ergo laudabilem istam et a Deo laudatam simplicitatem absque /89rb/ hiis duobus non esse bonis, benevolencia atque prudencia, ut oculus simplex non solum pius, qui fallere nolit, sed cautus sit, qui falli non possit. Ceterum, sicut oculus simplicem duo ista faciunt bona, amor boni et cognicio veri, sic nequam oculus duo e regione mala constituunt: cecitas, qua fit ut veritatem non agnoscat, et perversitas, qua fit ut diligit iniquitatem.” [Bernardus, Liber de praecepto et dispensatione, 36-37; ed. vol. 3, 279]

Caritas etiam mansuetudinem habet columbinam. Hec est enim que hominem nature sue perficit proprietate, sive qua homo exuit hominem et induit naturam bestialem, quia homo est animal mansuetum natura. Dicitur autem mansuetum quasi manui assuetum, [cf. Isidorus, Etymolog., 10, 168] quia hec est humana natura, bonis et piis operibus assuescere, eisque favere et assentire. Quid est mansuetudo? Mansuetudo est virtus qua tollerantur mala cum amore eius a quo inferuntur. Unde Gregorius, “Paciencia que tollerat et non amat, non est virtus mansueudinis, sed velamentum furoris.” [cf. Gregorius Magnus, Moralia in Iob, 8, 2; idem, Homiliae in Hiezechielem prophetam, 1, 7]

Hec quoque in hominum multitudine conversatur, quia columba elongans se fugiens ut etiam in deserto maneat, non manet singillatim, ut ait Augustinus, quia tenet in deserto manentes caritas cum multis maneat. [cf. Augustinus, Enarrationes in Psalmos, 54, 9] Soli sunt in deserto, soli in consciencia, sed non soli in caritate. Si enim caritas ad omnes dilatatur, etiam ad inimicos, et, “ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum,” [Mt. 6:21] hec est, ubi est res amata, ibi est amor tuus, non potest caritas esse solitaria, nec ab hominum conversacione separata. Hoc enim facit Dei sapienciam cum hominibus conversari, sicut dicit Baruck 3o, in fine, “Post hec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.” [Bar. 3:37]

Hec caret felle iracundie, quia “caritas non irritatur.” [1 Cor. 13:5] Et tamen columba, cum sit sine felle, sevit, quia caritas acriter obiurgat et corripit, et etiam cum necesse est disciplinam verberum adicit. Ex amore irascitur, numquam tamen odit, quia ut ait Augustinus, “Ut noveris quantum intersit inter iram et odium, cotidie homines irascuntur filiis suis, da tamen quid oderint filios suos.” [Augustinus, Enarrationes in Psalmos, 54, 7] Vis audire columbam sine felle sevientem? /89va/ “Quid vultis,” ait Paulus ad Corinthios 14o, “veniam ad vos in virga, an in caritate et spiritu mansuetudinis?” [1 Cor. 4:21] Item, altera vox columbe sevientis, “Ego quos amo arguo et castigo.” [Apoc. 3:19] Contra correptibilis enim sic non sevirere eos odisse est.

Hec iterum prolem multiplicat, quia hec maxime intendit caritas ut prolem multiplicet spiritualem. Audi columbam prolis multiplicacioni intentam, “Filioli,” ait Paulus, “quos iterum

parturio, donec formetur Christus in vobis.” [Gal. 4:19] Et iterum, “Factus sum in medio vestri tanquam nutrix fovens filios suos.” [1 Thess. 2:7] Et, ut ait Augustinus, suos, non alienos. “Sunt autem matres que, cum peperint, dant nutricibus; ille que pepereunt non foveant filios quia nutriendos dederunt. Ille autem que fovent, non suos fovent sed alienus.” [Augustinus, Enarrationes in Psalmos, 49, 27] Ipse vero idem Paulus pepererat, ipse fovebat; nulli nutriti quos pepereret committebat. Perdices foverunt que non pepererunt. Cuculi, ut dicitur, pariunt sed non fovent. Columbina autem simplicitas quos parit fovet.

Item, columbe osculo pacem concipiunt. Quid est osculari, ut haberi potest ex angelo, dicens [dicere MS] “pax vobiscum,” [cf. Tobias 12:17; Lc 1:28, etc.] pacem videlicet verbis et vultu pretendere. Sed non omne tale osculum est columbinum. Osculantur enim et corvi, ut ait Augustinus, [cf. Augustinus, In Ioannis evangelium tractatus, 6, 4] sed unde discernuntur oscula corvorum ab osculis columbarum? “Osculantur corvi, sed laniant. Sed laniatu innocens est natura columbarum.” [Augustinus, In Ioannis evangelium tractatus, 6, 4] Ubi ergo laniatus non est in osculis, vera pax est. Osculum autem columbinum est ex vera dilectione pacem exterius pretendere. Osculum vero corvinum est ex invidia vel odio pacem extrinsecus, ut liberius laniet simile. Osculum corvinum attulit Iudas cum tradidit Dominum, [Mt. 26:49, etc.] et Iob cum occidit Amasam, ut legitur in libro Regum 2o. [2 Reg. 20:9] Columbinum vero osculum dedit Booz messoribus suis, dicens “Dominus vobiscum.” [Ruth 2:4] Et Azarias, a se dicens illi et suis, “Dominus vobiscum, quia fuistis cum illo.” [2 Paralip. 15:2] Et Paulus, ad Thessalonicensium 2o, “Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam. Dominus cum omnibus vobis.” [2 Thess. 3:16] Ad hoc osculum invitavit cum dixit Corinthiis, “Salutate invicem in osculo sancto.” [1 Cor. 16:20, etc.]

Item, /89vb/ ungue vel rostro non ledunt columbe. Per unguem lesio rapina est, per rostrum detractio; a quibus utrisque caritas est immunis, quia non est ambiciosa, nec agit perperam aliena rapiendo, nec etiam querit que sua sunt propria cum contencione repetendo, nec etiam cogitat malum nedum loquatur detrahendo. Quomodo enim aliena raperet, que etiam animam pro aliis ponit? “Maiorem,” inquit, “caritatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.” [Ioan. 15:13] Quomodo detraheret, que non reddit malum pro malo, nec maledictum pro maledico, sed econtrario benedicit. [cf. 1 Petr. 3:9] Longe sunt ab ista que dicunt, “Veni nobiscum, insidiamur sanguini. Abscondamus tendiculas contra insontem frustra. Deglucciamus eum sicut infernus viventem, et integrum quasi descendentem in lacum. Omnem preciosam substantiam reperiemus. Implebimus domos nostras spoliis. Marcipium unum sit omnium nostrum.” [Prov. 1:11-14] Caritas enim non est unguium curvitate collecta, sed est dilatans et dispersiva unde et ditatur. Unde videtur depauperari cum alii egeni fiant. Unde videntur ditari, sicut dicit Salomon in Prov. 2o, “Alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. Alii dividunt propria, et ditiores fiunt.” [Prov. 11:24]

Non est itaque columbine simplicitatis vel unguium curvitas aliena rapiendo vel rostri per detractionem ad invicem mordendo. Considera etiam quod aves curvorum unguium vel rostri non vivunt in societate, caritate autem nichil est magis sociale. Ipsa est enim que omnibus fit omnia ut omnes lucrifaciat. Columba minores aviculas non invadit, quia caritas subditos violenta dominacione non opprimit, memor illius, “Principem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis.” [Eccus. 32:1] Et illius, “Non dominantes in clero, sed forma facti gregi ex animo.” [1 Petr. 5:3] Et illius, “Quanto maior es, humilia te in omnibus.” [Eccus. 3:20] <Et> illius quoque, quod homo non preponitur homini sed bestiis terre. [cf. Gen. 1:26]

Pure vescitur columba grano quia caritas et quicumque eadem informatur, “vivit in omni verbo quod procedit ex ore Dei,” [Mt. 4:4] et quia non /90ra/ aliunde vivit, “nisi illo grano quod cadens in terra mortuum fuit ut multum fructum ferret.” [Ioan. 12:24-25] Non pascitur mortibus, quia non delectatur mortuis operibus. [cf. Iac. 2:26]

Gemitum habet pro cantu quia semper dolet caritas dum hic peregrinatur, et de dolore semper letatur. Hoc est enim gemendo canere et cantando gemere, de dolore gaudere et gaudento

dolore. Dolet enim de culpa, dolet de pena, dolet de patrie dilacione. Gaudet de dolore culpe, gaudet de tolleranda pene, et quia ipsa pena erudit et purgat. Gaudet etiam in spe de patrie promissione. Ista est vox mixta letancium et flencium in templi reedificacione. [???]

Super aquas sedet ut previsa umbra ancipitris. Illum declinet quia caritas in scripture puritate et speculo assidue meditatur ut in illa diaboli hastucias prevideat, agnoscat et declinet.

Dictum 108

Sermo ad contemplativos, in festo Iohannis Baptiste, de hoc verbo, "Preibis ante faciem Domini, parare" etc.

"Preibis enim ante faciem Domini parare vias eius." [Lc. 1:76]

Vita nostra quibus sermo noster dirigit tota est penitencialis. Vita eius cuius solempnitas nunc agitur tota similiter fuit penitencialis. Ideoque in laudem eius qui fuit forma penitencie vobis contemplativis, qui ceteris avidius et dulcius hauritis amarum poculum penitencie, vel pauca de penitencia vestris adiuti precibus, loqui disposuimus.

Penitencia itaque est que moraliter intento Zacharie verbo nobis proposito, "Preit ante faciem Domini et parat vias eius," [Lc. 1:76] per quas venit in templum sanctum, animam scilicet penitentis. Sicut enim Iohannes precessit Christum velut lucifer solis ortum, finiens umbras veteris legis, quia "lex et prophete usque ad Iohannem," [Lc. 16:16] inchoans lucem nove legis et gracie, sic penitencia, cuius tipus est Iohannes, tenebram peccati terminat, lumen gracie inchoat, exortum solis iusticie in anima evidenter annunciat, hunc exortum precurrens non tempore sed naturali ordine.

Prius enim naturaliter est odisse te talem qualis es, quod est proprium penitencie, quam amare te talem qualis nondum es, quod proprie pertinet ad hunc exortum solis iusticie. Licet enim sic precurrens penitencia viam Domini generaliter preparat, in vobis tamen contemplativis velud quoddam acie mordaciore regula rectiore asperum planat iter et reflexos dirigit calles.

Contra singulam /90rb/ namque vicia propriissimas et perfectissimas penitencias excellentissime peragit contemplativorum perfectio. Superbie namque proprium est velle esse omnino in potestate propria, nolle aliquatenus esse sub potestate aut voluntate aliena. Contra quod directissime opponitur velle omnino esse sub ordinata potestate aut voluntate aliena, nolle aliquatenus esse sub voluntate propria. Hanc superbie directissime oppositam penitenciam nulli sic perfecte complent ut contemplativi, qui non solum renunciarunt omnibus que possiderunt, sed et semetipsos omnino abnegaverunt. Unde et gregibus tonsarum comparantur in Cantico, [cf. Cant. 4:2, and glosses?] quia illis non solum detonsa sunt exteriorum possessionum vellera, sed etiam per abscisionem operum voluntariorum corpora, ymmo etiam per abdicacionem proprie voluntatis, detonsa sunt corda.

Invidie proprium est odium felicitatis aliene, cui directe opponitur contemptus felicitatis proprie. Hoc antidotum [antitodum MS] invidie, in quibus tam efficaci operatur effectu ut in vobis contemplativis, qui regnum mundi et omnem ornatum seculi contempsistis propter amorem Domini nostri Iesu Christi, quem vidistis, quem amastis, quem credidistis, quem dilexistis?

Accidie proprium est in lectione, oracione, contemplacione, tedio spiritus affici, eiusque pondere deorsum premi, Cui contrarium est in eisdem oleo leticie spiritualiter refici eiusque levitate cor sursum ferri. Istud in vobis contemplativis maxime viget, quibus in lectione, oracione, contemplacione, est iocundissima refectio, et super aquas mundane fluxibilitatis supernatante iocunditatis oleo sursum in celo conversacio.

Ire proprium est ob molestias et iniurias illatas libidinosus appetitus vindicte, cui maxime opponitur sua etiam iniuriose ablata nec sub iudice cum litis contencione velle repetere. Hoc maxime observat contemplativorum perfectio, adherens illi Evangelico, "Non resistere malo, sed si quis te percusserit in dextera maxilla, prebe illi et alteram. Et qui voluerit tecum in iudicio

contendere," etc.; [Mt. 5:39-40] contremescens illud Apostolicum, "Omnino delictum est in vobis quod iudicia habetis inter vos." [1 Cor. 6:7] Peccatum enim est, ut docet Augustinus, etiam sua sub iudice cum lite repetere, sed secundum veniam infirmitati, non dicit perfectioni, concessum. [cf. Augustinus, Sermo 351; PL 39.1541] /90va/ Sancti autem contemplativi, si aliquando sub iudice agunt, non sua repetunt sed ecclesie, et pauperum bona revocare contendunt, non querentes cum mundo que sua sunt, sed cum Apostolo, que Iesu Christi. [cf. Phil. 2:21]

Ut autem brevioribus perstringam vestre vite penitentialis in quibusdam pre<e>minenciam, luxurie molliciem proprie punit vestium et verberum asperitas, luxum vestium earundem vilitas, gule voracitatem potus cibique parcitas, lingue loquacitatem discreta taciturnitas, oculi discursum vagum a videnda vanitate aversio. Et ne per singula curram, per quemlibet sensum anime concupiscentis cum Dina egressum, [cf. Gen. 34:1-2] ordinatissime punit eiusdem sensus circumsperta clausio.

Hec autem puniciones, in quibus tanta tamque manifesta relucet prerogativa ut in vobis contemplativis, quos amplius ceteris vestium et disciplinarum acuta pungit mordacitas, contemptibiles mundo reddit habitus vilitas, carnem quorum macerat, potus cibique parcitas, linguam ligat discreta taciturnitas, sensus omnes ne ad illicita evagentur, ymmo etiam ut a plurimis licitis arceantur, non solum intus frenat gubernatrix ratio, sed etiam extra cohibet corporalis claustrum conclusio.

Hec ergo et huiusmodi vite penitentialis habentes prerogativa considerate etiam paulisper que vobis cum ceteris penitentibus sunt communia. Omni namque penitenti quinque sunt necessaria: odium videlicet peccati; dolor de peccato; firmum propositum non revertendi ad mortale; maxime si detur ydoneitas et facultas, oris confessio, operis satisfactio. Si enim penitet aliquem peccati non solum quia penale est peccatum, sed maxime quia peccatum est, ut scilicet per se peccati illum peniteat, dolet de peccato, et illud odit in quantum peccatum est. Et si odit illud, vult illud occidere et non vivificare. Unde penitens de peccato non facit illud nec vult illud facere. Unde Augustinus: "Si penitens es, penitet te; si no penitet te, penitens non es. Si ergo penitet te, cur facis que male fecisti? Si fecisse penitet, noli facere. Si adhuc facis certe adhuc penitens /90vb/ non es." [Augustinus, Sermo 393; PL 39.1713] Igitur, ut dixi, si vere penitet aliquem peccati illud non facit, nec vult facere, sed illud vivens vult occidere. Ergo si occidi potest confessione et satisfactione, vult igitur confiteri et pro illo satisfacere. Ac quia per hec occidi potest, vult igitur penitens confiteri et satisfacere.

Quod autem confessione et satisfactione penitentis occiditur peccatum patet, quia ad vere misericordem pertinet delinquenti in se remittere cum de delicto vere dolet, et humiliter illud confitetur, et devote veniam petit, et ad satisfaciendum secundum voluntatem eius erga quem deliquit pro viribus paratus est. Nec est modus alius occidendi peccatum nisi odiendo illud, quia dum amatur vivit. Et quia iustum est ut, si potes, satisfacias ei erga quem deliquisti, iniusta tua voluntate secundum exigenciam eius iuste voluntatis.

Deus autem ita est misericors quod etiam iustissimus patet quod si possumus satisfacere oportet Deo pro peccatis secundum quod ipse voluerit satisfacere. Atque voluntatem eius de satisfaciendo non possumus in hac vita nisi a ministris eius inquirere, quibus ministris ligandi et solvendi contulit potestatem. Ipsi autem ministri non possunt agnoscere quos et quomodo ligare et solvere debeant nisi per peccati confessionem. Ergo non est alius modus occidendi peccatum nisi peccati odium et, si possibile est, peccati confessio et pro peccato satisfactio.

Patenter igitur hec sequuntur penitentiam peccati: odium et dolor, velle nunquam ad peccatum redire, si opportunitas adest peccati confessio et satisfactio. Qui autem odit peccatum quia peccatum, odit omne peccatum. Unde patet quod qui vere penitet de uno, penitet de omnibus. Unde qui videntur sibi odire aliud unum peccatum et amore aliud amplectuntur, non oderunt illud quia peccatum est, ac per hoc nec illud oderunt, sed oderunt aliquid concomitans illud, ut infamiam aut dampnum aut penam aliquam.



Item, qui odit peccatum quia peccatum, odit omne peccatum ubicumque sit. Ergo vult illud occidi et non esse ubicumque possibile est occidi et non esse. Ergo vult quodlibet peccatum occidi et non esse in quolibet viatore, maximeque vult illud occidi in se, ubi sibi plus /91ra/ nocet. Sed si hoc vult, non tepenti nec saucia voluntate agit ut occidatur peccatum in quocumque quibus potest correptionibus, mali detestationibus, boni persuasione, exempli ostensione. Penitens itaque persecutor est peccati et iniusticie. Sed qui peccatum et iniusticiam persequitur, quomodo non bonus et iustus est penitens? Ergo eo quod persecutor est mali et iniusti, iustus et bonus est. Verum igitur peccati odium est odire illud propter se quia peccatum, quia malum, quia summo bono oppositum, cuius veri odii signa sunt odire illud continue in omni homine, in omni tempore.

Item, si odit peccatum et vult illud non esse, vult modis quibus potest agere ut sint ea que peccatum evacuant, atque de hiis est compassio et oratio bonorum. Vult igitur bonis quibus decet peccatum manifestari, ut eorum oracione et compassione spirituali posset deleri. Unde qui vere penitet confitebitur si potest.

Item, cum in peccato criminali, quem de criminalibus hic intendimus, sit infiniti boni amissio, ymmo infiniti boni spontanea abiectio, nonne hec abiectio spontanea exigit de rigore iusticie sicut in inpenitente involuntarium dolorem infinitum, sic in penitente voluntarium infinitum scilicet ut penitens vellet sine fine spontanea voluntate tantam iacturam dolore nisi is quem sponte abiecerit misericordia vellet aliquando huius doloris miseriam tollere? Quomodo erit penitens iustus nisi velit infiniti boni spontaneam abiectioem semper dolore, punire, donec dicat ei is cui reconsiliari cupit, "satis est?" Quomodo amandi summo non est delenda amissio sine modo? Quomodo [Domino MS] ergo in voluntate transitoria terminata fuit voluptas peccati perpetua, cui in inpenitente iuste debetur et redditur perpetua involuntaria pena, in voluntate penitentis est dolor et satisfactio penalis condicionaliter perpetuus saltem sed misericordia iudicis aliquando terminatus? Non igitur finiet vere penitens spontaneum dolorem peccati donec "abstergat Deus omnem lacrimam ab oculis sanctorum, ut iam amplius non sit luctus neque dolor quia [que MS] prima abierunt." [Apoc. 21:4]

Satisfactio autem est ad honorem eius erga quem peccatum est alicuius rei solucio, cuius solvens debitor non esset, si non peccasset. Quid est autem /91rb/ quod ad honorem Dei exsolvi possit quod homo peccator Deo non debeat utique nichil? Verumptamen si numquam peccasset homo, nullius pene debitor esset. Item, si nullum hominis fuisset peccatum, nulla esset hominis miseria, et ita nulla essent misericordie opera. Item, si peccatum non esset, nulla esset per corruptionem boni defectio, pro qua supplenda necessaria esset oracio. Ergo si peccatum hominis non fuisset, istarum rerum debitor homo non fuisset. Unde hec proprie in satisfactionem Deo offerentur quorum nullum esset ab homine debitum si nullum esset hominis peccatum.

Laus autem et aliqua forte alia que in patria erunt iocundissima et nullo modo penalia, que etiam, licet homo non peccasset, essent creatori debita, hic propter corpus quod corripitur et aggravat animam, et propter legem que in menbris repugnat legi mentis, sunt plerumaue penalia. Unde in quantum sunt penalia sunt etiam penitencialia.

Item, cum satisfaciens debeat rependere aliquid quod magis sit omni eo pro quo non debuisset deliquisse, non debuit autem pro universa creatura salvanda Deum abiecisse peccando, oportetque per hoc quod aliquid magis solvat quam possit solvere universa pura creatura. Hanc quoque solucionem, cum solus Christus fecerit, patet quod nullius satisfactio aliqua est nisi in quantum unita est satisfactioni Christi qui seipsum in satisfactionem pro nobis obtulit ut sic in Christo satisfaciens condigne satisfaciamus.

Penitentiam autem comitantur Dei miseracio, precum exaudicio, peccati dissimilacio. Ipsa est cordis contriti vivificacio, in ara cordis hostie sacrificio, Dei glorificacio, ad patriam de exilio reductio.

Dictum 109

Unde dirivatur hoc nomen Deus

“Theos” Grece, “Deus” Latine, et mutatur “T” aspiratum in “D” et “o” in “u,” et sic ab hoc nomine “Theos” fit hoc nomen “Deus.” Hoc autem nomen “Theos” apud Grecos derivatur ab hoc verbo “theo,” quod est “curro.” Deus enim quasi cursor velocissimus ubique est presens, et omnia implens omniaque preocupans. Unde in libro Sapiencie, de summa sapientia, que Deus est, scriptum est, “Omnibus mobilibus mobilior est sapientia.” [Sap. 7:24] Et ad sponsum dicit sponsa in Canticum Canticorum, “Fuge, dilecte mi, assimilare capree, hinnuloque cervorum super montes aromatum.” [Cant. 8:14] Et in prophetia scriptum est, /91va/ “Celum et terram ego implebo, dicit Dominus.” [Ier. 13:13]

Vel dicitur hoc nomen “Theos” ab hoc verbo “tho,” quod signat apud Grecos “compono” vel “facio.” Deus enim omnium est factor et ordinator. Fecit enim Deus in principio celum et terram et omnem ornatum eorum, [cf. Gen. 2:1] et per eius sapientiam et verbum “omnia facta sunt, et sine ipso factum est nichil.” [Ioan. 1:3] Vel dicitur hoc nomen “theos” ab hoc verbo “tho,” quod apud Grecos idem est quod “video.” Ipse namque est omnia videns. “Omnia enim,” ut dicit Apostolus, “nuda sunt et aperta oculis eius, ad quem nobis sermo.” [Hebr. 4:13] Et in Ecclesiastico scriptum est, “Omnia opera eorum velud sol in conspectu Dei, et oculi eius sine intermissione in viis eorum aspicientes.” [Eccus. 17:16]

Et sciendum quod ab hoc verbo “tho” fit nomen “thos,” et per adiectionem “e” littere fit hoc nomen “theos.” Vel dicitur “theos,” secundum quosdam, a calore. “Themotis” enim Grece “caliditas” est, a quo nomine putantur hoc nomen “theos” dirivari, quod bene ipsi convenit, de quo dicitur, “A summo celo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius. Nec est qui se abscondat a calore eius.” [Ps. 18:7] Vel dicitur “theos” ab hoc verbo “etho,” quod est “incendo” vel “inflammo,” quod ei congruit de quo dicitur, “Deus noster ignis consumens est.” [Hebr. 12:29]

Hoc quoque verbum Grecum “tho” in una significacione idem est quod “firmo,” unde non <in>congrue(?) potest dirivari hoc nomen “theos.” De Deo namque dicitur, “Et ipse enim firmavit orbem terre, qui non commovebitur.” [Ps. 92:1] Et iterum, “Qui firmavit terram super aquas.” [Ps. 135:6] Et in Ysaia scriptum est, “Hec dicit Dominus Deus, creans celos et extendens eos, firmans terram et que germinant ex ea.” [Is. 42:5] Signat eciam hoc verbum “tho” idem quod “letor.” Et Deo dicimus, “Exultacio mea, erue me a circumdantibus me.” [Ps. 31:7] Significat quoque hoc verbum “tho” idem quod “pono,” et de Deo dicitur, “Qui posuit fines tuos pacem.” [Ps. 147:1] Significat insuper idem quod “lucror,” et bene congruit ei qui nos perditos suo passione lucratus est et precio sui sanguinis redemit. Unde Apostolus, “Empti enim estis precio magno.” [1 Cor. 6:20]

Secundum moralem autem intelligenciam bene congruit ab hiis omnibus racionibus nomen Deo imponi. Ipse enim precurrit et prevenit nos per gratiam prevenientem, et preveniendo sua gracia nos componit et conformat in novum hominem, ut scimus inicium aliquod creature eius, “exuti veterem hominem et induti novum, renovati et reformati spiritu mentis vestre.” [cf. Eph. 4:22-24] Sicque compositos et innovatos vultu sui beneplaciti in nobis /91vb/ nos respicit illuminans super nos vultum suum. Vultus enim Domini super nos illuminatione ampliori et augmentata calefacit caritate, augmentatoque caritatis calore ascendit et inflammat, et viciorum rubiginem, hoc est ex prioribus viciis relictam consuetudinem, consumit. Sicque calefactos et accensos per perseveranciam confirmat, confirmatisque iam ipse fit exultacio, contempto mundano gaudio. Exultantem vero in ipso solo fines ponit pacem. Sicque pacificatos in filios adopcionis lucratus est, quia “beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.” [Mt. 5:9]

## Dictum 110

Unde dirivatur hoc nomen castrimargia

“Castrimargia” nomen Grecum est, sed unde dirivetur hoc nomen, vel quid signat secundum anagogiam [= ethymologiam?] nullus veterum grammaticorum vel rethorum Grecorum recordatus est. Aristoteles vero, in libro De animalibus, recordatur animalis quod dicitur “margos,” scilicet quod hoc animal nascitur de putredine inter terram et aquam, et ex quo natum est, hoc animal non cessat comedere terram donec comedendo perforans terram exit in terre superficiem. Cum vero exierit, moritur, et iacet mortuum tribus diebus, et post tres dies venit nubes pluvie et pluit super ipsum, et sic reviviscit, nec ultra terram comedit. Et ex hoc qui fuerunt post veteros philosophos ammoniti, multum comedentes vocaverunt “castrimargos.” “Castir” enim Greco sermone ventrem signat.

Potest autem secundum intellectum speculativum sic sumi: Huius animalis natura passiones et concupiscencie carnales, que non sunt nisi in anima, licet carnis dicantur, a putredine nature corrupte nascuntur, et postquam nate sunt, non cessant comedere cor eis subiectum donec exeant in manifestacionem per operacionem exterius cognoscibilem. Sed exeuntes plerumque moriuntur tribus virtutibus animi, et sic gracia Spiritus sancti superveniens sicut per nubes doctrine dat stillicidia cognicionis et vivificat, non secundum priorem vitam, que fuit in passionibus desideriorum, sed secundum vitam virtutum Deo approximantem.

Quidam vero aliam attribuunt huic nomini “castrimargia” dirivacionem. Dicitur enim castrimargia quasi ventris vel aliqua ventrem insania, a “gastir,” quod est “venter,” et hoc verbo Greco “margeno,” quod signat Latine “insanio,” unde et “margos,” Grece, /92ra/ dicitur “insanus.” Sunt apud Grecos duo nomina gulositatis vicium signancia, videlicet castrimargia et lemargia. Attamen habent in signando hec nomina differenciam, quia castrimargia est ventris nimia saturitas, lemargia vero gutturis delectacio in dulcedine et suavitate saporum. Dirivatur autem lemargia a “lemos” scilicet, quod est guttur, quasi gutturis insania. [chk Suda, etc.]

## Dictum 111

De concordia et diveristate nominum filiarum [filiorum MS] Iob in Latinis et Grecis codicibus

In Iob legitur quod fuerunt tres filie, et quod “vocavit Iob nomen unius Diem, et nomen secunde Cassiam, et nomen tercię Cornustibii.” [Iob 42:14] In Greco autem habetur quod “vocavit nomen unius Imeran, et nomen secunde Cassian, et nomen tercię Amaltheiaskeras.” In primo itaque et secundo nomine patenter concordant Latini codices et Greci, quia “Imera” Grece, “dies” Latine. Hoc nomen vero Cassian communiter habent codices utriusque. Sed in tercię nomine videntur dissonare, quia Amaltheiaskeras, hoc est Latine “amaltes cornu,” quod non videtur consonare. De amaltee cornu sic dicunt Greci, Cirea pariens Iovem dedit ipsum ad nutriendum Amaltee, que Amaltea, cum non haberet lac, capre supposuit ipsum Iovem, unde “capram habens” vocatus est. Iupiter [Iubiter MS] igitur capram historizavit in celo, et tollens unum de cornibus capre, dedit ipsum Amaltee, ordinans ipsi fieri omne quod peteret per cornu. Unde fortunatos et felices dicunt Greci habere cornu Amalthee.

Cassia vero species est odorifera, et dirivatur, secundum Grecos, ab hoc verbo “kaso,” quod est “orno,” cuius verbi futurum est “kaso,” et ex ipso futuro, per adiectionem alterius “s” fit “casso,” quasi dicat ornatus sensus per bonum odorem.

Imera autem apud Grecos dicitur ab hoc verbo “imu,” (?) quod est “mitto,” quia dies mittit nos ad omnia. Vel dicitur imera ab “iveranges,” (?) quod est claritas. Vel dicitur imera ab hoc verbo “miero,” quod est mansuefacio, eo quod dies mansuefacit animalia, vel simpliciter qui mansuefacit omnia. Vel dicitur imera ab “yno,” quod est “splendeo,” et a “marinero,” quod est “splendeo,” ex quo etiam dicitur margarita. [chk Suda, etc.]

Dictum 112  
De tribus scutis

“Dominus est protector meus,” [Ps. 17:9] dans scutum paciencia, quod scutum est impressum menti cum crux et Christus crucifixus habentur in amore.

Ipsa enim figura crucis figura scuti est si a duobus cornibus ligni transversalis [transversatis MS] ad pedem trahuntur due linee recte. Pacienciam /92rb/ autem confirmant et roborant maxime passio Christi memorata et amata, et agnicio velocitatis transitus temporalium afflictionum, et agnicio inmutabilitatis status eternorum, et spes consecucionis illarum diviciarum eternarum. Ideoque in pede predicti scuti paciencie depingatur velox transitus temporalium per similitudinem torrentis, ibidemque scribatur, “Transit mundus et concupiscencia eius, preteritque figura huius mundi.” [cf. 1 Ioan. 2:17; 1 Cor. 7:31] In dextro cornu pingatur inmutabilitas status dierum eternorum per similitudinem solis radiantis, ibidemque scribatur, “Longitudo dierum in dextra eius.” [Prov. 3:16] In sinistro cornu depingatur spes eternarum diviciarum per similitudinem lune crescentis, ibique scribatur, “In sinistra ipsius divicie et gloria.” [Prov. 3:16] Hoc est scutum interius, quo Dominus protegit et arcet.

Scutum vero exterius, quo Dominus protegit et arcet inimicorum impetus, habet in tribus suis angulis timorem, impotenciam et ignoranciam. Hec enim tria sola cohibent malos a nocendo, videlicet aut timor pene, aut impotencia nocendi, aut ignorancia qualiter noceatur. In pede ergo scuti depingantur omnia penarum genera, et in medio illarum homo pallidus timore se contrahens, ibique scribatur, “Formido super te qui habitator es terre.” [Is. 24:17] In dextro cornu pingatur impotencia per similitudinem manus aride paralitice omnibus generibus vinculorum ligate, ut paralis retorqueatur ad impotenciam nocendi in se, ligamenta ad impedimenta ab extrinsecus, ibique scribatur, “Laqueus super te qui habitator es terre.” [Is. 24:17] In sinistro vero cornu depingatur infatuacio ignorancie per similitudinem faciei insidiatricis, fovea circumsepte, cum oculis cecucientibus, ibidemque scribatur, “Fovea super te qui habitator es terre.” [Is. 24:17]

Huius igitur scuti tria cornua fixit Ysaïas, dicens, “Formido et fovea et laqueus super te qui habitator es terre.” [Is. 24:17] Hoc idem scutum et Moyses, prius signavit dicens in Deuteronomio 8, “Dabit tibi Dominus cor pavidum et deficientes oculos et animam merore consumptam.” [Deut. 28:65] Tabescunt enim merore impii cum se sentiunt frustratos conatu nocendi.

Est et aliud genus scuti, de quo Psalmista ait, “Scuta comburet igni.” [Ps. 45:10] Hoc scutum, quo tegitur cor improbe se defendens, habet in umbone amorem /92va/ sui, id est superbiam, velud umbonem tumentem. Habet in tribus angulis amorem libidinosum, dotum anime verorum vel apparencium, et amorem talium dotum corporis et extrinsecus accidentem. Vel scutum hoc est omnia vicia, inquantum se operiunt similitudinibus virtutum, utpote cum superbia se operit similitudine celsitudinis vel magnamitatis; ambicio, pura quesicione veri honoris; blandicie, latimentum benignitate et affabilitate; sevicia, iusticie severitate; curiositas, studio sapiencie; ignorancia, simplicitatis et innocencie nomine; ignavia, quietis amore; luxuria, plenitudine effusio liberalitate; avaricia, parcite; ira, amore iuste vindicte.

Et potest hoc scutum formari triangulare propter tres concupiscencias, vel quadrangulum propter effectus quattuor viciosos. Ipsumque scutum constat ex similitudinibus in quibus vicia singula cum virtutibus conveniunt.

Dictum 113  
De prophetia

Propheciam maxime proprie dicta videtur esse futurorum contingencium certa prescencia. Ait enim Augustinus, De Trinitate 14, “Providencia rebus futuris tribuitur quam non habent certam nisi

prescii futurorum, quod non est munus hominum nisi detur desuper, ut prophetis.” [Augustinus, De Trinitate, 14, 11] Constat autem hic Augustinum loqutum fuisse de futuris contingentibus. Futurorum enim ex necessitate, utpote eclipsium et motuum celestium corporum, certa habetur prescencie humana investigacione. Iterum, idem, De Trinitate 4, c. 41, “Qui potuerunt futura prenoscere, a gentilibus vates, a nostris prophete appellati sunt.” [Augustinus, De Trinitate, 4:17 Sed quod prophetis est prophetare et propheta, vatis est divinare et divinacio. Atque, ut ait Tullius, De divinacione libro, 50, libro primo: “Divinacio est earum rerum que fortuite dicuntur predictio atque presencio.” [Cicero, De divinacione, 1, 5, 8] Est itaque propheta rerum contingenciam seu fortuitorum predictio atque presencio. Certa autem contingenciam cognicio est veritatis eorum visio. Veritas autem est id quod est. Ergo veritatis eorum visio est esse eorum visio. Esse autem immobile nusquam habent nisi in mente divina aut in mente vidente hoc in mente divina. Igitur eorum certa precognicio est visio /92vb/ esse eorum in mente divina vel in mente eadem ibi vidente. Item, sciencia est certa veritatis apprehensio, et hec non est veritatis permutabilis. Permutabilium autem contingencium nusquam est impermutabilis veritas nisi in mente divina vel mente ibidem illa vidente. Item, si prophete sciunt contingencia, vident eorum veritatem in mente divina, ut omittamus nunc reliquam partem divisionis.

Scimus autem quod contingencium non est sciencia per demonstracionem, quia non habent esse stabile in ordine causali creato. Verumptamen certius, vel ita certe ut sciuntur a mathematicis demonstrabilia, puto scitum fuisse a prophetis futura. Sed hec scire non possent nisi alicubi viderent eorum immutabilem veritatem. Et si alicubi eorum veritatem immutabilem vident, tunc etiam mutabilia et non scibilia sciunt. Cum autem mutabilia et contingencia in mente divina immutabilem habeant veritatem, si quis ad huius veritatis certam visionem ascenderit, mutabilia et contingencia certe prescit, et hic maxime propheta est. Hiis concordat Augustinus, in libro de Trinitate, 4, c. 14, “Nec isti philosophi ceteris meliores in illis summis eternisque racionibus contingencia contemplati sunt. Alioquin non eisudem generis preterita que potuerunt historice inquirerent, sed potius et futura prescissent. quod qui potuerunt ab illis vates, a nostris prophete appellati sunt.” [Augustinus, De Trinitate, 4, 16] Sed qui sic est prescians futura, scilicet contemplans ea in summis eternisque racionibus atque per hoc contemplans ipsam essenciam divinam, nonne necessariio in hora huiusmodi contemplacionis habet intencionem animi aversam a sensibus corporeis? Dicit enim Scriptura, “Non videbit me homo et vivet.” [Ex. 33:20] Et Augustinus, Super Genesim ad litteram ait, 12o, “In illa claritate speciei qua Deus est, nemo vivens in Israel sensibus Deum videt.” [cf. Augustinus, De Gen. ad litteram, 12, 27; ed., p. 422] Ut cum si in corpore anima existente viderit, non sit contra illud quod Dominus dicit Moysi, “Non videbit me homo et vivet.” [Ex. 33:20] Tunc enim non vivit homo, id est secundum sensuum corporis usum, sed ablati /93va/ est ei omnis sensus hominis, “quia necesse est abstrahi ab hac vita mentem, quando in illius ineffabilem visionis lucem assumitur. Et non sit incredibile quibusdam sanctis nondum ita defunctis, ut sepelienda remanerent corpora, etiam istam excellenciam visionis fuisse concessam.” [Augustinus, Epistola 147, 13; PL 44.305]

Item, idem, De Trinitate, 11o, loquens de aversione intencionis anime a corpore, sic ait, “Ex eodem genere affectionis est illud quod in sompnis per ymagines ludimur. Sed plurimum differt utrum sopitis sensibus corporis sicuti sunt dormiencium, aut ab interiori compage turbatis sicuti sunt furencium, aut alio quodam modo alienatis sicuti sunt divinancium aut prophetancium, animi intencio quadam necessitate incurrat, ut eas que occurrunt ymagines, sive ex memoria, sive ex aliqua alia occulta vi, per quasdam spiritualis mixturas similiter spiritualis substancie, aut sicut sanis et vigilantibus interdum contingit, ut cogitacione occupata se voluntas avertat a sensibus corporis atque informet animi aciem variis ymaginibus rerum sensibilium tanquam ipsa sensibilia senciantur.” [Augustinus, De Trinitate, 11, 4]

Ex hiis verbis Augustini habetur quod alienantur a sensibus corporis prophete, non solum cum ascendunt in visionem intellectualem qua videntur rationes eterne, sed etiam cum ascendunt in

visionem ymaginariam qua videntur ymagines signa futurorum. Sed sive semper alienentur a corporis sensibus cum rapiuntur in visionem ymaginariam prophetandi gracia, sive quandoque sic quandoque non, semper videntur necessario alienari cum rapiuntur in visionem intellectualem, ad quam raptus fuit Paulus cum archana vidit que non licuit homini loqui. [cf. 2 Cor. 12:4]

Quomodo enim minori quam se tota contueretur anima lumen immensum? Dum autem pars intencionis eius ad sensus vertitur, non tota ad ipsum convertitur. Sed cum revertitur animi intencio ad sensus corporis et ad usus sensuum, et deciderit contemplacio a visione immutabilis veritatis in racionibus eternis rerum mutabilium, numquid eciam tunc scit ipsa que scivit in ipso raptu? Numquid Paulus post raptum scivit ea que scivit in raptu? Si scivit, /93rb/ eorum veritatem immutabilem vidit. Sed si vidit eam in eternis racionibus in mente divina, ex predictis in raptu fuit, atque post raptum quando predicabat vel scripsit, vel tale quid egit, non fuit in raptu. Non igitur multa futura contingencia que scivit in raptu scivit post raptum, nisi alibi quam in mente divina contueretur immutabilem veritatem? Sed ubi alibi habuerunt invisibilem veritatem? Numquid in mente sua? Numquid sicut post visionem corporalem alicuius rei memoratur homo visionem suam preteritam que non est, sciensque memoriam visionis sue preterite scit se vidisse, et scit rem quam vidit fuisse? Sic Paulus post raptum retinuit in mente sua memoriam visionis intellectualis qua in raptu viderat archana, vidensque intellectualiter illam memoriam, sciensque illam esse, scivit visionem intellectualem memoria retentam fuisse. Sicque scivit ea esse vel fuisse vel fore que intellectualiter viderat.

Sed numquid potest plene quis memorari aliquorum visionem nisi memoria, aut intelligencia, aut alia vi apprehensiva apprehendat et ea que vidit? Si itaque Paulus post raptum memoratus est se vidisse in raptu aliquorum immutabilem veritatem in mente divina aliqua vi apprehensiva, tunc apprehendit eorundem incommutabilem veritatem. Sed hoc non videtur apprehendi nisi intelligencia et visione intellectualia, quam non habet homo de eternis racionibus in mente divina nisi in raptu mentis a corporis sensibus. Secundum hoc itaque non videtur Paulus scivisse post raptum que scivit in raptu.

An forte Paulus retinuit in memoria visionem incommutabilis veritatis quam viderat, non tamen cum memorabatur illam visionem apprehendebat veritatem visam sicut eam apprehenderat in raptu, sed per debiliorem apprehensionem, veluti apprehenditur a communiter colloquentibus, veluti cum dicit unus alteri, Antichristum fore, habet incommutabilem veritatem in mente divina. Non enim qui hunc sermonem audit vel dicit nichil apprehendit, nec ipsam veritatem quam apprehendit videt nude sicut eam Paulus in raptu. Sic itaque forte /93va/ in memoria Pauli fuit visio incommutabilis veritatis archanorum memorata absque nuda visione eiusdem veritatis, sciensque in se hanc memoriam, necessario scivit eciam archana que viderat, que in sui memoria habuerunt esse incommutabile per hoc quod eorum esse incommutabile viderat in mente divina. Et si quis videret oculo mentis clare mentem Pauli predicta memoria expresse formatam, puto eciam quod ille sciret eadem archana, licet posteriori et debiliori modo, ipseque decidens ab hac visione et retinens illam in memoria, adhuc per memoriam retentam eadem sciret, possetque tercius huius secundi memoriam contemplando eadem archana cognoscere.

Est itaque prophetia nobilior que rerum non habencium immutabilem veritatem in ordine causali creato videt visione intellectuali incommutabilem veritatem in racionibus eternis increatis. Consequenter post hanc est, que videt eam in mente creata tali visione actu formata, ut si quis vidisset mentem Pauli cum fuit Paulus in raptu, vel si quis videt nunc mentem angelicam formatam visione intellectuali qua videt actu in mente divina eternas et incommutabiles raciones rerum mutabilium. Tercium locum optinet archanorum sciencia, qualis fuit Pauli post raptum in habendo memoriam sue visionis intellectualis. Tamen que duorum ultimo dictarum scienciarum vel prescienciarum sit dignior non audeo temere asserere.

Possunt esse quarta et quinta quarum altera videt mentem videntem actu raciones eternas in mente divina, et reliqua mentem memorantem se vidisse actu raciones eternas in mente divina.

Possuntque consequenter esse que vident eiam mentes hiis ultimis modis formatas, et sic consequenter. Mentem autem hominis ascendere in speculationem mentis alterius create ut videat quibus affectibus vel aspectibus sit formata, non est munus hominum sed Dei, vel immediate, vel ministerio angelico. Ipse enim solus novit occulta cordium. [cf. 1 Cor. 14:25] Is itaque modus prophecie, si sit, Dei munus est. Quod si videret mens una in mente altera caritatem perfectam, nec tamen videret quibus aspectibus mens illa formata esset, diceretque cuius caritas videtur videnti eam aliquid non solum crederet dicto is cui diceretur, set /93vb/ sciret illud. Scit enim caritatem non mentiri, igitur scit esse verum quod ab ea asseritur. Igitur si antiqui patres, quibus apparuerunt angeli in subiectis corporibus et eiam Deus in subiecta cratura, sciverunt eos esse Deum vel angelos bonos, sciverunt eiam vel scire potuerunt ab illis sibi predicta, licet non rapti fuerint ut contemplarentur rationes predictorum sibi eternas in mente divina, vel aspectum earundem rationum in mente angelica, potuerunt ea scire hoc sillogismo: Quecumque loquitur caritas vera sunt. Hec loquitur caritas. Ergo hec vera sunt. Si enim scita sunt premissa in sillogismo, scita est conclusio. [econtrario MS] Maior autem huius sillogismi scita est diffinita caritate. Minor eiam scita fuit ab eis, si sciverunt loquentes sibi esse Deum vel angelos bonos. Sed unde hoc scire potuerunt? Maxime cum "Sathanas transfiguret se in angelum lucis," [2 Cor. 11:14] facitque signa exteriora vere vel fantastice similia angelis lucis, nisi munere spiritus mens rapta fuerit in visionem huius veritatis, scilicet apparentes sibi esse Deum vel angelos bonos. Numquid enim Gedeon, ex eo quod ignis ascendit de petra et consumpsit sacrificium suum et evanuit, quam viderat ab oculis eius itere scire potuit quod angelus Domini erat? [cf. Iud. 6 :1-22] Nonne sathanas permissus consimile signum potuit fecisse? Numquid non magis argumentum quam hoc signum sensibile petivit Gedeon cum dixit ei qui sibi apparuit et colloquebatur, "Si inveni gratiam coram te, da mihi signum quod tu sis qui loqueris ad me." [Iud. 6:17-18] An magis hoc petiit, ut ostenso sibi signo visibili, illuminaretur mens eius ad videndum signi veritatem, ac per hoc sciret ipsum esse qui loquebatur secum, quia hanc interiorum illuminationem non potest spiritus illusor facere? Signum enim infallibile quod is qui sibi apparebat fuit Deus in angelo per subiectam creaturam, non fuit ignis de petra egrediens carnes consumens, ipseque qui apparuerat evanescens, cum tanta et maiora signa fecerit et facturus sit sathanas. Sed hoc erat ei signum certum, scilicet quod is qui secum loquebatur mentem eius intus illuminavit ad videndum veritatem de misterio Christi futuram illo signo visibili presignificatam. Hoc signo itaque sciens apparentem /94ra/ sibi esse angelum, et Deum in angelo, scivit ex edicto angeli se liberatum Israel de manu Madian, eiam si non raptus fuerit ad [ab MS] hanc veritatem de liberatione per ipsum futura contuendum vel in rationibus eternis in mente divina vel in mente angelica ipsas eternas rationes contuente.

Hiis modis, nescio an et aliis, potest esse contingendum certa prescencia, que propheta proprie dicitur. Et hiis modis, vel omnibus, vel aliquibus, vel aliis si qui sunt quibus magis congruebat, revelavit Deus prophetis misteria salutis humani generis. Propheciam, namque esse, et si constet nobis auctoritate, potest eiam ratione ostendi paucis verbis immutatis de racionatione Stoicorum, que scribitur in Cithere, De divinacione, libro primo, qua nitebantur ostendere divinacionem esse, sompniantes a longe veritatem de excellencia prophetie hoc modo: Si Deus est, et non declarat hominibus que futura sunt, quorum cognicio eis est necessaria et utilis ad salutem, aut non diligit homines, aut quid eventurum sit ignorat, aut existimat nichil interesse hominum scire quid sit futurum sibi salutiferum, aut non censet esse magestatis presignare hominibus que sunt futura talia, aut ea ne ipse quidem Deus signare potest. At neque non nos diligit. Deus est enim beneficus, generique humano amicus. Neque ignorat ea que ab ipso consitutia et designata sunt; neque nostra nichil interest scire ea que futura sunt, maxime nobis salutifera vel quorum sciencia nobis est salubris; neque hoc alienum ducit maiestate sua. Nichil enim est beneficiencia prestancius. Neque non potest presignare hominibus futura. Non ergo est Deus et non declarat hominibus que futura sunt, maxime quorum sciencia est illis salutifera. Sed Deus est. Non ergo non declarat

hominibus etc. Ergo declarat hominibus que futura sunt, quorum sciencia est illis ad salutem necessaria. [cf. Cicero, De divinatione, 1, 38 (82-83)]

Racione hac satis evidenter ostenditur propheciam esse, et ex hoc et supradictis constat eam non esse hominis sed Dei munus. Licet autem contingencia cum fiunt presencia et transeundo per presens fiunt preterita, fiunt de contingentibus non contingencia, sed veritatem determinatam habencia, /94rb/ non tamen scibilia sunt human sciencia nisi sensitiva. Unde qui non senserunt illa cum fuerunt presencia, credere possunt hiis que ea senserunt, sive narrantibus sive scribentibus. Scire autem ea non possunt nisi aliquo modorum quo presciri potuerunt futura. Unde presencium et preteriorum que sunt de genere contingencium non apprehensorum per sensum, non est certa sciencia nisi propheciam. Et qui ea non per sensum certe sciunt, prophete sunt, sciuntque ea non alio modo quam presciuntur futura. Propter tamen consignacionem prioritatis sciencie ad eventum rei, familiaris dicitur propheciam futurorum quam aliorum.

Necessaria autem et per demonstracionem scibilia, licet sciri possunt investigacione humana, nichil impedit quin possint eciam sciri per modum illum quo sciuntur a prophetis ea que sunt de genere contingencium, ut per contemplacionem visione intellectuali eternarum rationum in mente divina, aut per contemplacionem mentis mediate vel immediate contemplantis eternas raciones in mente divina. Unde si quis non per demonstracionem, sed sic sciret illa que sunt demonstrabilia, sic ea sciendo haberet spiritum propheciam, vel saltem talem cognicionem qualis habetur per spiritum propheciam.

Numquid autem veri prophete, mali tamen homines, ut Balaam, [cf. Num. 22] viderunt rerum futurarum veritatem incommutabilem intellectuali visione in racionibus sempiternis in mente divina, cum scriptum sit, "Tollatur impius ne videat gloriam Dei," [cf. Is. 26:10] et alibi, "Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt?" [Mt. 5:8] An forte non ad hanc excellenciam precognicionis admissus est Balaam vel tales, sed ad contemplandum mentem angelicam tali precognicione et visione informatam. Vel forte nec adhuc ad tantam excellenciam proventus erat, sed ad hoc erat elevata mens eius ut vere contueretur quod angelus bonus erat qui secum loquebatur, ac per hoc sciebat sillogistice, cum caritas non menciatur, vera esse que sibi dicebat angelus, et Deum loqui in angelo. Pseudo autem prophete non presciunt ea que predicunt, sicut nec demones prescii sunt futurorum, sed solum de hiis conviciunt [sic] variis modis quos aperit Augustinus [angelus MS] in libro /94va/ De divinationibus demonum. [cf. Augustinus, De divinatione daemonum, 6] Et sepius falluntur, sed instinctu demonum et superbia presumpcione futura predicunt, et forte plerumque superbia excecati putant se prescire certe quod nesciunt. Quorum differenciam ad veros prophetas ostendit Dominus in Deuteronomio 18o, ita loquens, "Propheta autem qui arrogancia depravatus voluerit loqui in nomine meo, que ego non precipi [precipio MS] illi ut diceret, aut ex nomine deorum aliorum, interficietur." [Deut. 18:20] Ecce verus propheta non loquitur nisi que precipit Dominus, falsus autem loquitur ad que propellit eum arrogancia.

Cum autem non sit vel fuerit unquam salus sine fide mediatoris, semperque fuerunt salvandi, oportuit ab inicio prophetas esse mediatorum nostri misterium prescientes et predicentes, quorum dictis crederetur et formaretur fides eiusdem misterii. Ut autem pretactum est, veri prophete mentis intelligencia veritatem eorum que predicant attingunt. Unde Augustinus, Super Genesim ad litteram 12, "Quidam sano et integro corpore a spiritu in alienacionem rapiuntur, sive ita ut per sensus corporis corpora videant et in spiritu que similia, que a corporibus non discernant, sive penitus avertantur a sensibus carnis et nichil per eos omnino sencientes illi spirituali visione habitent in similitudinibus corporum. Sed cum malus in hec arripuerit spiritus, aut demoniacos facit, aut arepticios, aut falsos prophetas. Cum autem bonus, fideles misteria loquentes aut accedente eciam intelligencia veros prophetas aut ad tempus quod per eos oportet ostendi videntes atque narrantes." [Augustinus, De Gen. ad lit., 12, 19; p. 407]

Item, in eodem, "Quibus signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium ut eciam intelligerentur, nondum erat propheciam, magisque



[quod] propheta erat qui interpretabatur quod alius vidisset quam ille qui vidisset. Unde apparet magis ad mentem pertinere prophetiam quam ad spiritum, qui est vis anime mente inferior ubi corporalium rerum similitudines exprimuntur. Itaque magis Ioseph propheta, qui intellexit quid significarent septem spice et septem boves, quam Pharaon, qui videt in sompnis. Illius enim spiritus informatus est ut videret, huius mens illuminata ut intelligeret. Ac per hoc in illo erat lingua, in isto propheta, quia in illo rerum ymaginatio, in isto ymaginacionum interpretacio. Minus ergo propheta qui rerum que significantur sola ipsa signa in spiritu per rerum corporalium /94vb/ ymagines videt, et magis propheta que solo earum intellectu peditus est. Sed et maxime propheta qui utrumque precellit, ut et videat in spiritu corporalium rerum significativas similitudines, et eas vivacitate mentis intelligat, sicut Danielis excellencia temptata est et probata, qui regi et sompnium quod viderat dixit, et quid significaret aperuit. Et ipse quippe ymagines corporalis in spiritu eius expresse sunt et earum intellectus revelatus in mente." [Augustinus, De Gen. ad lit., 12, 9; p. 391]

Ex hiis patet quod non dicitur propheta nisi minus proprie alius quam qui veritatem mentis intelligit vivacitate. Contra hoc autem quod hic dicitur maxime esse propheta qui utrumque precellit, videtur innui in prohemio Psalmorum, dicendum scilicet maxime esse propheta sola qui mente sine ymaginibus in spiritu expressis veritatem vidit quam prophetavit. [source?] Ad hoc dicendum videtur quod qui et mente contuetur veritatem, et similitudines significativas habet in spiritu expressas, magis est propheta eo qui solo earum intellectu peditus est, non quia in celsiori gradu prophetie consistit, sed quia cum in eque alto habet aliquid amplius prophetie annexum.

Magis ergo propheta et excellencior a participacione pluris, non gradus alcioris. Si vero quis egerit significativis similitudinibus expressis in spiritu ut per illas quasi per scalam ascendat ad intelligenciam veritatis, minus propheta est quam qui talibus non eget adminuculus. Si vero non egens talibus adminuculis ad contuendam veritatem vivacitate mentis, corporales tantum significativas similitudines ob aliam aliquam utilitatem habeat expressas in spiritu, non ideo minus propheta est, sed magis, ex intellectu supradicto.

In propheta autem comminacionis est sermo non simpliciter assertivus ei rei quam comminatur, sed eius intelligencie secundum quam adimplebitur. Quod potest intelligi exemplo communiter colloquencium. Esto enim quod videam aliquem sedentem super struem combustibilem, accendaturque strues eo ignorante supersedente, qui autem, si non se ammoveat, comburetur. Nonne volens illum premunire de periculo iminenti clamabo ad eum "ardebis iam, ardebis iam," quem tamen scio non arsurum si se vellet amovere, et scio arsurum nisi se ammoveat? Affirmo itaque predicatum de subiecto [obiecto MS] non simpliciter, sed manente in /95ra/ statu in quo est, utpote perseverante in sessione super struem accensam, et non affirmo illud de eo absque perseverancia in sessione. Ipsam autem perseverancia in sessione nec affirmo, nec nego, quia posita est in libero arbitrio sedentis. Similiter, si videro servum meum deliquisse, vellemque ut peteret veniam pro delicto, et dispono punire eum si non petat veniam, et parcere si petat, quasi commonens eum ad petendum veniam dico ego, "Scorpionibus te cedam," affirmans predicatum de subiecto pertinaci in delicto, non de eo qui deliquit. Ipsam autem pertinaciam in delicto neque affirmo, neque abnego a subiecto, sed relinquo illud in eius libero arbitrio. Unde sive futurum sit quod comminor sive non, nichil minus verus est sermo meus comminatorius. Si enim mutet pertinaciam in delicto, ei mutato nichil pene comminatus sum. Unde licet non cedam illum, falsus non sum, ymmo magis falsus essem si illum cederem, quia hac intencione comminatus sum, ut mutatum non cederem.

Hoc modo sermo quem proferebat Ionas ad Ninivitas non fuit affirmans subversionem corporalem eorum hominum, sed illorum hominum pertinaciam et perduranciam in malicia sua. [cf. Ionas 3-4] Ipsam autem perduracionem in malicia non affirmabat, sed hoc relinquebatur eorum libero arbitrio. Unde si perdurassent in malicia sua, subversi fuissent corporaliter et verus fuisset sermo. Cum vero non perduraverunt in malicia, sed se mutaverunt in melius, tum de illis commutatis in bonum nullam corporalem subversionem affirmabat sermo ille. Licet illis non evenerit corporalis

subversio, nulla subfuit in sermone illo falsitatis significatio. Affirmabat ergo sermo ille propheticus, quantum fuit in signatione illius sermonis, spiritualem subversionem in illis hominibus que futura fuit, et corporalem subversionem non de hominibus sed de pertinacibus in malicia, quam pertinaciam tamen non affirmabat de illis. Si autem corporalem subversionem de hominibus asservisset sermo falsus fuisset. Sed que fuit assertio prophete proferentis illum sermonem ex continencia litere illius prophete, videtur non asservisse intellectum spirituale, et constat quod intellectum falsum literalem non asseruit. Asseruit igitur intellectum literalem verum, scilicet subversionem literalem de pertinacibus, pertinaciam /95rb/ tamen non asserendo.

Et videtur quod per spiritum prophete elevata fuerit mens eius ad videndum veritatem sensus illius litteralis, sed non manifestata fuerat ei veritas intelligencie spiritualis nec veritas huius, an permansuri essent pertinaces in malicia. Vel nulla veritas determinata illius sermonis illi fuit manifestata, sed solum scivit loquentem ad se et prophetare iubentem Deum esse. Ac per hoc veridicum, et ita sermonem illum esse verum, licet lateret illum veritas quam determinate prenunciavit.

#### Dictum 114

Quod iuste falluntur magi

Qui a veritate recedit ad Fallaciam artium magicarum dignum est ut, a veritate desertus, permittatur falli. Non autem falleretur nisi proveniret aliquociens quod per illas artes putat eventurum. Si enim numquam proveniret, purgaretur ab errore quo credit illis artibus fallacibus. Unde magna est Domini misericordia, cum non sinit pervenire quod per illas speratur proventurum.

Cum vero aliquociens provenit, firmatur error quo eis creditur. Si autem semper proveniret quod per eas creditur eventurum, vere artes essent et non fallaces. Sed quia fallaces sunt, necesse est ut aliquando non proveniat quod ab eis speratur. Sicque prius fallunt errorem false credulitatis inducendo vel firmando, et tandem fallunt eventum quem promittunt et qui speratur non solvendo. Sicque iusto iudicio a veritate recedentes et ad fallacia confugientes continue falluntur, nisi Domini misericordia eventus speratos inprimis tollat, et sic ab errore fallacie revocet.

#### Dictum 115

Qualiter conventualis congregacio est arbor

Quelibet bona congregacio conventualis arbori bone assimilari potest, in qua cognicio et voluntas abbatis est sicut medium et cor arboris. Protensio vero cognicionis et voluntatis vel amoris sui in regulas ordinantes vitam religiosam est sicut protensio radicum in terram. Cuiuslibet enim regule cognicio et amor est sicut radix una. Ipsa autem descriptio omnium regularum in veritate eterna ubi videntur et amantur est sicut terra in qua radices figuntur. Amor vero regendi se per regulas has est sicut vis attractiva nutrimenti per radices de terra. Amor vero regendi sibi subditos per easdem regulas est /95va/ sicut transmissio nutrimenti attracti a corde arboris et stipite usque ad ramos. Amor vero in subdito quo vult regi per easdem regulas ab abbate est sicut in ramo attractiva vis nutrimenti et stipite. Subditus vero qui vult regi per dictas regulas non mediante abbate est sicut si ramus vellet attrahere nutrimentum a terra non mediante stipite.

Sic omnes fideles cum capite suo Christo sunt arbor una. Sic etiam quicumque prelati bonus cum sibi subditis arbor bona, malus vero cum malis subditis arbor mala, que excidetur et in ignem mittetur. [cf. Mt. 3:10, etc.]

## Dictum 116

An exequie et sepulcrorum constructio prosunt defunctis

Exequie et sepulcrorum constructio non prosunt defunctis, ut scribitur in glossa super epistolam primam ad Thessalonicenses. [chk Glossa ord. in 1 Thess.???] Sed contra, ibidem dicitur hec esse opera bona et laudabilia, ex caritate itaque facta sunt meritoria. [chk. Glossa ord. in 1 Thess.???] Sed si sint meritoria facientibus illa, et ab eisdem intendatur ea fieri pro defunctis ut ipsorum fidelium defunctorum minoretur et relaxetur pena purgatorii, cur non prosunt defunctis sicut cetera opera meritoria pro eisdem facta? Numquid exequie et sepulcrorum edificatio eis facta eis non prosunt, et tamen pro eis facta eis prosunt, velud si aliquis edificaret domum defuncto hoc nichil ei prodesset, et tamen si edificaret eam pro defuncto ei prodesset? Numquid predicta sic facta velud honori et veneracioni defunctorum eis non prosunt, si ex caritate tamen fiant pro eis, prosunt eis sicut cetera opera misericordie?

An hec fuit intencio Augustini, dicentis quod hec non sunt mortuorum adiutoria, scilicet quod facta non pro eis, sed eis quemadmodum solent honores exhiberi et fieri amicis? Sic inquam facta eis non sunt defunctorum adiutoria, sed solum vivorum solacia. Si tamen ex caritate fiant, velud misericordie opera, et intendatur a facientibus eadem fieri non honori defunctorum sed pro defunctis prosunt illis. [cf. Augustinus, Sermo 172; PL 38.936] Non est adhuc mihi valde clarum an hoc eciam quod pro defunctis facta predicta eos non iuvent intenderit Augustinus. Numquid enim opus meritorium potest pro defunctis fieri et eos iuvare, utpote si intendam ut omnia opera mea meritoria fiant pro aliquo defuncto, oremque ex caritate Deum pro salute mea, numquid hec oracio prodest illi defuncto?

Item, si dem elemosinam alicui pauperi, et intendam eam dare pro eodem paupere, numquid pro se /95vb/ sibi ipsi potest dari, et illum spiritualiter iuvare? Similiter sepulcra defunctis facta, numquid pro eisdem fieri possunt?

## Dictum 117

Per quas proprietates lapis signat Christum

Item est lapis in terra quod os in carne, stabilimentum scilicet et firmitas eius ut non distrahatur tractu fluminum aut impetu ventorum, quod forte non tacuit poeta cum dixit, "Lapides in corpore terre ossa reor dici." [Ovid, Metamorphoses, 1, xxx]

Terrenitatis et fragilitatis humani generis firmitas et soliditas est Christus, quo firmante et solidante terram humani generis in appropinquantibus ad ipsum et adherentibus ipsi non distrahitur hec terra fluxu voluptatum aut vento pravaram suggestionum.

In campo arato et nudato virore feni, lapis protegit terram a solis adustione, conservans in ea humorem aptum frugibus nutriendum. Sic in terra cordis nostri, reversa ab inferioribus ad superiora, et nudata virore iocunditatis in prosperitate temporalium, protegit fides et amor lesu Christi ne uredine tribulacionum aut concupiscenciarum pravaram siccetur humor gracie, sed conservetur ad nutrimentum frugis virtutum.

Quidam autem lapides ex luto unctuosum et calore solis operante gignuntur. Caro beate Virginis quia caro terra, et quia humore gracie plena lutum, quia lutum terra est humorosa, et quia plena pinguedine caritatis et oleo misericordie lutum unctuosum. De hoc luto unctuosum et maxime ingenuo operante Spiritu sancto scilicet qui est amor Patris et Filii, quasi solis calore factus est lapis iste.

Gignuntur eciam quidem lapides ex aqua per congelacionem, sicut cristallus ex aqua congelata, ob defectum caloris penitus. Caro autem hominis mortalis, propter continuum fluxum, quia nunquam in eodem statu permanet, aque comparatur. Unde et caro beate Virginis aqua dici

potuit, sed limpidissima. Huius aque congelatio fuit omnis concupiscencie et fomitis in ea extinctio. De hac aqua congelata factus est Christus lapis ob defectum caloris penitus, quia in eo non fuit aliquando ardor concupiscencie ullus. Si in crystallo remaneret aliquid caloris, esset in igne solubilis. Sed hii in quibus remanet fomes peccati solvuntur sepe in camino temptacionis. /96ra/ In beata Virgine post annunciacionem nichil remansit fomitis. In Christo nunquam fuit aliquid fomitis. Et ideo in camino temptacionis penitus fuit insolubilis.

Lapis sub malleo non est ductibilis neque figurabilis. Neque in Christo erat aliquid formabile, cum a principio conceptionis eciam secundum humanam naturam habuit plenitudinem scienciarum et carsimatum. Lapidem autem quidem sub malleo franguntur. Sed ipse est lapis adamantinus, sive ictibus omnimodis invicta gelacia gemma.

In huius lapidis rectitudinem et planiciem offendit tortuositas et asperitas pravorum. Ipse est enim "lapis offensionis et petra scandali, hiis qui offendunt in verbo." [1 Petr. 2:8] De hac offensione dicit Augustinus, libro Confessionum 5, "Fugerunt ut non viderent te videntem se atque execrati in te offenderent, quia non deseris aliquid eorum que fecisti, in te offenderunt iniusti, ut et iuste vexarentur subtrahentes se lenitati tue et offendentes in rectitudinem tuam et cadentes in asperitatem tuam." [suam MS] [Augustinus, Liber confessionum, 5, 2] Cum enim voluntate distorta et iniqua se iungit se homo a voluntatis Dei rectitudine statim eadem distorcione offendit in equitatem eius vindicte.

Terra autem pura lapis non fit, et Christus non est purus homo, sed Deus et homo. De lapide percusso ignis exilit, et de Christo percusso in passione emicuit splendor divinitatis. Per passionem enim patuit ipsum esse Deum, et de isto lapide sternitur via in celum. Hic est lapis vivis, summus angularis, probatus, electus, preciosus, in fundamento spiritualis edificii positus superedificatos lapides vivificans, [cf. 1 Petr. 2:4-6] "abscisus de monte sine manibus," [Dan. 2:45] oleo superfuso in titulum erectus, [cf. Gen. 28:18] lassus super se repansantibus vires reparans, [cf. Ex. 17:12] lapis adiutorii, [1 Sam. 4:1] lapis mundus et candidus quo vestiuntur angeli, [cf. Apoc. 15:6] at tactu suo labia mundificans et iniquitatem auferens. [cf. Is. 6:7] Hic lapis est lumen Iherusalem, "simile lapidi precioso tanquam iaspidis sicut cristallum." [Apoc. 21:11] Est hic lapis primarius septem oculis insignitus. [cf. Zach. 3:9] Hic est lapis que Goliath occubuit percussus. [cf. 1 Sam. 17:49]

Laudabilis itaque est lapis iste a dignitate, quia primarius ab origine, quia prescisus a monte sine manibus ab electore, quia a Deo probatus, electus, /96rb/ et honorificatus a propria qualitate, quia in se vivens et lucens a virtute, quia sua vita mortuos suscitavit et vivificavit, sua luce tenebras fugat, immunda mundificat, iniquitatem purgat, et eloquenciam prestat, lassos refocillat et vires eorum reparat, virtutem in bello prestat, more lapidem lakimici attactu suo omnia metalla in aurum convertit, ab utilitate quia lapis in fundamento ponendus super quem edificata domus a flumine et flatu non potest concuti, in titulum erigendus ad nostri gloriam et inimicorum confusioem inimicos prosternit, nuditatem vestit, capudque coronat.

Lapidis itaque mercator est qui, hac preciosa margarita inventa, dat omnia sua et comparat eam. [cf. Mt. 13:46]

Dictum 118

De contexione quorum<dam> retium

Omnis sciencia sillogistica est, sicut rethe contextum secundum figuras triangulas. Omnis enim sillogismus per modum trianguli figuratur, ut patet per Aristotelem, Libro priorum. [Aristoteles, Prior Analytics ???] Ubi autem possunt plures termini ordinari hinc inde e regione se respicientes collati adinvicem secundum operationes ordinatas, contextitur rethe sicut in inferiori pagina, [no drawing provided in MS] et sicut Aristoteles contexitur figuram invencionis medii in Libro Priorum. Ubi vero sunt rethe universales, sub quibus sumuntur rethe particulares, subiectum scilicet sub

subiecto, et predicatum sub predicato, fit textura quasi ex quadrangulis, ut subiecta manifestat descriptio. In hac itaque descriptioe quasi notus quidem est cuiuslibet secundi termini replicatio ut subiciatur tercio. Quis enim non videt quam mirabiles et subtiles sunt texture in figuris scienciarum mathematicarum, utpote in figuris arsmetricis, quomodo ibi ex triangulis gignuntur quadranguli, et ex hiis pentagoni, et sic consequenter figure ceterae. Universitas etiam naturarum figuris triangularibus sillogisticis contexta et ad invicem connexa est. Unde formale (?) non inmerito dicebatur a quibusdam triangulos esse principia omnium, non quod trianguli corporales hec essent, sed sillogistice triangulares et naturales connexiones.

Patenter namque propter similitudinem texture retine omnis sciencia reti potest comparari. Sed cum omnis res duplicem habeat perfectionem, primam scilicet que est forma eius, et secundum que est operatio propter quam res facta est. Retis autem /96va/ prima perfectio fit ipsa figuralis contextio, secunda vero piscium ex aqua extractio. Omnes sciencie mundane retia sunt solum propter similitudinem perfectionis prime, scilicet texture. Sola vero theologia retis habet similitudinem propter utramque retis perfectionem. Hec enim sola de fluctibus mundane mutabilitatis homines quasi pisces extrahit in siccum eterne stabilitatis.

Retia autem mundanarum scienciarum de aquis mundane mutabilitatis numquam sursum emergunt, sed captos in eis pisces aut deorsum amplius mergunt, aut detinent in equilibrium [? acra liberum MS] emergant.(?) Mundane namque sciencie que trahunt hominem ut vivat secundum illud quod sub se est, id est secundum appetitus carnis, bestiales sunt, sicut retia deorsum mergencia. Ille vero sciencie que docent hominem vivere secundum illud quod sibi compar est, hoc est secundum hominem, id est secundum humanam rationem, sunt sicut retia equilibratim in aqua fluctantia. In priori rethe captus fuit Epicurus, in secundo Diogenes. Sola autem theologia docet hominem vivere secundum illud quod super se est, id est secundum Deum. Qui igitur vivit secundum illud quod sub se est, in aquis mutabilitatis submergitur. Qui vero vivit secundum hominem, id est secundum humanam rationem, nondum de aquis mutabilitatis emersit. Qui autem vivit secundum Deum, vivit secundum illud quod incommutabile est, et aquas mutabilitatis in tantum excessit in quantum secundum <Deum> vivit.

Branchia autem qua piscis in hoc rethe capitur et tenetur est amor Verbi. Pisces autem isti spirituales, extracti de aquis mundanis, moriuntur vite aquatili, hoc est fluide carnali, et melius vivant vita celesti. Differt captura piscium spiritualium a captura piscium carnalium quod pisces carnales melius capiuntur in tenebris, quia non sponte intrant in retia, sed visa ea refugiunt. Hii vero pisces spirituales in rethe Verbi Dei non capiuntur nisi sponte, quantoque clarius videtur rethe Verbi Dei in luce bonorum operum, tanto libencius se inmittit piscis spiritalis ut capiatur. Mittunt ergo predicatorum hoc rethe in mare cum Petro [cf. Luc. 5:4] cum mundialibus verbum predicant. Trahunt rethe ad terram cum que predicaverint opere complent.

Ymaginemur iterum duo retia e regione posita, rethe scilicet Petri, et rete diaboli. /96vb/ Ymaginemurque pisces multos captos in rethe diaboli. Hii ergo sono tonitruorum [contorum MS] terrendi sunt ut rumpant rethe diaboli, quod fragile est, et approximant rethe Petri, ipsoque terrore comutent voluntatem suam, ut liberati a rethe diaboli, sponte intrent in rethe Petri. Soni autem contorum sunt comminationes penarum iehennalium. Terrificus sonus tonitruum [conti MS] est, "servus sciens voluntatem Domini, et non faciens vapulabit multis." [Luc. 12:47] Item, "Proicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dencium." [Mt. 8:12] Et, "Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium," [Iob. 24:19] et cetera talia. Piscis vero qui terrore talium sonorum non rumpit rethe diaboli tandem conteretur a pulsu tonitruum. [conti MS] Conterentur autem mali pisces a tonitro [conto MS] cum audient, "Ite maledicti in ignem eternum." [Mt. 25:41]

Item, ipsius rethe diaboli asperitas debet stimulare pisces quos tenet ad rumpendum se. Ipsum autem rethe urit ira quos tenet, exagitat furibunda libidine, vindicte invidia corrodit, tabescereque et linire facit spinis solitudinum et aculeis timoris pungit. Econtrario, rethe Petri sua

pulcritudine et suavitate eosdem pisces debet allicere. Nec tam retis pulcritudine debent allici quam ipsius terre stabilitate et aieris lumine ad que de vagitate et tenebris fluminis attrahentur.

Dictum 119

De cruce

Crux Domini nostri Iesu Christi signum appellatur frequenter in scriptura, quia preter figuram suam visibilem, quam visui corporali ostendit, aliud intellectui speculandum relinquit. Hoc enim est signum quod offert se sensui, aliud derelinquens intellectum.

Figura itaque crucis corporalis, que est intersectio duarum linearum rectorum orthogonaliter se intersecantium, multiplices figuraciones spirituales in crucis formam spiritualiter formatas nostro intellectui innuit intelligendas. Innuit enim nobis crucem intelligibilem in affectione Christi hominis, et crucem intelligibilem in nostro affectu per crucem reformato. Innuit etiam nobis omnes creaturas, exceptis demonibus et hominibus perpetuo dampnatis, renovatas et melioratas, quarum quelibet gerit in se /97ra/ figuram crucis corporalem, aut spiritualem, aut utramque. Innuit etiam nobis sua figura demones per eam esse transfixos. In cruce namque corporali ab uno puncto quod est in medio quattuor vie procedunt: Una versus sursum, alia deorsum, tertia et quarta in dextrum et sinistrum. Huic medio puncto comparatur voluntas in anima Christi hominis, a qua, sicut a puncto medio, versus sursum tendit amor Dei Patris et totius Trinitatis, que tota superior est Christo homine. Ipse namque secundum homo quod homo, inferior est Patri et Spiritu Sancto et seipso secundum quod ipse est Deus.

Amor igitur Trinitatis in Christo homine est sicut linea crucis que a medio puncto sursum tendit. Amor vero Christi hominis, quo dilexit et diligit angelos bonas et homines se diligentes, est sicut linea que a medio crucis vadit dextrorsum. Licet enim Christus homo super omnem creaturam exaltetur, tamen propter naturam humanitatis nostre quam pro nobis suscepit et habet cum hominibus communem, quasi collateralis eius homo dici potest, et amor a voluntate eius protensus ad homines, lineas in collateralia protensus potest comparari.

Ipse etiam nomine relativo equiparantie se nominat, ut cum se dicit nostrum proximum, et nos fratres suos nominat. Amor itaque Christi hominis protensus in diligentes se est quasi brachium crucis dextrum. Amor vero eius extensus ad odientes se est velud brachium sinistrum crucis. Amor quo ceterarum creaturarum irrationabilium, que omnes sunt inferiores humana natura, et odium viciorum, sunt sicut linea crucis que tendit se deorsum.

Hec itaque est crux spiritualis in Christo homine signata per crucem corporalem, in qua ipse Deus et homo passus est, ut crucem consimilem in nostris affectibus reformaret. Est autem in nobis hec crux reformata per crucem Christi, cum Deum, qui supra nos est, super omnia diligimus; cum proximos bonis, quasi a dextris, et inimicos quasi a sinistris, existentes [? exuntes MS] quasi nosmetipsos amamus; cum creaturas ceteras nobis inferiores ordinate amore diligimus, in tantum scilicet in quantum sunt nobis iuvamentum ad Deum cognoscendum, diligendum, et laudandum, et cum vicia detestamur.

Cum autem iste quadrificus amor in homine /97rb/ perversus est et inordinatus, crux spiritualis in ipso confringitur et deformatur. Cum enim non diligit Deum super omnia, linea crucis sursum tendens est confracta. Cum vero amicos et inimicos quis non diligit affectu caritatis sicut seipsum, sed hos libidinose amat et illos odit, brachia crucis lateralia in eo violantur. Similiter cum hiis creaturis inferioribus illicito adheret amore, nec vicia odit, pars crucis que tendit deorsum in ipso confringitur et deformatur. Reparatur autem et reformetur hec crux spiritualis in homine cum per fidem et virtutem crucis Christi quadrificus amor ordinate sursum erigitur in Deum, utrimque extenditur ad amicos et inimicos, deorsum demittitur ad creaturas ceteras ordinate amandas et ad vicia que merito sunt detestanda.

Et quo conveniencius est istam crucem spiritualem reparari et reformari quam per crucem? Preter hec, brachiorum et manuum expansio tum signat animi affectionem vehementer gaudentis, tum etiam signum est affectuose invitantis. In hiis namque affectionibus brachia et manus in latum distendere consuevimus. Harum trium affectionum signum fuit in Christo brachiorum et manuum in ligno crucis transversali expansio. Ipsa namque brachiorum et manuum expansione palam monstrabat quanto gaudio amicos suos de carcere inferni iam liberatos excipiebat, quantum pro incredulis et ad eum venire renuentibus dolebat, quanta affectione nos ad cenam magnam invitabat. Ad hec lignum crucis quod sursum tendit; columpna est que sustinet celum, ecclesiam scilicet triumphantem. Lignum transversatile quasi duobus brachiis sursum levat ecclesiam militantem. Lignum quod deorsum tendit, quasi veru est, quod transfigit et confodit tortuosum serpentem, et predam quam devorarat evomere cogit et refundere. Crux igitur Christi sustentat celestia, sursum levat terrestria, deorsum premit inferna Item, quattuor partes crucis ad unum punctum medium concurrentes signant quod a quattuor partibus mundi concurrunt gencium diversitates in unitatem fidei, caritatis, et laudis Dei. Est itaque crux adunacio quattuor parcium mundi in unitatem fidei, dilectionis, et laudis.

Ceterum, /97va/ crux per quattuor partes suas innuit nobis omnia genera creaturarum per ipsam renovata esse et meliorata. Que omnia inquam genera per quattuor species comprehenduntur, que sunt esse, vivere, sentire, et intelligere, quarum quattuor, esse est in imo, sentire et vivere hinc inde in duobus brachiis lateralibus, intelligere in supremo.

Preterea, in quattuor partibus crucis renovatur et melioratur hic mundus sensibilis, qui ex quattuor constat elementis, et per quattuor anni tempora decurrit, quorum ignis et estas quasi crucis tenent suppreum, aier et ver quasi brachium dextrum, autumpnus et aqua quasi brachium sinistrum, terra et hiemps quasi crucis infimum.

Sed forte movebit aliquem quod dicimus irrationabilia et inanimata per crucem renovari et meliorari. Non enim videntur lapides per crucem esse renovati aut aliquid melioracionis per crucem habere. Sed si consideremus quod omnia ista visibilia propter hominem facta sunt, ut leniter ministrarent et beneficerent homini subdito Deo, et per cor et os hominis creatorem agnoscentis et diligentis ista etiam visibilia creatorem suum laudarent, patebit nobis quod in peccato hominis ista visibilia executionem operis finalis propter quod facta sunt amiserunt. Cum enim homo peccans iam non fuerit Deo obediens, nec ipsum summe diligens, creatura corporalis iam non potuit servire homini obedienti Deo quia homo non fuit obediens Deo, nec per cor et os hominis inobedientis Deo, ipsum non digne laudantes, potuit creatorem suum laudare. Igitur in lapsu hominis amisit creatura visibilis suam secundum perfectionem, hoc est leniter ministrare et servire homini obedienti Deo, et per cor et os eius creatorem laudare. Et versa est homini inobedienti in flagellum et sepe in blasphemiam, que creata fuit ut obedienti esset in lene ministerium et laudem, sicut testatur Scriptura dicens, "Creatura tua tibi factori serviens excandescit in tormentum adversum iniustos et lenior fit ad benefaciendum pro hiis que in te confidunt." [Sap. 16:24] Et iterum, eadem Scriptura ait, "Pugnabit pro illo orbis terrarum contra insensatos." [Sap. 5:21] Omnis autem res melior est cum est in sua secunda perfectione quam cum caret illa. Res autem corporales visibiles, ut iam patet, /97vb/ sua secunda perfectione caruerunt per lapsum hominis primi, et semper ea caruissent nisi reformaretur homo et fieret obediens Deo. Aliter enim non possent iste creature leniter benefacere obedienti homini Deo, et per cor et os hominis Deum laudantis creatorem laudare.

Reformatur autem homo et fit obediens Deo per crucem. Reducuntur ergo res iste visibiles in suam secundam perfectionem per crucem. Patenter igitur omnia renovantur et meliorantur per crucem, et forte non solum per reductionem ad secundum perfectionem suam melioratur status istorum visibilium per crucem, sed etiam sicut omnes iste res corporales deteriorabantur in se ipsis in lapsu hominis, sic per crucem meliorabuntur cum fiet celum novum et terra nova. Nec hoc dico asserendo quod tunc erunt omnes species corporales que nunc sunt, sed cum non redeant in

nichilum earundem materia, tunc erit secundum se nobilior quam nunc est dum subiacet hiis corrupcionibus.

Item, Dominus noster Iesus Christus in hunc mundum venit ut tam verbo quam vite exemplo vitam rectam nos doceret, et eam non esse deserendam alicuius pene aut alicuius generis penarum timore. Ut igitur in eius exemplo disceremus rectitudinem vite et iusticiam nullius pene vel generis penarum timore metu esse deserendam sed per rectitudinem vite servandam, quamvis gravem penam et quodvis genus pene nos debere subire, decuit ut ipse pro rectitudine vite servanda acerbissimam subiret penam, hoc est mortem. Si enim ipse pro iusticia servanda penam aliquam subisset minorem et non gravissimam, non docuisset nos exemplo suo quamlibet gravem penam pro iusticia servanda tolleranda. Propterea, cum multi sunt qui plus abhorrent ignominiosum genus mortis quam ipsam mortem, ut nos doceret nec genus aliquod mortis pro iusticia servanda fugiendum, decuit ipsum pro iusticia et veritate servanda genus mortis maxime ignominiosum sponte subire. Patibulum autem crucis eo tempore erat maxime ignominiosum, quia in eo sceleratissimi condempnabantur. Decuit igitur ipsum in patibulo crucis mori, et quia ignominiam condempnatorum auget locus celebris in quo condempnantur concursus multitudinis /98ra/ populi concurrentium noticia, et exprobatio patria propria et propinquorum puericia. Decuit ipsum mori in crucis patibulo erecto in loco celeberrimo, populi multitudine concurrente, que venerat ad diem festum. Crucifixum ipsum agnoscente in properiis ipsum insultante in patria propria propinquis astantibus ad spectaculum.

Sed potest movere aliquem cur crux tunc erat patibulum ignominiosum? Forte namque quod non semper ante ea fuerat hoc genus ignominiosissimum, sicut neque nunc sceleratissimi in cruce condempnantur, nisi forte quis vocet crucem a cruciatu omne patibulum, sed nos hic vocamus crucem non omne patibulum, sed id solum quod fit ex duobus lignis quorum alterum coniungitur reliquo secundum figuram duorum linearum orthogonaliter se intersecantium.

Ista autem dubitatio, sine preiudicio melioris sentencie, sic michi videtur posse absolvi. Ut iam patuit, decuit doctorem summum iustum pro iusticia servanda mori morte et genere mortis ignominiosissimus. Decuit etiam ut eius patibulum in quo moreretur esset lignum, ut qui in ligno vincebat, scilicet diabolus, in ligno quoque vinceretur. [cf. Apoc. 2:7] Et ut genus humanum, quod cecidit per voluptatem in ligno, [cf. Gen. 3] repararetur per acerbicatem in ligno. Sed cum possit intellegi et esse patibulum ligni multiplicis alterius figure quam crucis, decuit tamen potius ut esset figuratum patibulum reparacionis nostre secundum formam crucis quam secundum aliam figuram, quia, ut credo, non est alia figura que sic convenienter potest aptari et assimilari unitati reparatorum et melioratorum per Christi passionem. Decuit autem ut figura patibulum, per quod reparandum erat universum genus creaturarum, esset talis que inter ceteras figuras unitati reparatoris maxime posset assimilari.

Iam autem aliquatenus supra patuit qualiter homo in anima sua crux est spiritualis cum quadrificus amor in eo est ordinatus, et non solum homo, sed etiam angelus, consimili amore quadrifico bene ordinato, in spiritualem crucem dilatatur. Omnis autem creatura rationalis ex naturali condicione sua habet in se naturaliter quattuor affectiones, que a quibusdam sic nominantur: timor /98rb/ et dolor, cupiditas et leticia, que in bene utentibus sunt quattuor virtutes cardinales, in male utentibus sunt vicia. In hiis autem creaturis racionabilibus in quibus per rectum usum sunt virtutes ipsam racionabilem substanciam distendunt spritualiter in crucis figuram. Est igitur omnis racionalis creatura, si bene utatur naturalibus affectionibus, crux spiritualis bene formata. Si vero eisdem affectionibus male utatur, naturaliter crucis habet in se radicem, sed ipsam crucis formacionem malicia violavit et deformavit, non solum autem in affectu, sed etiam in vi cognoscitiva qua potest cognoscere quod supra se est, et quod undequo iuxta se est, et quod sub se est.

Est omnis creatura racionalis naturaliter crux spiritualis. Omnis autem creatura corporalis quam patenter secundum crucem formetur manifestatur si animadvertamus quod corporeitas est



potencia suscipiendi trinam dimensionem, hoc est tres lineas intersecantes se ad angulos rectos. Tres autem lineas intersecantes se ad angulos rectos trinam crucem faciunt. Cuiuslibet igitur corporis formacio in trina cruce consistit. Propterea dicit Scriptura quod "omnia constituit Deus in numero, pondere et mensura." [Sap. 11:21] Quam auctoritatem in pluribus locis exponens Augustinus, numerum vocat formam et speciem. [cf. Augustinus, De Gen. ad litteram, 4, 3; ed. p. 99, etc.] Cum ergo omnis forma et species numerus sit, sicut beati Augustini docet auctoritas, omnis autem numerus, ut patet peritis in arismetica, figurabilis est secundum aliquam figuram geometricam regularem, omnis forma et species utpote que numerus est figuralis est secundum figuram regularem. Nulla est autem figura una regularis secundum quam potest omnis numerus a binario usque ad infinitum regulariter figurari preter figuram crucis. Secundum autem figuram crucis omnis numerus a binario usque sursum potest regulariter figurari. Ternarius enim, qui est primus numerus perfectus, figuratur in crucem carentem brachio superiori, qualis est figura tau, T litere Grece. Quaternarius vero et quinarium formantur in crucem cuius quattuor brachia equalia, et similiter omnes numeri usque infiniter crescentes per augmentum quaternarii super quaternarium et quinarium, velud sunt 8 et 9 et 12, et sic deinceps.

Omnes, inquam, hii numeri figurantur in crucem cuius omnia brachia equalia. Omnes vero alii numeri a predictis figurantur in crucem cuius tria /98va/ brachia superiora sunt equalia, et brachium inferius excedit quodlibet superiorum brachiorum sola unitate. Aut figurantur in crucem cuius tria brachia superiora sunt equalia, et brachium inferius superat quodlibet reliquorum brachiorum solo binario, Aut figurantur in crucem cuius duo brachia transversalia sibi invicem sunt equalia, et duo brachia longitudinalia similiter sibi invicem sunt equalia, verumptamen utrumque brachiorum longitudinalium excedit utrumque brachiorum transversalium sola unitate. Aut figurantur in crucem cuius brachium superius exceditur a quolibet trium brachiorum reliquorum sibi invicem equalium sola unitate. Aut figurantur in crucem cuius brachium superius excedit utrumque brachiorum transversalium sola unitate, et brachium inferius excedit utrumque brachiorum transversalium solo binario.

Patet igitur quomodo omnis numerus, et per consequens omnis species figuralis, est secundum figuram crucis. Non patet autem omnis numerus similiter figurari per triangulum regularem aut quadrangulum, aut aliquam aliam figurarum. Patet itaque quomodo figura crucis omni creature plus assimilatur quam aliquam aliarum figurarum.

Insuper, si inspiciamus formas et figuras omnium animalium, quid ibi inveniemus nisi figuram crucis? Nonne ipsa longitudo animalis est sicut lignum longitudinale crucis? Membra vero que singula sunt in animali, utpote cor et os et nasus, sunt sicut note alique in ligno longitudinali. Membra vero que bina sunt in animalibus, utpote oculi, aures, brachia, ale, crura, epar et splen, quod est sicut epar parvum et correspondet epati, sita sunt altrinsecus circa longitudinem animalis, sicut brachia crucis transversalia circa lignum longitudinale. Nonne et rami de trunco, et folio de ramo, et fila in folio de medio folii filo secundum figuram crucis prodeunt?

Cum igitur omnia tam evidentem crucis formam gerant, qua figura potius quam crucis figura oportuit omnia reparari et meliorari? Decuit igitur maxime ut patibulum salvatoris nostri non alia figura quam crucis formaretur, ut ipsa figura unitati creaturarum assimilatissima unitatis fieret reparacio, et reparacionis evidens ostensio. Hec /98vb/ figura crucis presignata fuit in manibus Iacob cancellatis cum benediceret filios Ioseph. [Gen. 48:17-22] Et in extensione manuum Moysi cum pugnaret populus contra Amalec, Exodo 17. [Ex. 17:12] Et in linicione sanguinis agni positi ad limen super superliminare et deinde super utrumque postem, Exodo 12. [cf. Ex. 12:7] Sanguis enim levatus a limine ad superliminare significat lignum crucis erectum, deinde a poste ad postem lignum crucis transversum. Significabatur etiam hec crucis figura per T litteram, que iussa est signari in frontibus virorum gemencium et dolencium. [Ez. 9:4] Non est enim benedictio nisi per crucem. Non est victoria nisi per crucem. Nichil fugat angelum exterminatorem nisi virtus crucis.

Crux protulit nobis fructum de quo qui digne edunt, “mortem non gustabunt in eternum.” [Ioan. 8:52] Unde ipsa est lignum vite Genesi 2o. [Gen. 2:9] Crux nos supportat ne mergamur in fluctivaga concupiscencia huius vite. Unde ipsa est archa Noe, Geneseo 6. [Gen. 6:14] Crux est flagellum demonum et liberacio bonorum. Unde ipsa est virga Moysi qua flagellabatur Egiptus ut liberaretur populus Israeliticus, Exodo 7, et deinceps multis capitulis. [Ex. 7:20, etc.] Ipsa eduxit nobis sacramentum baptismi de latere Christi. Unde ipsa est virga Moysi qua percussit petram et fluxerunt aque, Exodo 17, et Numeris 20. [Ex. 17:6; Num. 20:11] Petra enim erat Christus.

Crux quoque igne tribulacionis decoxit nobis panem vivum qui de celo descendit. Unde et ipsa est sartago in qua frigebatur sacrificium de simila, oleo conspersa absque fermento, Levitico 2o. [Lev. 2:4] Crux quoque igne tribulacionis et caritatis cremavit in se vitulum saginatum in holocaustum. Unde est altare holocausti, Exodo 27. [cf. Ex. 27:1-8] Crux quoque dulcoravit nobis omnes amaritudines veteris legis. Unde ipsa est lignum quod dulcoravit aquas Marat, Exodo 15. [Ex. 15:25] Crux emendat lepram omnis heretice pravitatis. Unde ipsa est lignum cedrinum quod offerebatur cum cocco et ysopo, tinctis in sanguine passeris immolati, pro emendacione leprosi, Levitico 14. [Lev. 14:6] Crux protulit nobis uvam de cuius vino potamur, hoc est Christum, cuius sanguinem bibimus. Unde et ipsa est palmes quem absciderunt exploratores /99ra/ cum uva sua ad torrentem botri, quem portaverunt duo viri in vecte, Numeri [sic] 13. [Num. 13:24] Crux exaltavit Christum de terra mortalem secundum humanitatem et immortalem secundum deitatem, ut omnes aspicientes in exaltatum sanarentur ab ignitis morsibus demoniorum. Unde ipsa est palus in quo posuit Moyses serpentem eneam quem aspicientes percussi a serpenteibus ignitis sanabantur, Numeris 21. [Num. 21:8-9] Crux eciam affixit et triumphavit demones. Unde ipsa est patibulum in quo mali principes iussi sunt ad solem suspendi, Numeris 25. [Num. 25:4]

Crux extendens in se nervos corporis Christi Iesu tollit vexacionem demonum. Unde ipsa est cithera David, ad cuius sonitum Saul, areptus malo spiritu, levius se habebat, Regum primo 16. [1 Reg. 16:23] Crux est infirmorum sustentacio, errantium correpcio et ad viam veritatis reductio, pigrorum excitacio, incorrigibilium flagellacio. Unde est baculus David, primo Regum 17, [1 Reg. 17:43] et virga qua angelus Domini tetigit sacrificium Gedeonis, et ascendit ignis de petra et consumpsit sacrificium, Iudicis 6. [Iud. 6:21]

Crux est populorum in unam fidem coadunacio et per unitatem caritatis coniunctio. Unde ipsa est lignum inter iuncturas edificiorum de quo Habacuk, “Lapis de pariete clamabit, et lignum quod inter iuncturas edificiorum est respondebit.” [Hab. 2:11] Crucis amaritudo abstulit cecitatem nostrum, et reddidit nobiscum visum spirituale. Quod signabatur felle piscis quo liniti oculi Thobie et, albugine quasi membrana ovi egressa de oculis, visum receperunt, Thobie 11. [Tob. 11:13-14] Crux est celorum apercio. Unde ipsa est clavis David, Ysaia 22. [Is. 22:22]

Crux invenit centrum circuli propositi, quia non invenitur Deus, qui est centrum, nisi per crucem. Et si extra crucem detur centrum, accidit tam obtusum angulum quam acutum esse rectum, quia si alibi quam in fide crucifixi invenitur Deus, accidit eius misericordiam esse nimiam et a recte superfluere, et eius iusticiam esse diminutam, et si tamen eius essent, recta essent.

Item, crux perficit eciam circuli porcionem. Circulus autem interminabilis est vita eterna. Hoc autem est “cognoscere te Deum verum et quem misisti, Iesum Christum.” [Ioan. 17:3] Quanta est ergo in aliquo Dei cognicio, tanta est circuli /99rb/ porcio, et quia nullus caret omnino Dei cognicione, omnis habet saltem aliquam circuli porcionem. Ipsa autem porcio compleri non potest nisi per fidem crucifixi, quia ad Dei et Christi cognicionem plenam nullus pervenit nisi per fidem crucifixi.

Item, omnis architector regulat artificium et architecturam per pendiculum quod habet crucis figuram. Et quid est hoc nisi quod predicator omnis qui, cum Paulo, sapiens est architector edificium domus Dei, [cf. 1 Cor. 3:10] regulat per crucem, cum nichil aliud iudicat se scire inter illos quibus predicat, “nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum.” [1 Cor. 2:2]

Item, omne naturaliter motum, cum loco suo naturali per viam incessus sui naturalis facit figuram crucis. Ad angulos enim equales venit ad locum suum. Sic oportet omnem qui movetur in Deum, qui locus noster est naturalis, non declinare ad dextram vel ad sinistram, sed per virtutem, que est medium viciorum utrimque redactum, in eum incedere, et in eo habito utrimque diffundi in amore, in amicum scilicet et inimicum.

Item, maria duo magna terram circumdancia sub estu maximo et frigore maximo intersecant se in modum crucis in oriente et occidente. Et quid est hoc nisi quod amaritudo crucis protegit terram fragilitatis nostre a corrupcione per intemperiem, a nimio videlicet estu tribulacionum, et ne refrigescat in nobis caritas, et eciam quod omnis rei inicium et finis bonus in virtute crucis iniciatur et consummatur?

Item, dicitur quod in cruce Domini erant quattuor genera lignorum. Lignum enim erectum dicunt fuisse cedrum, lignum transversum palmam, tabulam superpositam olivam, truncum in terra defossum cui infixam erat crux dicunt fuisse cipressum. Alii vero sic ordinant,

“Pes cedrus, stipesque cipressus, olivaque summum,  
Palmaque transversum sunt in Christi cruce lignum.” [chk. Walther, etc.]

De hoc quaternario ait Apostolus ad Ephesios 3o, “In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis que sit latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum.” [Eph. 3:17] Latitudo enim est lignum transversum, longitudo lignum erectum, sublimitas lignum sursum appositum, profundum lignum in terra defossum, a quo sicut a fundamento totum exurgit et sursum erigitur. /99va/ Hec sunt quattuor cum suis signatis que voluit nos Apostolus cum omnibus sanctis comprehendere posse. [Eph. 3:18] In hiis voluit nos carnem nostram crucifigere cum viciis et concupiscentiis. [Gal. 5:24] Corpus enim peccati non destruitur nisi cum labore et angustia. Eius itaque cum labore et angustia destructio nostra est crucifixio, de qua destructione et crucifixione ait Apostolus ad Romanos 6, “Ut destruat corpus peccati.” [Rom. 6:6] Et iterum, capitulo 8, “Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.” [Rom. 8:13] Et ad Corinthios ait, “Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem.” [cf. 2 Cor. 4:16] Et iterum, “Mortificate membra vestra que sunt super terram.” [Col. 3:5]

Hoc est itaque quod crucifigendum est homo exterior, scilicet vetus homo, corpus peccati, avaricia videlicet, luxuria, immundicia et cetera talia. Hoc autem corpus peccati mortificatur per bona opera in caritate radicata. Ipsa itaque opera bona laboriosa tamen in caritate radicata sunt. Ipsa crux in qua mortificari debet corpus peccati et configi clavis timoris, sicut dicit Propheta, “Confige timorem tuo carnes meas.” [Ps. 118:120]

In operibus autem bonis, licet laboriosissimus, oportet esse hilaritatem operandi. “Hillarem enim datorem diligit Deus.” [2 Cor. 9:7] Operandi enim hilaritatem crucis latitudo in transverso ligno signat. Hillaritas namque animi latitudinem signat, sicut econtra tristitia parit angustias. Per altitudinem autem cui capud iungitur, expectatio retributionis de sublimi iusticia Dei designatur, que “reddet unicuique secundum opera sua. Hiis quidem qui secundum pacienciam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem querentibus vitam eternam,” etc. [Rom. 2:6-7] Longitudo autem qua totum corpus extenditur ipsam tolleranciam et usque in finem perseveranciam signat. Unde longanimes dicuntur qui perseveranter tollerant. Lignum autem in terra fixum, quod occultatur et totum supportat, Dei est misericordia, et voluntas occulta ex quo homo ad participacionem tante gracie vocatur. Vel hoc lignum in terra profundum ecclesiastica sunt sacramenta, que sunt fundamentum et investigabilia.

Cedrus supportandis oneribus fortissima, cipressus diuturnitate perseverantissima, in hilaritate operandi victoria /99vb/ per palmam signata. In oliva, insigne pacis, nec aliud quam pax expectatur nobis retribui de supernis, Christi sanguis de latere suo effusus est postquam ipse mortuus est in cruce.

Si enim priusquam esset mortuus fuisset sanguis de latere effusus, videri posset quod non sponte et propria potestate sed necessitate animam posuisset. Si vero post mortem suam non esset effusus, videri posset quod non fuisset adhuc vere mortuus sed mortem similasset et, per consequens, resurrectionem.

Item, decet quod anima, secundum prophete vocem, in sanguine proprio polluta, mundetur in sanguine agni immaculati, [cf. 1 Petr. 1:19] et sicut vita per lignum vinceret, sic polluta in sanguine in sanguine mundaretur. Cum autem in sanguine sit sedes et vita anime qua carnem vivificat, [cf. Lev. 17:11] cum in vita carnali polluta est, convenienter in sanguine dicitur esse polluta.

#### Dictum 120

##### De signationibus maris

Mare mundum turbulentum signat. Unde Ionas ait, "Proicite me in mare." [cf. Ionas 2:4] Mare impios, Isaia 47, "Et impii sicut mare fervens, quod quiescere non potest." [Is. 57:20] Mare tribulatio et amaritudo penitencie, "Magna est," inquit Ieremias, "velud mare contritio tua," Trenis 2o. [Lam. 2:13] Mare baptismus est. Unde Apostolus, "Baptizati sunt in nube et in mari." [1 Cor. 10:2] Mare evangelium. Unde in Evangelio, "Sagena misse in mare." [Mt. 13:47] Mare genus est humanum. Unde Augustinus, 13o Confessionum, "Si Adam lapsus non esset, non diffunderetur ex utero eius salsedo maris, genus humanum profunde curiosum, porcellose tumidum, et instabiliter fluidum." [Augustinus, Confessionum libri, 13, 20] Mare ecclesia, "In mari via tua." [Ps. 76:20]

Ut autem pateat melius quomodo mare ista significet, notande sunt prius maris quedam proprietates, et postea diversum signatis coaptande. Est itaque mare aquarum in loco uno congregacio, multiplicata per diversa nomina secundum diversa loca, sed cum continuacione una. Semper motu vaga, sonora, spumosa, in fluxu et refluxu lune motum mutans, a lune virtute mota, et vapore de profundo sui ascendente, cuius vis eiam in tempestate cohibetur infirmissimo omnium vilem sabulonis pulvere.

Hoc primo omnium animancia et vivencia divino nutu imperata produxit. Adde ad hanc /100ra/ gratiam quod ea que timemus in terris amamus in aquis, et enim noxia in terris in aquis innoxia sunt, et sibi inimica in terris ibidem concordia. In incolis maris, scilicet piscibus, non sunt adulteria nature, et sine posicione limitum limites servant, nec evagantur ultra terminos suos nisi aliquando fetus pariendi necessitate aut intemperie vitande, aut gracia temperie assequende, nactoque fine transgressionis ultra limites non limitatos, ad proprios redeunt fluctus quasi ad domestica habitacula. Mare terras necessario infundit humore, hospicium et caput fluviorum, fons ymbrium, invectio com meatium quo sibi distantes populi copulantur, quo preliorum removentur pericula, subsidium in necessitatibus, refugium in periculis, gracia in voluptatibus, salubritas valitudinis, separatorum coniunctio, itineris compendium transfugium laborantium, subsidium vectigalium, sterilitatis alimentum.

Salsum autem est mare, ut fertur, ex solis adustione, que adurit partes terreas commixtas partibus aqueis insipidis, ex qua commixtione fit amaritudo, et de amaritudine per adustionem salsedo.

Adde eiam hiis quod mare cingit terram in crucis modum, ambiens eam sub equinoctiali circulo, transiens ab oriente per occidentem, revertensque iterum in orientem, et ambit terram transiens per orientem et occidentem et austrum et septentrionem sub utroque polo.

Mare eiam aureum vellus gignit, et alcione avis, [om. MS] ovis suis incubante per septem dies, et aliis septem pullos nutriente, mare ibidem omnino quiescit. [cf. Isidorus, Etymol., 12, 7, 25]

In plurimis harum proprietatum maris, et aliarum hic non numeratarum, gerit mare manifeste tipum ecclesie. Ecclesia namque est congregacio diversorum populorum, quasi diversarum aquarum, per adunacionem fidei et caritatis in locum unum sibi naturalem, scilicet

Deum, in quo solo quasi in loco sibi naturali quiescit. Que, licet multiplicatur in diversas particulares ecclesias secundum diversa loca, una est tamen ex omnibus continuacione caritatis. "Una est enim columba mea.." [Cant. 6:8]

Diversarum undarum in mari sonoritas est diversarum personarum ymptis et canticis suavis concentus. Tempestate spumescit, quia per tribulaciones /100rb/ qui sint fragiles, "quorum spes est tanquam spuma gracilis que a procellis dispergitur," [Sap. 5:15] manifestat. Per lunam autem sciencia sepe intelligitur, per maiorem itaque et minorem sciencie et doctrine illuminacionem, et ad verum solem iusticie maiorem et minorem accessum, et per ipsius sciencie elevacionem per augmentum aut descencionem per decrementum, quasi per varia esse ipsius lune, ecclesia velud mare aut altius attollitur et lacius diffunditur per vite celsitudinem et fidelium dilatacionem adunante liberi arbitrii motu quasi vapore de profundo ascendente, aut infra subsidit et minus dilatatur, tepente caritate et vite celsitudine et minorato numero fidelium, impetuose quoque voluntates in viris ecclesiasticis plerumque erumpentes, et quasi metas mandatorum transgredi conantes, ad proprie fragilitatis recordacionem, quasi unde maris, impetuose ad vilem sabulonis pulverem confringuntur.

Ecclesia quoque prima omnium nutu Dei imperata vita gracie vivencia per regeneracionem in lucem, gracie produxit. Adde ad hanc gratiam quod que timemus in terris amamus in aquis, et enim noxia in terris in aquis innoxia sunt et sibi invicem inimica, et in terris ibidem concordia. Tanta enim est ecclesie baptizantis gracia cuius vituli non fugiunt leones, ut eius sanctitati vire conveniat id propheticum, "Tunc lupi et agni pascuntur simul, leo et bos simul paleas manducabunt." [Is. 65:25] Nec mirum quando quidem in ecclesia aque illud operantur ut predonum abluta nequicia cum innocentibus comperentur. In incolis quoque veris ecclesie non sunt adulteria nature, ut scilicet unum animal cum diversi generis animali copuletur. Quidem tamen adulteri nature speciem incolarum ecclesie induunt ut liberius contra naturam adulterium perpetrent. Hii sunt, scilicet, qui se fingunt arietes ut oves Christi, scilicet particulares ecclesias, velud per naturale connubium sibi coniungant, dum tamen ipsi sint aut lupi per rapacitatem, aut tauri vel equi cervicosi per superbiam, aut hirci per luxuriam, aut asini per insipientiam. Hii sunt prelati pravi qui ecclesias Christi velud in uxores ducunt; columbam Christi, cum ipsi sint milvi aut corvi, [cf. Augustinus, In Iohannis evangelium tractatus 5, 13] /100va/ pisces quos cepit Petrus, [cf. Ioan. 21:11] cum ipsi sint genimina terrestrium viperarum. [cf. Luc. 3:7] Utinam tales agnoscerent quod in mari non sint nature adulteria, quod tales mare non ut suos habet incolas, sed ut cadavera mortua eos proiciet avibus et bestiis, id est demonibus, dilaceranda.

In ecclesia quoque limites quos posuerunt patres non sunt transgrediendi, nec falx in alienam messem mittenda. Non transeundum est prelato in alienam parochiam nisi gracia spiritualis fetus procreandi, aut intemporiei persecucionis cum expedit vitande. Preterea oportet filios ecclesie solcite cavere ne conveniat eis illud ve propheticum, "Ve qui coniungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis, usque ad termini loci. Numquid habitabitis soli vos in terra?" [Is. 5:8]

Ecclesia quoque terrenos infundit necessario humore baptismi, scilicet, et doctrine. Hospicium est fluviorum, quia receptaculum omnium ad eam per fidem venientium populorum. De archa etiam Noe, et de ipso Noe, in quo tunc stetit ecclesia, orta est tota multitudo, sive fidelium sive infidelium populorum, velud de mari tota multitudo salubrium et non salubrium fluviorum.

Ecclesia quoque fons est ymbrium, hoc est verborum predicacionis. De ecclesia namque velud de mari calore veri solis sublevantur qui in imis sunt terrestres insubtilitatem sciencie et puritatem vite quasi in superiorem regionem, ibique infrigidati, et relictis a calore concupiscencie, conglomerantur in nubes, coruscantes miraculis, tonantes minis, verbisque pluentes.

Quomodo autem ecclesia fit admodum maris invectio commeatuum quo sibi distantes populi copulantur, quo preliorum remonentur pericula, subsiduum in necessitatibus, refugium in periculis, gracia in voluptatibus, salubritas validudinis, separatorum coniunctio, itineris compendium,

transugium laborancium, subsidium vectigalium, sterilitatis alimentum, ita planum est quod expositione non indiget.

Salsedo etiam sapienciam signat, que nascitur de amaritudine tribulacionis cum illam amaritudinem decoquit calor veri solis. Unde tribulacio sepe in scriptura disciplina vocatur. Non autem esset /100vb/ amara tribulacio separans terrena comoda, nisi fluctivage concupiscencie velud aque insipide commixte et concrete essent partes terre, scilicet res terrene concupite.

Mare autem ambiendo terram sub equinoctiali interponit se medium inter terram et calorem corrumpentem, et ambiens terram sub polis, interponit se inter terram et frigus corruptivum. Sic etiam ecclesia, affectu caritatis naturaliter in crucis modum expanse, amplectitur fragiles per quattuor mundi cardines, interponens se illis et adustioni tribulacionis et persecucionis fragilitatem corrumpenti, et interponens se illis et frigori infidelitatis corruptio.

Aureum autem vellus in ecclesia est beata Virgo, que vellus est Gedeonis, [cf. Iud. 6:37-40] que de se vellere induit agnum tollentem peccata mundi. [cf. Ioan. 1:29] Hoc vellus aureum est per splendorem mundicie. Hoc enim idem est et urna aurea in qua reponebatur manna. [cf. Hebr. 9:4] Et vellus est per insensibilitatem carnalis concupiscencie. Vellus enim de carne nascitur, sed carnis non sentit mociones. Vellera etiam aurea sunt virgines ecclesie, que in carne preter carnem vivunt.

Avis autem alcio<n> sublimitatem contemplacionis signare potest, que dum in spe gemine quietis et perfectionis, corporis scilicet et anime, desiderio pio incubat super pariendo religiosos, et iam partos pio affectu et doctrina educat, omnem tumultuositatem exterioris actionis et interioris inordinate affectionis quasi fluctus maris tempestuosus in se ipso cedit. [cf. Isidorus, Etymol. 12, 7, 25]

Hoc ergo modo, et forte isto multo secreciori et alciori, gerit mare tipum ecclesie, in quo mari singuli fideles sunt sicut singuli pisces. Piscis autem pro gubernaculo caudam habet, pro remis pinnulas quibus aquas retropellens in anteriora procedit. Cauda itaque piscis mistici, hominis scilicet, qua se regit sicut gubernaculo ne demet, in motibus [omnibus = Vulg.] actuum suorum est memoria novissimorum suorum, que memorans, non peccabit in eternum. [cf. Eccus. 7:40]

Nota autem quod cauda piscis ab una radice incipit et protenditur in bifariam divisionem, quarum una acuitur versus deorsum, reliqua versus sursum cacuminatur. Sic itaque homo recolens /101ra/ novissima debet cogitare se positum in mortis ariculo, et ab hinc quasi a radice caude protendere cogitationem suam versus deorsum usque ad acumina penarum infernam, et versus sursum usque ad sublimia gaudiorum celestium, et hac cogitatione quasi caude gubernaculo motus actuum suorum dirigere. Pinnule retropellentes aquas sunt manus largientes indigentibus bona transitoria, et ipse transitoriorum contemptus, et posteriorum oblivio quibus quasi pinnulis in anteriora se extendit.

Dictum 121

De urso

“Ursus dictus quod ore suo format fetus, quasi orsus. Nam informes generat partus, et caro quedam nascitur quam mater lambendo in membra componit. Unde est illud:

Sic format lingua fetum quem protulit ursa.

Sed hoc immaturitas partus facit, quia tricesimo die generat. Unde evenit ut precipitata fecunditas informis generetur. Ursorum capud invalidum, vis maxima in brachiis et lumbis. Unde interdum [electi] erecti insistunt.” [Isidorus, Etymol., 12, 2, 22; cf. Hrabanus, De universo, 8]

Est autem hec fera insidiarum plena, et fraudis, medendique sibi industriam non pretermittit. Siquidem gravi affecta cede et sauciata vulneribus mederi sibi novit herbe, cui nomen est “flomus,” ut Greci appellant, ulcera subiciens sua ut solo curentur tactu. Ursus eger formicas devorat.

Harum proprietatum plereque diabolo per ursum signato bene conveniunt. Ore namque suo se formavit, vel potius deformavit, in diabolum cum dixit, "In celum conscendam super astra Dei," etc. [Is. 14:13] Fetus quoque suos prava format oris sui suggestione. Nonne ore suo formavit primus parentes in filios suos cum dixit, "Cur precepit vobis Dominus," etc., Geneseo 3? [Gen. 3:1] Nonneque mollitur lingua lambebat cum Dei equalitatem hominibus blande promisit? [cf. Gen. 3:5] Tricesimo die fetum parit, quia in transgressione decalogi per triplicem concupiscenciam, maxima vis eius est in libidinositas et libidine suggerenda. Unde Iob ait, "Fortitudo eius in lumbis eius." [Iob. 12:11] Per hanc lumborum fortitudinem erigitur in superbiam in ipsis /101rb/ luxuriosis. Comitatur enim luxuriam superbia, et effrenata audacia. Brachia diaboli sunt mali potentes mundi. In brachio namque potentia sepe designatur. In potentibus namque mundi et luxuriosis, ut dictum est, maxima diaboli fortitudo demonstratur.

Propter easdem quoque proprietates Deus per ursum signatur. Verbo namque oris sui omnia format, et reformat tricesimo die. Hoc est, in observacione decalogi in fide Trinitatis, fideles gignit in filios adopcionis. Maxima vis eius in suis membris est in brachiis caritatis et fide signata per lumbos. In fide namque est vis generativa fidelium. Hec quoque predicatori aperte congruunt. Unde Ambrosius, "Non miraris in fera tam pii oris officia cuius putas naturam exprimit. Ursa igitur partus suos ad sui effingit similitudinem, tu filios tuos instituere tibi similes non potes." [Ambrosius, Exameron, 6, 4, 18; p. 214]

## Dictum 122 De leone

Leo dicitur a "leon," Grece, quod est "rex," quia ipse est rex bestiarum, confidentissimus, fortissimus, audacissimus. Unde Salomon in Parabolis ait, "Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum." [Prov. 30:30] Et alibi, "Iustus ut leo confidit." [Prov. 28:1] Frons leonum et cauda acres eorum indicat animos. [cf. Isidorus, Etymol., 12, 2, 3-4.]

"Virtus eorum in pectore, firmitas in capite. Septi a venatoribus terram contuentur, quominus aspectis venabulis terreantur. Rotarum timent strepitus, sed ignem magis. Cum dormiunt, vigilant oculi, cum ambulant, cauda sua cooperiunt vestigia sua, ne eos venator inveniat. Cum genuerint catulos, tribus diebus et tribus noctibus catulus dormire fertur. Tunc demum patris rugitu vel fremitu tremefactus cubilis locus suscitare dicitur catulum dormientem. Leonum natura est ut nisi lesi nequeant irasci. Circa homines patet eorum misericordia exemplis assiduis. Prostratis enim parcunt, captivos obvios repatriare permittunt. Hominem non nisi magna fame interimunt." [Isidorus, Etymol., 12, 2, 4-6]

Ossa habent solida. Leo gallum, et maxime album veretur. Leo eger simeam querit ut devoret, quo posset sanari. Leo rex bestiarum exiguo scorpionis aculeo exagitur, et veneno serpentis occiditur. /101va/ Eximia leonis pulcritudo comantes, cervice, thoros excutit cum sublato serpens pectore ora attollit.

Regem esse communiter convenit et Christo et diabolo. Hic enim "rex regum," [1 Tim. 6:15] ille "rex super omnes filios superbie." [Iob 41:25] Confidit uterque, sed iste recte de sua vera potentia, ille de presumptione ex superbia, "Habet enim fiduciam quod influat Iordanis in os eius." [Iob 40:18] Uterque fortis; unus "fortis armatus," [Luc. 11:21] alius "forcior superveniens." [Luc. 11:22] Uterque audax, quia unus licet vincendus forciores aggressus est, alter ob nullum terrorem ab aggressu convenientis retractus. Huius est audacia vera, alterius temeraria. Virtus Christi [quid MS] in sapientia, quia ipse est virtus et sapientia Patris. [cf. Ps. 146:5] Virtus diaboli in sapientia que deorsum est, que "terrena animalis diabolica." [Iac. 3:15] Firmitas Christi in capite suo, quod Deus est. Est quia "caput Christi Deus est." [1 Cor. 11:3] Diabolus vero caput infirmum est. Unde et ipse est ursi caput. Christus in suis membris septus a venatoribus, qui animas volunt decipere, terram

vivencium contuetur, quominus a venabilis tribulacionum terreatur; et diabolus in suis menbris setpus a predicatoribus terram mortuorum, voluptates scilicet terrenas, contuetur, quominus a predicatorum comminacionibus terreatur. Diabolus timet strepitus rotarum evangelicarum, [cf. Ez. 1:15] et Christus non fugit nisi strepitus rotarum curruum Pharaonis. [cf. Ex. 15:4] Hic timet ignem caritatis et verbi Dei, ille non refugit nisi ignem concupiscencie. Christus, cum dormivit morte, vigilavit divinitate, et membra eius similiter dicunt, "Ego dormio et cor meum vigilat." [Cant. 5:2] Diabolus vero, cum dormit, subtrahens se ab aperta persecucione, vigilat occulta insidiacione. Christus in suis menbris velat vestigia bonorum operum, ne videantur ad laudem inanis glorie ab hominibus, quia sic patentibus vestigiis capiuntur a venatore; et diabolus in suis menbris, palliatis excusacionibus cooperit vestigia malorum operum, ne pateant corripienda predicatoribus. Christus tercia die surrexit. Ipse quoque rugitu suo dormientes in triplici concupiscencia resuscitat, non nisi lesus irascitur, prostratis per humilitatem parcit, captivos repatriare sinit, morte eterna hominem non interficit /101vb/ nisi quia multum opera eius bona et fidem esurivit, nec ex eis pastum invenit. Ossa Christi, divinitas scilicet et virtutes Christi hominis et boni prelati stabilitate, sunt solidissima. Ossa vero diaboli per humilitatem non sunt cava, ipse quoque gallum, album predicatorem, scilicet castum, maxime veretur.

Dictum 123  
De vite

"Vitis plantacionem Noe primus adinvenit. Dicta vitis, quia vim habeat cicus radicandi; vel a viciendo, eo quod invicem se vites invectent, vicinisque arboribus reptando religentur. Est enim earum natura flexibilis, que quasi brachiis quibusdam quicquid comprehenderint instringant." [Isidorus, Etymol. 17, 5, 1-2]

"Capreoles enim se innectere vites, et suspendere solent arboribus, quo adminiculo freti palmites ventos ac turbines continere queant, et sine lapsus periculo fructus suos sustineant, ac se vaga proceritate diffundant. Foliorum vero subsidio vitis a frigore et ardore defenditur, atque adversus omnem iniuriam munitur. Qui alicubi intercisus est, ut et solem ad maturitatem fructus admittat et umbram faciat. [Isidorus, Etymol. 17, 5, 10-11]

Media pars folii procerius extenditur et in ipsa summitate tenuatur. "Primum omnium nihil graciosius florentis odore vitis, siquidem de flore earum sucus expressus, poculi genus conficit quod et voluptati et saluti fit." [Ambrosius, Exameron, 3, 12, 49; p. 92]

Vitis autem circumfoditur, circumfossa religatur et erigitur ne reflectatur in terram, reciduntur, fermenta luxurancia alia fructiosa propogantur. Lignum vitis fragile, debile, rugosum, et indecorum.

Plantator vitis rector Ecclesie. Unde Apostolus, "Ego plantavi, Apollo rigavit." [1 Cor. 3:6] Ipsa vitis plebs ecclesie, que radicem fidei et dilectionis cicus in terram mittit, humanitatem scilicet Christi, vel terram vivencium. Hec est "vinea de Egipto translata," [Ps. 79:9] et "facta dilecto in cornu filio olei," [Is. 5:1] "que complantata est similitudini mortis eius." [Rom. 6:5]

Natura flexibilis est, quia, "prona in malum ab adolescencia sua." [Gen. 8:21] Sed ne hoc pronitate in terram cadat et putrescat, brachiis caritatis Dei et proximi, Christum, "lignum" scilicet "plantatum secus decursus /102ra/ aquarum," [Ps. 1:3] et sanctos, quorum exemplis et precibus supportatur, et proximos, quasi vicinas inflexibilis arbores, consimilisque vites comprehendens stringit, seque illis innectens et suspendens ab illis. Freta hoc adminiculo, ventos et turbines temptationum ac persecucionum inconcussa tollerat, et sine lapsus periculo fructus bonorum operum sustinet, ac se vaga proceritate diffundit eciam ad inimicos diligendo, "per caritatem diffusam in corde ipsius, per spiritum scilicet qui datus est illi." [Rom. 5:5]



Folium vero vitis velamen est operis, ne fiat ut videatur ab hominis, quia plerumque bona opera frigore dissuacionis aut detractiois, aut calore adulacionis, aut turbine persecucionis corrumpuntur. Hoc tamen velamen est intercisum, ut Pater, noster scilicet, verus sol iusticie, videat fructum operis in abscondito, et sua visione confoveat. [cf. Mt. 6:18] Hec ad maturitatem intercisum est eciam ut videant opera nostra quandoque a gratulatores superni, suaque confoveant superna aggratulacione.

Media pars folii procerius extenditur et in ipsa summitate tenuatur, et enim bravii speciem videtur effingere, signans quod una boni operis inter pendentes ceteras fructus habeat principatum. De hillaritate quoque dandi et bene operandi exterius se depromentis quasi de flore nascitur odor bone opinionis. Hauritur inde dilectio dantis qua diligitur amplius a recipientibus quasi potus voluptuosus et saluberimus.

Vinea circumfoditur cum terrenarum mole curarum exoneratur, circumfossa ligamentis preceptorum religatur, et spe sursum erigitur, ne in terram per terrenorum amorem reflectatur. Rami concupiscenciarum luxuriantes acumine terroris pene iehennalis rescinduntur, earum loco succrescentibus et propagatis ramis bonarum voluntatum. Corpore quoque humano velud ligno vitis, nihil fragilius, debilius, rugis et senio contrahitur et deformatur. Ipse tamen homo leticiam iocunditatemque sciencie sicut vinum sibi fructiferum fructificat.

Dictum 124

De saporibus

Secundum Aristotelem sapor videtur fieri ex actione suci terrei calido movente in humidum aqueum. Cum autem solum saporosum /102rb/ nutriat, et nutrimentum sit in aliquo simile nutriendo eciam antequam converatur in similitudinem nutriendi, numquid in quo assimilentur nutrimentum et nutriendum est humor naturalis utriusque? Et illa humorositas, que est glutinum parcium, sit saporocitas, ideoque sapor complexioni vicinior quam color et odor, et certior complexionis nuncius? Sive autem hec dicta humorositas sit sapor, sive alia, sive in quodam corpore hec et in quodam alia?

Iterum est quod sapor est id quod obvium lingue delectacionem facit aut horribilitatem quadam. Unde Ysaac, In dietis universalibus, "Sapor nichil aliud est quam quiddam spirituale sensui gustus quod vel abhorret vel quo delectatur." [chk. Isaac Judaeus, De diaetis universalibus et particularibus] Delectacionem autem infert virtute mollitiva, lavativa nocitivorum, sensui mundificativa, colativa grossorum et secundum frigiditatem congelatorum. Horrorem facit cum virtute sensus percussiva iuncturarum corporis separativa. Hec autem cum corporis corugacione facit, aut sui nimia dissolucione. Adunacio enim sive corugacio modum excedens lingue adunat partes incultans alteram alteri adeo ut separet iuncturas et dissolvat ligamenta. Separatio vero est cum virtute incisiva dissolvente iuncturas et separante. Hec autem actio fit duobus modis, aut enim separat et calefacit, sicut acumen amaritudo salsedo, aut sine calefactione, sicut acetositas. Secundum autem Augustinum, sapor est lux incorporata humori tali qualem medici ponunt esse saporem. [Augustinus, ???] Hii enim diffiniunt materialiter, ille vero plus tangit formam et essenciam.

Omnis namque sapor est sensui accomodatus aut sensui non accomodatus. Non accomodatus sine sapore vocatur. Accomodatus dividitur tripliciter: Aut enim gustui abhominabilis et repugnans et iuncturarum separativus, et aque calidissime tactui assimilatur. Hii autem sunt acutus, salsus, amarus, quibus sensus propter sui intencionem et iuncturarum separacionem corrumpitur. Aut sensui nocivus propter nimias constrictiones, et aque frigidissime similis est, qualis est ponticus sensui ex nimia constrictione nocitivus. Aut sensui iocundissimus ex suis temperamentis

et sensus mollificantibus /102va/ omnimodam, et nocivam superfluitatem ab eo remouentibus, qui suis actionibus tactu aque tepide assimilatur. Hii autem sunt dulcis et unctuosus.

Est itaque prima divisio facta per comparacionem ad sensus bimembris sumpta per oppositionem affirmacionis et negacionis, sive habitus et privacionis. Alterum vero membrum divisionis iterum trimembre est, et fit per collacionem actionis in sensum, quia omne activum in gustum aut eius est corruptivum, aut nocivum nondum corruptens, aut innativum.(?) Et similiter potest in omnibus sensibilibus singulorum sensuum primo fieri bimembris divisio per habitum et privacionem.

Item, quod dicitur per modum habitus tripliciter dividi potest per corruptivum, nocivum, innativum.(?)

Item, potest fieri divisio primo bimembris et post consequenter unius illorum membrorum trina divisio per convertibilia positus in proxima divisione hoc modo: Omne perceptum sensu gustus aut perceptum est sicut privacio, veluti tenebre visu. Aut perceptum sicut habitus. Et quod perceptum est sicut habitus, aut nimis separat partes lingue, aut nimis congregat, aut superflue disgregatas seu congregatas partes ad mediocritatem reducit. Et is modus dividendi iterum universalis est in omnibus sensibilibus.

Item, per combinacionem quattuor qualitatum primarum potest fieri quadrimembris divisio, quia omne perceptum sensu gustus aut est frigidum humidum et est sine sapore aut enim valde approximatum. Aut est calidum siccum, velud salsus, amarus, acutus. Aut est frigidum siccum, sicut ponticum et stipticum acetosum. Aut est calidum humidum sicut dulce et unctuosum.

Octifaria divisio vero simplicium saporum habetur expresse ex Haly, in tractatu De saporibus, [Haly, Tractatus de Saporibus???] et colligi potest ex Ysaac, In dietis universalibus, [Isaac Iudaeus, In dietis universalibus et particularibus ???] simplices saporis non excedunt hunc numerum octonarium, nec infra subsistunt. Quidam tamen ponticitatem exceperunt, et vice sua sine sapore posuerunt dicentes ponticitatem se invenire de stipticitatis genere, neque a se invicem differe nisi in fortitudine et debilitate." Secundum Ysaac, simplices saporis octo: Dulcedo, unctuositas, salsedo, amaritudo, acumen, acetositas, stipticitas, ponticitas, quandoque additur pro nono, sine sapore. Secundum Haly, autem, /102vb/ hii sunt saporis octo: Dulcis, unctuosus, suavis sapor secundum Haly medium inter dulce et unctuosum, acerbus, qui acetosus secundum Ysaac, amarus, pungitivus, qui acutus secundum Ysaac, salsus, asper vel durus, insuavis, que ponticus.

Dulce est substantie grosse, terree, calidum, humidum, temperate in secundo gradu. Assimilatur enim humane complexioni, que est calida et humida temperate in secundo gradu. Humores enim dulces acumine et viscositate expediti sunt humiditati substanciali corporis humani assimilativi dulcedo, ut si ita pura fuerit carens omni macula acuminis vel viscositatis; obvia lingue, implet vacua eius et lenit asperitatem, cedat siquid fuerit mordens, delectatque.

Item, dulcis cibus carens predicta macula saporosior omnibus cibus aliis natura erit, quia naturaliter vicinior est sanguini, mundificans et lavans nocumentum gustus, ventrem temperate humectans sine labore nature, parvas feces faciens, laxans, maturans, non multum calefaciens, dura mollificat cum humiditate sua, mollia indurat cum caloris sui subtilitate.

Omnia autem nutriuntur dulci, vel simpliciter vel commixte, quia omne nutribile aliquam dulcedinis quantitatem maiorem vel minorem oportet habere, secundum quod approximatur nutrimento vel elongatur ab eo. Non nutribile autem caret omni dulcedine; non habent enim nutrimenta quecumque non sunt dulcedinem habentia. Cibaria enim amara, salsa, acuta, stiptica, non sunt simplicia, sed tamen qualibet respectu dulci composita, et si non apparet dulcedo in eis, tamen latet quedam nutritiva dulcedo secundum qualitatem suam.

Dulcedo itaque sapientia incarnata potest intelligi. Unde super hunc versum Psalmi, "Quam magna multitudo dulcedinis tue, Domine," [Ps. 30:20] dicit Augustinus, "Nichil dulcius immortalitate sapientie." [Augustinus, Enarrationes in Psalmos, 30, 2, 3, 6] Igitur hec dulcedo Sapiencia est, quia dicit Ecclesiasticus 25, "Spiritus enim meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum,"

[Eccus. 24:27] que per assumptionem carnis substance grosse et terre facta est. Verbum enim caro factum dulce est, grossum et terrenum.

Per hanc eandem carnis assumptionem humane complexioni assimilatur, etiam "similitudinem habet," ad Ephesios 2o, "factus est et habitu inventus ut homo." [Phil. 2:7] /103ra/ Et ad Hebreos 2o, "Debit per omnia fratribus assimilari ut misericors fieret." [Hebr. 2:17] Et in eodem, "Temptatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato." [Hebr. 4:15] Et ad Romanos 8o, "Filius suum mittens in similitudinem carnis peccati." [Rom. 8:3] Sapiencia quoque eterna maxime sibi assimilata habet mentem rationalem, mentisque rationalis complexionem, que est concordia quattuor virtutum, maxime congruit. Et hec virtutum concordia, quid est nisi quedam spiritualis humana complexio? De hac assimilatione huius spiritualis complexionis cum dulcedine sapientie scribitur in Sapiencia 8, "Sobrietatem et sapientiam docet, et iusticiam et virtutem," [Sap. 8:7] quod Augustinus in Libro retractionum sic exponit, dicens, "Hiis nominibus Latinus interpres illas quattuor virtutes, que maxime in ore philosophorum esse solent, nominavit, sobrietatem appellans temperanciam, prudentie imponens nomen sapientiam, fortitudinem virtutis vocabulo enuncians, solam iusticiam suo nomine interpretatus est." [Augustinus, Retractionum libri, 1, 7] Has itaque virtutes docet sapientia, cum in animas sanctas se transfert eas sibi assimilat.

Hec sapientie dulcedo est in in secundo gradu calida quia efficit amoris calorem quo diligitur proximos in Deo et non in se. Primus enim gradus est ut diligatur creatura propter se, secundus est ut diligatur propter Deum. Voluit enim hec sapientia calefieri in secundo gradu cum dixit, "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo," etc. [Mt. 22:37, etc.] Amor autem naturalis, in parte anime rationalis situs, quasi humor est naturalis. Dulcedo autem sapientie hunc humorem maxime sibi assimilat. Dulcedo autem huius pure et eterne sapientie; si obviet lingue nostri interiori, replet tam interiorum eius quam exteriorum vacua quia non permittit aut falsa, aut temeraria, aut ociosa loqui, quia qui audit illam, "iudicat gentes et denudat absconsa sua"; illa "thesaurizat super illum scienciam et intellectum iusticie." [Eccus. 4:16, 21] Sapiencia 8, "Doctrina est discipline Dei, et electrix operum illius." [Sap. 8:4] Sapiencia quoque manifeste in verbis veri(?) habet asperitatem ire, et invidie, vel iurgiorum, sed omnem talem asperitatem lenit, quia per sapientiam, "sermo mollis frangit iram," sicut econtra, "sermo durus suscitatur furorem." [Prov. 15:1] Quam autem delectabilis sit dulcedo sapientie sive sit ille qui dixit, "Vocavi, et venit /103rb/ in me spiritus sapientie, et proposui illam regnis et sedibus, et divicias nichil esse dixi in comparacione illius. Nec comparavi ei lapidem preciosum quoniam omne aurum in comparacione illius arena est exigua, et tanquam lutum estimatur aurum in conspectu illius. Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam." [Sap. 7:7-10] Huius dulcedine nutritur anima et pascitur, tam delectabiliter quod edendo esurit et siccitate non fastidit. Unde Ecclesiastico 24, "Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sicient." [Eccus. 24:29]

Unctuosum est subtilis substance, aqueose, calidum, humidum, temperate. Dicitur autem ab Ysaac, "Calidum in secundo gradu, cuius humores ayeris humiditate consimiles, unde calorem naturalem proprie sunt nutrientes. Si fuerit obvium lingue, implet vacua eius, lenit asperitatem, sedat siquid fuerit mordens, delectatque, sed eius delectacio est minus quam dulcis." [Isaac Iudaeus, In dietis universalibus et particularibus ???]

Amarum est substance grosse, terre, ignee, siccum in secundo gradu, calidum in tercio gradu; obvium lingue, separat partes eius fortiter et abluit plurimum. In tantum etiam exasperet asperitate, non modica purgat, meatus aperit, opilaciones mundat, incidit grossitudinem, calefacit mediocriter, comedit carnes superfluas, in vulneribus prodest opilencie incidendo grossum humorem diureticum, menstrua provocans, exteriora corporis mundificans a scabie, et morphea appetitum excitans.

Salsum, secundum Haly, est substance grosse, terre. [Haly, Tractatus de Saporibus???] Secundum Galen, moderatam habet substanciam inter subtilem et grossum, [Galen, ???] calidum,

siccum in secundo gradu in fine; obvium lingue separat partes eius, non fortiter lavat, sine asperitate mundat et stringit sine calefactione forti, multas feces facit, molles carnes indurat et desiccatur.

Pungitivum vel acutum substantie subtilis, ignee, siccum, calidum in quarto gradu; obvium lingue facit in ea morsuram fortem, subtiliat, purgat, comburit, propter multitudinem calefactionis eius liquefacit, incidit et laxat, excitat appetitum.

Acetosum vel acerbum est substantie subtilis, aquose, frigidum, siccum in secundo gradu; obvium lingue facit in ea morsuram, immergiturque substantie eius sine calefactione, /103va/ incidit, subtiliat, aperit opilaciones, purgat meatus, refrigerat et desiccatur, expellitque appetitum commonet Haly. [Haly, Tractatus de Saporibus??]

Asper, vel durus, vel insuavis, sapor est substantie grosse, terree, frigidus; obvius lingue congregat eam coadunacione forti fit (?) ut stringat fortiter, et desiccet, et exasperet, coadunatur, spissat poros, expellit et ingrossatur, refrigerat et desiccatur.

Ponticum est substantie grosse, terree, frigidum, siccum, cuius humores, secundum Ysaac, sunt pure terrestres, frigidissimi, sicci, in frigore tercii gradus, quarto vicini; [Isaac Iudaeus, In dietis universalibus et particularibus ???] obvium lingue congregatur eam, stringit, exasperatur, desiccatur, verumtamen non fortiter, coadunatur, spissatur poros, expellit, ingrossatur et refrigeratur.

Stipticum mediocris substantie, frigidum, siccum. Stipticorum actio et passio eadem est que et ponticorum, sed tamen subtiliora sunt, quia sui humores inter subtile et grossum sunt mediocres. Sine sapore, frigidum, humidum est. Omne autem frigidum humidum aut sine sapore est aut inter sine sapore et dulcedinem mediocre.

#### Dictum 125

Quomodo sanctorum congregacio comparatur terre

Sanctorum congregacio terra vivencium est, [cf. Ps. 26:13] que bene terre comparatur. Terra namque tota nusquam extra se inclinatur vel declinat quia quelibet eius particula ad medium universi inclinatur, et hac omnium partium ad unum medium undique inclinatione tota aequilibratur, et suis librata ponderibus fundaturque super stabilitatem suam, contra omnes impulsus firma permanet, stabilis, et immota. Universi autem medium est centrum. Quid est nisi ille quietissimus omnium, universa regens et gubernans, quem cuncta naturaliter appetunt, que omnia ipse portat verbo virtutis sue, que cuncta in tantum appetunt in quantum ad ipsum per verbum suum revocantur? Qui etiam ideo centro comparatur, quia secundum Crisostomum: "Sic omnia que per ipsum facta sunt in ipso vita sunt et unum sunt, quomodo infinitus semidiametrorum numerus in uno centri puncto unum subsistit." [Chrysostomus, ? PG 59. 53-60?]

Cum itaque boni non solum ipsum naturaliter appetant, sed etiam voluntaria et complacita amoris inclinatione, ipseque amor pondus sit anime, propter hanc spiritualem ad universi centrum dicti ponderis inclinationem, propter quod in appetito consecuto per idem pondus paucionem, bonorum congregacio recte terra nominatur, que congregacio /103vb/ singularum sui partium ad hoc idem medium inclinationibus ita coadunata et colligata et compacta est, suisque ponderibus aequilibrata, et super suam stabilitatem fundata, ut nusquam extra se inclinetur, tota in se quiescens, contra omnes impulsus firma permanens stabilis et immota.

Hec est terra vivencium, non solum vivorum habitacio, sed etiam ex ipsis viventibus consolidata est tota habitacio, sed singuli sunt habitatores, sicut tota ecclesia est sponsa, singuli sunt adolescentule sponsam sequentes. Sicut autem terra non commanet sine aqua, sic huius terre viventis conglutinacio est aqua viva, de qua in Iohanne Dominus dicit, "Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, forsitan peteres ab eo, et dedisset tibi aquam vivam." [Ioan. 4:10] Qua aqua, quia impii expertes sunt non commanent, "sed sunt pulvis quem proicit ventus," superbie, "a facie huius terre." [Ps. 1:4]

Et quaemadmodum in hac terra partes proximiores centro magis latent, minusque fructificant, supportant tamen partes exteriores fructificantes, sic contemplativi maioris amoris pondere spirituali centro proximiores magis latent, minusque per actiones exteriores fructificant, sed tamen activos bonis operibus fructificantes supportant.

#### Dictum 126

Persuasio ad bene agendum per hoc quod bene agendo sociamur angelis et male agendo demonibus

Interrogatus unusquisque vestrum an desideraret et diligeret societatem bonorum, ipsum ad bonum instruencium, exortancium, adiuvancium, et de bono ipsius agratulancium, eius quoque bona magno regi alicui referencium, et de hiis apud eundem regem laudancium, et pro hiis a rege eidem retributionem condignam rogancium et impetrancium, credo quod responderet se talium societatem ardentem appetere.

Item, requisitus utrum refugeret et odiret cetum malignorum, ipsi malum suggerencium, et ad malum alliciencium et stimulancium, de malo suo gaudencium, ipsumque irridencium, et super omnibus malis suis coram alico magno iudice eundem acriter accusancium, convictumque et sententia iudicis condempnatum at penas iehennalium, et condempnacionis sententiam crudeliter exequencium, credo quod responderet se talium cetum non mediocriter horrore. Et tamen plurimi vestrum cetui talium malignorum cotidie sponte se immergunt, et a bonorum huiusmodi societate se longe disiungunt. Quociens namque precantes male agimus cetui malignorum /104ra/ spirituum nos immergimus, et a contubernio celestium civium nos disternimus.

Agens enim non dividitur a suo actu, sed est simul cum actu suo. Amans quoque, teste beato patre Augustino, simul est cum amato. "Amor namque est vita duo quedam copulans, amantem scilicet et amatum." [Augustinus, De Trinitate, 8, 10] Cum igitur maligni spiritus malos actus nostros diligant, ac per hoc simul sint cum malis actibus nostris, et nos simus simul cum actibus nostris, quia illos agimus illosque diligimus, patet quod quociens male agimus nos cum malignis spiritibus simul sumus. Utrique enim et nos et ipsi cum actu nostro sumus, nos agentes et diligentes, illi vero diligentes.

Malignorum autem spirituum cetum et societatem angelorum sic se habere ad nos, ut supra diximus, [cf. above, ???] nulli potest esse dubium qui legerit scripta sacrorum expositorum. Et quia amor copulat et facit simul esse amantem et amatum, manifestum est quod odium disiungit et distare facit odientem et illud quod oditur. Odiunt autem celestis cives malos actus nostros, quia propter sicut male agentes malignis spiritibus associamur, sic a celi civibus eo ipso dissociamur, et quantum ipsi nostros malos actus odiunt, tantum a nobis male agentibus longe absunt. Et econtrario, cum celi cives nostros bonos actus diligant, et maligni spiritus eosdem odio habeant, quociens bene agimus celi civibus associamur, malignis spiritibus a nobis longe distantibus.

Licet ergo non aliud nos moneret et attenderet in bene agendi invincibilem amorem, et a malis actibus abstraheret, nisi hinc ex bene agere celi civibus associacio et a malignis spiritibus disiunctio, illinc vero ex male agere cum malignis spiritibus coniunctio et a sanctorum collegio dissociacio, hoc solum nos permoveret ad invincibiliter et incessanter bene agere, nisi essemus lapidibus insensibiliores et brutis magis irrationabiles et posteriores.

#### Dictum 127

De superbia

Superbia est amor excellencie proprie, cum scilicet aliquis vel superiorem vel excellenciosem locum alicuius celsitudinis desiderat quam sibi congruat, et in hoc desiderio effert se supra id quod

de congruencia deberet esse. Et quia desiderium malum obcecat mentis oculum, sepe contingit ut etiam putet se esse ubi esse desiderat qui celsiorem locum quam sibi competit affectat, /104rb/ cum tamen tanto deprimatur sub se quanto inordinate nititur supra se, velud multi sapientes secularium litterarum desiderantes omnibus in sciencia preponi, estimant se adeptos esse locum quem desiderant, cum tamen sint multis aliis in sciencia inferiores. Et ipsa cecitate sui mali desiderii magnam partem luminis sciencie sibi ipsis abstulerunt, quam possent participare communiter cum aliis si non affectarent preferri pre aliis.

In hanc diffinicionem superbie cadit etiam amor quo quis affectat locum sibi congruentem, sed solis propriis viribus vult et nititur ad illum ascendere, vel in iam habito persistere. Quia enim ex sua virtute ad sibi congruum se vult extollere, cum efficiens causa et extollens necessario sit alcius exaltato, in eo quod se per se solum vult extollere, se extollentem supra se exaltatum ordinat, et ita se extollentem alcius quam conveniat ponit.

Similiter, qui in celsitudine sibi congrua per se vult persistere, cause efficienti et conservanti, que eadem est, se quantum est in se parificat, et ita se supra se extollit. Cum autem homo supra hominem vult extolli, cum supra hominem proximo sit Deus, per consequens vult Deo parificari, et est imitator eius qui dixit, "Ascendam in celum et ero similis altissimo." [Is. 14:14]

Ad amandum vero se et suam excellenciam summe, non convertitur voluntas nisi que aversa est a summo et incommutabili bono. Principium igitur superbie est aversio amoris a summo et incommutabili bono. Consummatio vero superbie est amoris conversio ad sui excellenciam summe amandum. "Inicium itaque superbie hominis apostatare a Deo," [Eccus. 10:14] sicut dicit Scriptura. Hec autem aversio a summo bono, cum sit anime a vera vita separacio, quid est nisi mors anime? Inicium ergo superbie mors anime est.

Miro itaque modo anima inordinata voluntate nitens parificari summe vite, per ordinatam penam cecidit in ymam mortem. Que enim deseruit fruicionem vite stabilis et incommutabilis ut se et suo corpore frueretur, iuste per mortem deserta est a suo corpore quo voluit iniusti frui. A superbia ergo, sicut dicit Scriptura, "iniciu[m] sumpsit omnis perdicio," [Tob. 4:14] quia tam mors anime quam carnis. Et superbus, qui propriam excellenciam amando se subtraxit regimini Dei, per eundem /104va/ amorem motus membrorum suorum non sinit subici regimini nature, et ea que sunt consuetudinaria non sinit moderari a consuetudine, sed ut totus videatur sibi in propria potestate, in incessu et gestu et omnibus voluntariis motibus movet membra non secundum quod exigit natura, sed secundum quod disponit sua cogitacio superba. Ornat se vestibus et aliis ornamentis, non secundum quod exigit consuetudo eorum cum quibus vivit, sed secundum quod amor sue proprie potestatis adinvenit. Et cum natura et consuetudo bona, que est altera natura, omnia agant ordinatissime, necesse est ut superbia motus et consuetudinalia faciat inordinate.

Amor ergo quo vult a nullo regi iuste precipitat illum in errorem motus et operis inordinati, et qui cunctis vult esse spectaculum admiracionis, fit eisdem spectaculum derisionis. Affectio namque inordinata in mente extra se exerit deformiter in corpore. Amor igitur elevacionis super alios facit superbium in incessu erigi supra hoc quod exigit eius statura naturalis. Amor magnitudinis proprie facit eum corpore intumescere, pectore protenso incedere, verbis ampullosis et sono tragico reboare, capud ad latus lupino more non sine corpore flectere. Amor videndi ceteros sub se facit eum cervicem erigere et flectere, ut sic possit oculos deorsum quasi in subditos quos ymaginatur deflectere. Sed ne aliquid in se ymum videatur, ut oculi predicto capitis situ demissi, excelsi videantur, ipsis despectionis amore demissis, eorum supercilia frontem versus extollendo corrugat.

Cum autem superbo videatur celsitudinem maximam sibi competere, et omnem alium se inferiorem esse debere, si quis alius per humilitatis affectum celsitudinem sibi congruam appetat que non sit inferior celsitudine quam actu habet superbus, vel non tantum inferior quantum sibi videtur alium sub eo esse debere, videtur superbo alium appetere plus quam sibi congruat, et ita videtur ei eum qui vere humilis est superbire. Multum ergo erit pusillanimus qui superbo humilis videbitur, et quia quod per superhabundanciam dicitur uni soli potest convenire, cum superba sit

amor precellencie proprie, precellenciam quam amat in seipso superbus et eciam paritatem, quia tollit precellenciam, /104vb/ necessario odit in altero. Odit ergo in altero quod in se amat, non tamen ipsam superbiam odit in altero. Superbia enim non est precellencia, sed amor precellencie, nec odit superbus in alio amorem precellentie, sed ipsam precellenciam. Vellet enim superbus alium amare precellenciam, sed ad ipsum amatum non pertingere, ut in ipso amore impotente perveniendi ad desideratum tabesceret et deieciior fieret. Siquando ergo superbus non vult alium appetere precellenciam, hoc est si timeat appetentem et precellenciam appetitam pervenire, per accidens ergo, et non per se, odit superbus in altero superbiam, per se vero precellenciam.

Quis enim ipso diabolo superbior? Et quid magis amat diabolus quam nos superbire? Est igitur superbire, quantum in se est, ei qui non habet parem velle parificari, apostatam angelum imitari, a Deo apostatate, per recessum a summa vita in mortem cadere, naturalia et consuetudinalia contra ordinem perturbare, veram humilitatem superbiam in altero reputare, in se vero veram superbiam magnanimitatem fingere.

Et cum hec sit via superbi: “comedet fructus vie sue, et consiliis suis saturabitur,” [Prov. 1:31] Nitens enim supra se elevari, ipso nisu sursum offendit ad Deum iratum, et quanto forcius nititur, tanto violencius ipso proprio impulsu ad yma repellitur, sicut pila proiecta cum offendit ad obstaculum, quanto forcius offendit, tanto violencius redit. Sic igitur “qui se exaltat, humiliabitur.” [Mt. 23:12, etc.] Et qui se vult elevari supra se detruditur sub se, et qui relinquit paritatem naturalem ut esset par ei qui naturaliter non habet parem, quia summus est, iuste detruditur ad paritatem eorum que yma sunt. “Homo enim, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.” [Ps. 48:21]

Radix autem superbie est bona sua considerare, minoribus se comparare, et inde quamdam delectacionem haurire. Sed prescidi debet hec radix consideracione proprie infirmitatis, et quod bona que habet non a se habet sed a gracia, comparacione sui ad meliores, terrore exempli angeli qui per superbiam cecidit, amore exempli Filii Dei, “qui semetipsum formam servi accipiens exinanivit.” [Phil. 2:7]

## Dictum 128

### De detractone

De superbia, que est amor excellencie proprie, nascitur invidia, /105ra/ amor scilicet depressionis aliene, hoc est, amor ut alius qualitercumque deprimatur. Ex hoc nascitur velle deprimere alium. Sed cum res duplex habeat esse unum in seipsa, aliud in alterius cognicione, velle deprimere alium potest dupliciter dividi, in voluntatem scilicet deprimendi alium in seipso, et hoc est odium, et voluntate deprimendi alium in alterius cognicione vel opinione, que voluntas cum fuerit mentis rationalis, maxime si vertatur in habitum, mala qualitas mentis est, que dicitur vicium detractonis.

Hec enim voluntas expleri non potest nisi per verba et alia signa bonum alterius invertencia vel diminuencia. Diminuere vero vel invertere bonum unius in alterius opinione, quod non potest fieri nisi verbis et aliis signis verborum vicem suplentibus, detrahere est. Quidam enim cum non possunt verbo aliquo alio nutu vicem verbi suplente bonum alterius diminuunt, utpote cum aliquis in scolis opponit vel respondet conscolaris assidens cachinno vel risu vel alio nutu, signat et innuit alterius oppositionem vel responsionem nullam esse. Eciam quandoque ipsa faciei immobilitate et in capucium submersione innuit quod alterius opposicio vel responsio non est digna attenda audicione.

Ut igitur loquelam per nutus sub nomine verbi cum verbis comprehendam, detrahere nichil aliud est quam bonum unius in opinione alterius, quantum in se est, verbis deformare. Detractor igitur non inmerito dicitur “Deo odibiles.” [Rom. 1:30] Similitudo namque per se est amicabile, et contrarietas per se odibilis. Deus autem verbo suo omnia formavit; detractor verbo suo formata

deformat. Per se igitur detractor contrariatur Deo, et ita per se Deo odibilis. Huius penam dicit Dominus in Numeris pestilenciam; sic enim scribitur, "Usquoque detrahet mihi omnis populus iste? Feriam igitur eos pestilencia." [Num. 14:11] Est igitur pestilencia subita corruptio ex aiere corrupto. Et que pena equior quam ipsum corrumpi aiere corrupto, qui quantum in se est alios corrumpit aiere corrupto? Verba enim prolata sunt aieris ictus. Sententia maliciosa in verbis pestilencialis est qualitas aieris. Vide ergo qualis est detractio, cuius avia est superbia, mater invidia, cuius frater /105rb/ est odium, cuius proles est leticia de sinistra opinione de altero progenita, cuius pena pestilencia, cuius officium verbo transitorio et malicioso deformare quod formator omnium eterno verbo et benignissimo formavit.

Si quis vir studiose circuiret ut acuto gladio in ortis optima queque fructuum abscinderet et virenciores et magis fructiferos ramos cicius resaceret, circuiret eciam per templa, et quod decencius esset et pulcrius figuratum in ymaginibus sanctorum festinancius acumine gladii amputaret, nonne vir talis insanus iudicaretur aut sacrilegus, et vel funibus aut cathenis eum compescerent, vel a societate hominum expellerent? Cur non igitur magis detractor funibus compescitur, vel ut sacrilegus ab omni societate hominum expellitur, qui circuiens non per quemvis ortum, sed per paradisum, lingua sua quasi gladio acuto optima queque fructuum bonorum operum abscindit, ramos virtutum fructiferos resecat, et quod decencius est et pulcrius in ymagine viva Dei vivi amputat? Immo vero tanto magis quasi insanus vel sacrilegus iste compescendus est vel abiciendus, quanto virtutes spirituales et sancta opera precellunt fructus et arbores corporales, et quanto ymago viva Trinitatis precellit ymaginem ligneam vel auream uniuscuiusque sancti.

Quidam vero sunt qui, ne videantur detractores, ipsam detractionem aliqua specie boni velare nituntur, et vel a laude incipiunt sermonem suum ut laudatores appareant, sed per adversativas coniunctiones intermiscunt occulte laudis diminucionem; vel a conquestione incipiunt, et sub specie dolencium et conquerencium aliorum bona diminuunt; vel ipsum cui volunt detrahere coram aliis increpant, ut sub specie correpcionis et obiurgacionis detrahant, et sic sub pallio honestatis vicium detractionis celant. De hiis dicit Salomon, "Si mordeat serpens in silencio, nichil eo minus habet qui occulte detrahit." [Ecces. 10:11] Talium occulte detrahenciam tipum bene gessit Maria, soror Moysi, cum sub specie correpcionis pro Ethiopissa, [Numeri 12o] /105va/ fratri suo detraxit, qua correpta a Domino irato, nubes recessit de tabernaculo, et ipsa apparuit candens lepra, et eiecta est de castris. [cf. Num. 12:9-10] Vide primo cur recessit nubes. Qui simulant unum et faciunt aliud ficti homines solent appellari. Sed sicut scribitur, "Spiritus Sanctus discipline effugiet fictum." [Sap. 1:5] A talibus ergo recedit columpna, hoc est Spiritus Sancti refrigerium, protectio et sustentacio. Quid enim mirum si Spiritus Sanctus non protegit hominem qui sub specie donorum Spiritus Sancti dona spiritus maligni nititur tegere? In carne leprosi varius et adulterinus color eminet, sic in sermone occulte detractionis eminet candor amicabile laudis vel compassionis conquestionis, vel iuste correpcionis, sed respergitur sparsim lurido colore et putredine livide detractionis. Lepram igitur gerit occultus detractor in ore et mente multo peiorem quam gessit Maria in corpore. Orans pro ea Aaron dicit, "Ne fiat hec sicut mortua et quasi abortivum quod proicitur de vulva." [Num. 12:12] Abortivum fetus est proiectus de vulva non animatus, affectio bona quam per sermonem extra pretendit occultus detractor fetus est de vulva manifestatus, sed quia caret bonitatis veritate et vita gracie, non vivus sed exanimis est proiectus. Affectio eciam diminuendi bonum alterius cum patenter in sermone exprimitur, quasi viva et formata de vulva procedit. Cum vero hec affectio inexpressse exprimitur, quasi mortua et informis nascitur. Sed exanimis et informis fetus proiectus, cui non est abhominacio? Quis non statim nauseat et vehementer abhorreat si viderit? Propter hoc dicit Salomon, "Quia abhominacio hominum detractor," [Prov. 24:9] Et non solum hominibus, sed eciam Deo, est abhominabilis detractio. Hoc enim satis innuitur cum subditur de Maria, "Si conspuisset pater eius in faciem suam," etc. [Num. 12:14] Spuere namque solemus in ea que abhominamur.



Hec species detractio que lepre comparatur, quanto plus pretendit velamentum honeste affectionis, tanto occultius et perniciosius alios inficit, quosdam sinistra suspitione, quosdam consimiliter detrahendi imitatione. [? mutacione MS] Ne igitur contagio alios inficiat, talis leprosus extra castra cum Maria eiciendus est, hoc est, ab hominum societate separandus. /105vb/ Hoc enim monet Salomon dicens, "Cum detractoribus non commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum." [Prov. 24:21-22]

Collige ergo que sit occulta detractio. Morsus est serpentis in silencio, Spiritus sancti fugacio, lepre contagio, informis fetus abhorratio, [abhorsio MS] Deo et hominibus abhominatio cui debetur a castris Dei exclusio et repentina perditio. Hoc tam deforme malum si vis dissipare, audi Salomon dicentem, 'Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristes linguam detrahentem.' [Prov. 25:23] Qui enim facie faventi verbis detrahentis applaudit, quid aliud quam fomentum olei subministrat igni lingue a iehenna inflammante? [cf. Iac. 3:6] Qui vero facie tristi sibi displicere detractioem ostendit, quasi impulsu venti frigidi nebula detractioem alterius bonum obfuscatia dispergit. Qui enim faciem tristem detrahentibus non pretendit, ipsis consentit, quia cum possit malum impedire non impedit, et secundum vocem Apostoli simul cum detractore dignus est eterna morte. [cf. Rom. 1:32] O quam terribile est istud, quia pauci sunt qui licet ipsi non detrahant, quin detrahentibus faciem faventem pretendant. Absit huius favoris perniciose consuetudo. Ut igitur vicium detractioem perimas in alio, ostende detrahenti per faciem tristem animum non faventem, et contra verborum eius lubricum per aures ingressum, "sepi aures tuas spinis," [Eccus. 28:28] ut statim sentiat puncturas tue correptionis. Hoc vicium perimat in teipso de bonis fratrum congratulatio fraterna. Quidam sunt qui volunt alios ledere in sua substantia vel sua possessione, quibus tamen libet diminuere bona aliorum in aliorum opinione. Quidam vero non false sed vere dicunt de aliis mala, et hoc libidine vilificandi eos in opinione auditorum, qui omnes a vicio detractioem non sunt immunes.

#### Dictum 129

De propria intencione horum nominum fidei et articulus fidei

Collectio creditorum ad iusticiam quasi unum corpus fidei consistit, cuius corporis quelibet una particula parva credita articulus fidei dicitur, forte ad similitudinem articulorum corporis humani, ut, sicut in humano corpore ultime et parve particule articuli dicuntur, quasi parvi artus, /106ra/ ita ultime decisiones totius communis fidei articuli fidei dicuntur. Vel forte ideo dicuntur articuli fidei, quia credi debent secundum ultimitatem credendi, id est, credi debent in termino intencionis fidei. Dicimus enim articulum necessitatis ipsam necessitatis ultimitatem, scilicet quando est in ultimitate et termino intencionis sue. Similiter articulum mortis dicimus ipsam moriendi ultimitatem, et articulum diei ipsum terminum et ultimitatem diei inicialem, sicut legitur in Genesi, "In articulo illius diei ingressus est Noe, Sem, Cam et Iaphet, filii eius in archam." [Gen. 7:13] Et similiter dicimus ea que sunt ultima in membris articulos. Ultimitatem igitur et terminum importat hoc nomen articulus ubicumque dicitur, etiam cum dicitur articulus brevissima pars oracionis, et cum significat colorem rethoricum per quem quasi in parva membra discinditur oracio.

Ad hanc itaque similitudinem potest dici articulus fidei totius corporis fidei ultime decisiones, que secundum ultimitatem et summam intencionem fidei debent credi. Fides namque est cum assensu cogitacio. Sed sic diffinita fides est etiam sciencie genus. Quod enim scio cum assensu cogito. Proprie autem dicitur fides cogitacio assensuens per medium, quod posset quidem alicui modo, sed non consuevit fallere. Secundum hoc, quod creditur ab alicui nondum scitur ab eodem, et sic creduntur tam ea que non attinent ad salutem nostram, quam ea que attinent. Cum autem unum de mediis facientibus fidem et non scienciam sit auctoritas, medium quod maximam fidem debet facere est auctoritas sacre scripture. Que igitur cadunt sub fide maxime sunt ea quibus assentitur sacre scripture auctoritate. Magis proprie igitur dicta est fides eorum que sacre scripture

auctoritate creduntur. Inter hec etiam que sacre scripture auctoritate creduntur, maxime credenda sunt que credita iustificanc. Hec autem, ut puto, sunt ea ex quibus speramus beatitudinem. Hec autem sunt quorum visio in patria erit vita eterna. "Est autem vita eterna cognoscere te Deum verum, et quem misisti Iesum Christum." [Ioan. 17:3] Visio igitur creatoris et redemptoris erit vita eterna /106rb/ et beatitudo vera.

Ex creatore igitur et redemptore speranda est beatitudo. Sed non erit beatificancium visio nisi eorundem precesserit fides, sicut scriptum est, "Nisi credideritis, non intelligetis." [cf. Is. 7:9] Creator igitur et reparator credendus ut perveniatur tandem ad visionem, et summe credendus, quia hanc fidem nobis maxime incutit auctoritas sacre scripture, utpote fundamentum iusticie. Sicut enim beatitudo in patria est gaudium in visione creatoris et restauratoris, sic iusticia in via est amor humilis creatoris et restauratoris. Non amatur autem nisi quod cognoscitur sciencia vel fide. Cum igitur nondum sit in nobis sciencia et visio creatoris et reparatoris, necessaria est nobis ad iustificacionem creatoris et recreatoris fides firmissima. Maxime igitur proprie dicitur fides que creatore et recreatore habenda est, que fides continetur in simbolo, ubi exprimitur creator unus et trinus, et recreator Iesus Christus, verus Dei Filius, in quantum reparator. Hoc est, exprimitur ipse cum hiis secundum que est lapsus nostri integra reparacio.

Articuli igitur fidei maxime proprie dicuntur quasi parva membra corporis simboli, que secundum ultimitatem intencionis fidei credenda sunt. Hii, ut dictum est, per se sunt fundamentum iustificacionis. Omnia tamen que in canone scripture continentur, et que credit universalis ecclesia, extra symbolum contenta, possunt per accidens dici causa iustificacionis, quia cum contra auctoritatem scripture vel ecclesie discreduntur, sunt causa dampnacionis.

Credere vero proprie cadit super complexum verum vel falsum, nec ideo sequitur quod alia fuerit fides Abrahe credentis Christum nasciturum, et etiam nostri credencium Christum natum. Utrique enim horum dictorum per temporum consignacionem sic variatorum subest una quasi utrique substancialis complexio, scilicet nativitatis temporalis secundum hominem cum persona Filii Dei eterna, que tempore Abrahe fuit futura, nunc autem est preterita. Et sicut non videt alia membra alius corporis, sed eadem membra eiusdem corporis, alterata tamen, qui videt membra /106va/ alicuius viri magna et eiusdem quondam pueri vidit membra parva, sic non est alia fides sed eadem antiquorum et nostra.

Dictum 130

Quod in omni opere Dei sunt simul misericordia et iusticia

In omni operatione Dei est prestacio alicuius boni non debiti ei cui prestatur bonum illud. Cum enim creat aliud ex nichilo, prestat create rei essenciam quam non potuit res creata promereri, cum nichil esset. Similiter, cum iam creatis vel conditis prestat aliqua [alia MS] bona, aut prestat simpliciter immeritum, aut prestat plus quam meritum est. Cum vero malis infligit penam, prestat eam minorem condigna. Ipsa itaque diminucio pene bonum est immeritum. Preter hoc, etiam in prestacione ipsius pene prestat bonum immeritum. Cum enim pena iusta sit, bona est; mala vero est sustinenti. Ipsa igitur pena, in quantum huiusmodi, non est bona sustinenti, licet ex parte alia, unde scilicet pena non est, sed vel delicti purgacio, vel a delicto preservacio, vel paciencie probacio, bona sit sustinenti. Cum ergo bona sit unde pena est, et non sustinenti, restat quod alii, utpote ei qui per penam inflictam vindicatur.

Non enim infligit Dominus penam nisi pro delicto, vindicans eum [enim MS] in quem delictum est. Ipsa igitur pena iusta est et bona illi qui vindicatur. Non autem vindicatur quis a Domino quia vindicari meruit, sed quia iustus est Dominus, reddens unicuique secundum opera sua. In inflictione igitur pene est boni immeriti prestacio. In omni ergo operatione Dei est prestacio boni

quod non meruit cui prestatur bonum illud, et ita misericordia, que in Deo est voluntas prestandi bonum inmeritum.

Item, qui prestat quod prestare debet iuste facit. Est autem iusticia rectitudo voluntatis servata propter se. Rectum vero est unumquodque cum est sicut esse debet. Voluntas ergo que est sicut esse debet iusticia est, et quod a tali voluntate procedit, a iusticia procedit. Omnis autem prestacio boni quod prestat Deus procedit a voluntate eius in quantum est sicut esse debet. Procedit igitur a iusticia, et iuste fit. Non enim prestatur bonum a Domino quod non debeat prestare eius immensa bonitas. Comparacione igitur facta ad bonitatem et equitatem prestantis, quicquid prestatur a Domino debitum est prestari, et ita iustum est. Comparacione /106vb/ vero facta ad recipientem, bonum prestitum indebitum est, et ita est pertinens ad misericordiam donantis.

In omni operatione igitur Domini est prestacio boni debiti et indebiti. Debiti dico de bonitate et equitate prestantis, indebiti de merito recipientis. Omnis enim operacio Domini iusta est, quia debet eam facere de sua bonitate; misericors est, quia non est debita meritis recipientis. Et non solum operationes eius speciales iusticia et misericordia informantur, sed etiam ipse operationes universales, in specialibus existentes, si respiciantur solum universalitate sua, invenientur habere iusticiam et misericordiam. Et cum omnis operacio Dei a summa iusticia procedit, non potest esse aliqua eius operacio iustior quam sit. Unde pena que infligitur peccantibus, licet sit minor condigna, non potest esse magis iusta, quia si esset condigna iustior esset et magis debita quoad demerita peccantis, sed talis est indebita quoad bonitatem infligentis. Ab eo vero quod pena est talis qualis esse debet de bonitate et equitate infligentis, denominatur simpliciter [similiter MS] iusta, et non ab eo quod est talis qualis esse deberet de exigencia demeritorum peccantis. Posset igitur omnis pena quam infligit Dominus quoad quid esse iustior quam sit, simpliciter autem iustior nequaquam. Potest tamen operacio eius esse magis misericors, quia quanto magis est bonum et minus meritum, tanto misericordius re tractandum. Hec igitur intencio cadit super inequalitatem boni prestiti et meriti eius cui prestatur. Sed eius operacio, cum equalis sit et commensurata rectitudinei voluntatis sue, et ab hac equalitate denominetur iusta, patet quod aliqua eius operacio non recipit intencionem in hac iusticia.

Item, prestare bonum immeritum misericordia est, sed hoc totum misericordem prestare bonum immeritum iustum est et equum. Videtur etiam quod Deus, in quantum punit aliquem, misericorditer agit cum eo quem punit, quia in quantum dat flagellum temporale dat revocatorium a malo, et sic dat ei bonum. Preterea [Papa MS] infligendo quamcumque penam manifestat ei cui infligit penam illam suam iusticiam. Dans igitur flagellum dat /107ra/ manifestacionem iusticie. Hoc autem magnum bonum est. In quantum igitur est flagellans aliquem, et ita suam iusticiam ei manifestans, prestat ei magnum bonum immeritum. Ita etiam dans cecitatem ceco nato ut ipsa cecitas esset glorie manifestacio, magnum bonum prestitit.

Item, misericorditer agit dans diminucionem pene condigna, non solum diminucionem acerbitatis, sed etiam, ut puto, diminucionem duracionis. Licet enim pena dampnati infinita sit duracione ex parte posteriori, quia tamen non est utrimque infinita, sed terminata ex parte anteriori, recipit diminucionem ex ea parte qua finita est, id est ex parte anteriori, cum scilicet tardius incipit pena dampnati quam condignum esset eam incipere. Ad hanc partem itaque misericordie spectat, quod Dominus hic permittit malos diu prosperari, sicut econtra misericorditer agit cum bonis, cito eos rapiens de huius vite erumpnis.

Item, ex supradictis manifestum quod quandoque Dominus eo quod gravius punit, misericordius agit. Pena enim quandoque quanto gravior, tanto maius retinaculum a peccato, tanto iusticie Dei maior manifestacio, tanto ei qui vindicatur maioris boni prestacio.

Dictum 131

Quomodo Christus in passione fuit sicut plantacio rose in Iericho

Verbum et sapiencia Patris, Iesus Christus, assimilatur se plantacioni rose in Iericho. [Eccus. 24:18] Flos namque rose quinque folliculis corticis hirsutis adinvicem se amplectentibus circumdatur et tegitur usque ad tempus expansionis sue. Cum vero expanditur, totus flos a quinque foliis floris rubeis, predictis quinque folliculis proximis, per circuitum ambitur et inchoatur. Item, inter hos quinque flores rubeos, primos sunt multi circuitus consilium florum rubeorum, sed non habent numerum determinatum, quia quandoque reperiuntur plures, quandoque pauciores. In medio vero totius flosculi sunt quidam minuti flosculi coloris aurei.

Rosa itaque rubea est Iesus Christus, propter ruborem passionis, qui sub velamine littere legis Mosayce in quinque libris contenta usque ad tempus expansionis eius in cruce velabitur, sed tunc auferebantur velamen istud quintiplex, velo templi scisso, et patefactis /107rb/ archanis in sanctis sanctorum. In expansione sua quinque flores rubeos manifestavit quando in quinque locis sanguine quinque vulnerum corpus suum rubricari permisit. Reliqui flores, qui intra hos quinque continentur non secundum numerum determinatum, sunt innumerabiles martires in corpore Christi mystico sanguine suo rubentes. Aureus flosculus in medio splendor est divinitatis eius.

Iericho autem interpretatur luna vel defectus. [chk. Glossa ord.] Plantabatur igitur hec rosa in Iericho quando affigebatur cruci, et occidens per mortem quasi deficiebat. Deficiebat etiam tunc fides in omnibus preterquam in beata Virgine, sed in ipsa, que "pulchra est ut luna," [Cant. 6:9] plantabatur hec rosa fidei firmitate.

Si vero de igne caritatis mittatur sursum ad hanc rosam calor devote orationis, extrahetur limpidissima aqua gratie qua infirmus oculus mentis ablutus roborabitur ad videndum lumen divinitatis eius.

## Dictum 132

### De integritate hominis

Homo integratur ex anima et corpore, constante ex omnibus membris officialibus debitis humane integritati existentibus in dispositione integritatis secundum numerum et quantitatem et figuram, secundumque tertia si assit validudo, quarta potest compleri perfecte officium unicuique membro debitum. Nec est verisimile quod corpus totaliter fluat, sed remanet idem, contractum ex causis sementivis, per quod semper stans fluit ad generatum ex nutrimento, sicut aqua per idem vas. Nec est aliud membrum propter aliud, et aliud ex nutrimento adveniens et fluens, nec est aliud vel diminutum membrum, licet de carne substanciali contracta ex causis sementivis aliquid tollatur, cuius ablacio non tollit membrum aut numerum, aut magnitudinem, aut figuram. Et etiam si ablacio particule carnis substancialis minueret magnitudinem, dummodo in tali magnitudine plene posset perfici officium membro debitum, non faceret ablacio membrum aliud aut illud esse membrum diminutum.

Similiter, si carni substanciali membri sit aliquid additum per nutrimentum quod non permittent predicta tria, aut [at MS] si unum horum permittat, nichilominus potest membrum esse complete operationis, illud additum non facit membrum aliud superfluitatem /107va/ in membro ad ydemptitatem, aut et integritatem hominis non exigitur nisi ydemptitas anime et ydemptitas et integritas membrorum officialium. Patet igitur quod non oportet hominem resurgere cum sua carne substanciali tota vel sola, nec quicquid tollitur hic de alicuius carne substanciali resurget in eo a quo tollitur, aut in alio, quia semen parturiale decisum ab homine potest perire antequam ameretur et in nullo resurgere, ut videtur. Quid autem, aut quantum, de adgenerato ex nutrimento resurget in unoquoque? Si tamen totum, aut eius ad quantum scilicet decet et expedit, resurget, novit ille solus ad cuius vocem mortui resurgent.

Intencio autem in predictis per carnem corpoream membri massam nec est quelibet pars quantitativa corporis proprie pars membri aut hominis, sed pars quanti. Similiter quod extrahitur per

propagationem et seminis decisionem non est proprie pars quanti vel hominis, sed forte dici potest pars materie multiplicabilis. Partes autem hominis sunt caput, manus, caro et os, et cetera membra officialia et similia, que omnia manent eadem sub diversis magnitudinibus, quorum alicui destructo non manet homo integer.

Item, forte de integritate et perfectione pectoris non est ut habeat tot vel tot costas, sed ut habeat costas sufficienter, cor protegentes, in quocumque sunt numero. Quod si ita est, remansit in Ada idem pectus et integrum post costae ablationem.

### Dictum 133

#### De castitate et gradibus quibusdam virginitatis et viduitatis

Sentire pollutionem in sompnis est sentire fluxum seminis per morbum, qui morbus vocatur gomorraea. Et sentire fervorem et motum involuntarium genitalium membrorum, qualis fervor et motus sentitur cum temptatur a carne, sine usu illorum membrorum, non voco sentire libidinem, sed sentire pruritus carnis. In usu membrorum illorum, sive sit usus licitus, sive illicitus, sive naturalis, sive contra naturam, dico sentire libidinem.

Castitatem vero dico amorem et propositum non sciendi libidinem contra Dei prohibitionem. Castitas itaque in eo (vel in ea) qui (vel que) non sentit libidinem virginitas est. Dicitur tamen virginitas materialiter integritas corporis quod non sensit libidinem, licet non sit castitas mentis. Et forte quandoque dicitur formaliter virginitas castitas mentis, /107vb/ cum tamen corpus sensiret libidinem, sed per violenciam solam. [cf. Gratianus, Decretum, C. 32 q. 5 d.a. c. 1] Forte enim aliquae vi oppresse in numero virginum computabuntur. Proprie tamen dicitur virginitas mentis castitas cum corporis integritate, ut predictum est.

In virginitate itaque proprie dicta multi sunt gradus et differentie. Que enim habent amorem et propositum non sciendi libidinem contra Dei prohibitionem, nec sensit libidinem, potest esse talis que non disposuerit de sciendo libidinem nisi sub Dei voluntate, sicut sciunt boni coniugati, vel de non sciendo unquam. Vel potest esse talis que contra hoc deliberavit, sed neutrum sibi partem prefixit, processum suum Dei committens dispositioni. Potest etiam esse talis que proponit sentire libidinem, sed sub Dei voluntate in vita coniugali. Potest etiam talis que proponit se nunquam sensurum libidinem. Potest etiam esse talis que voveat se nunquam sensurum.

Habemus igitur quinque differentias virginum et gradus, in quorum supremo collocatur aliis circumstantiis que valent ad sanctam vitam circumscriptis, illa que vovit se non sensuram libidinem. In secundo, illa que proponit hoc, tamen sine suo voto. In tercio, illa que suum progressum Dei commissit dispositionem. In quarto, illa que nondum deliberavit de sciendo vel non sciendo libidinem. In quinto et infimo, que proponit se sensuram libidinem, sed sub Dei voluntate. Hec enim non potest bonis coniugatis preferri, ymmo potius coniugata prefertur illi, quia talis virgo unum aliquem de turba querit, coniugata unum certum [iterum? MS] in turba tenet. Hec enim est castitas coniugalis, amor et propositum nunquam sciendi libidinem contra Dei voluntatem, cum proposito tamen sciendi libidinem sub Dei voluntate a viro cui copulata est. Coniugati enim de communi consensu in perpetuam continentes potius videntur habere castitatem vidualem quam coniugalem. Quidam autem coniugati ita volunt sentire libidinem ut per illam operentur, et nichil propter illam. Quales sunt illi qui concumbunt solum propter proles propagationem. Quidam vero non solum per illam operantur, sed etiam aliquid propter illam, ut boni coniugati qui quandoque coeunt etiam sine spe proles, victi a /108ra/ carnis concupiscencia, et venialem maculam inde contrahentes. Hos tamen dico sentire libidinem sub Dei voluntate, quia non faciunt contra prohibitionem. Permittitur enim talis copula carnalis secundum veniam. [cf. 1 Cor. 7:9]

Castitas enim vidualis proprie est amor et propositum non sciendi libidinem contra Dei prohibitionem in ea que a viro sic soluta est, cum tamen aliquando senserit libidinem. Et hec castitas habet diferencias et gradus tot et consimiles quot et quales habet castitas virginalis. Unica igitur est essentia virtutis in virginitate, et castitate coniugali et viduali, scilicet illa castitas. Sed in dicta tribus differentiis fit tres species castitatis, remanetque essentia castitatis una, tamen sit transitus de uno gradu virginitatis in alium, vel de virginitate in castitatem coniugalem, et de coniugali in vidualem. Verumptamen cum sit aliquis transitus ab alico superiori gradu virginitatis ad infimum gradum virginitatis, id est ad castitatem coniugalem, videtur necessario ipsa castitas remitti. Igitur cum omnes virtutes in eodem necessario sunt equales, omnes alie virtutes necessario remittuntur. Igitur videtur caritas remitti, quod multi non putant. [chk. Wm. Auxerre, Alex. Hales, etc.] Sed sive remitti possit caritas et castitas sive non, intendi potest castitas virtus simul cum carnis corrupcionem, velud si virgo aliqua habens in proposito vel voto virginitatem corrumpatur invita, quia sentire carnis corrupcionem invite non diminit, sed potius auget castitatem, quia magis est velle firmiter non sentire libidinem sciendo illam, quam velle non sentire cum non sentitur. Castitati igitur addita hec circumstantia, que est maioris fortitudinis, necessario augmentat eam.

Quod celibatus huius temporis non prefertur castitati coniugali antiquorum patrum ratio est quod illi antiqui patres tantum amorem habuerunt nunquam sciendi carnis libidinem quantum nunc habent virgines. Verumptamen quia tunc fuit tempus multiplicandi populum Dei per carnis propagacionem, et erat in precepto carnalis propagacio, [cf. Gen. 1:28, 8:17, etc.] que nunc in precepto non est, obediens precepto quod nunc non astringit, usi sunt antiqui patres coniugibus, habentes virginalem castitatem in mentis habitu, licet non in corporis actu. /108rb/

#### Dictum 134

##### De gracia et iustificacione hominis

Gracia est bona voluntas Dei qua vult nobis dare quod non meruimus, ut nobis ex dato bene sit et non ipsi donanti aliquid inde proveniat. Sic etiam consuevit dici gracia talis voluntas unius hominis erga alium, consequenter a gracia sic dicta. Dicitur etiam gracia ipsum donum quod datur a tali voluntate. Tercio dicitur gracia affectio et laus debita, repensa ab ipso recipiente. Patet itaque quod omne bonum quod in nobis est, sive sit gratuitum sive naturale, a gracia Dei est, quia nullum est bonum quod ipse non velit esse, et eius velle est facere. Non est igitur bonum quod ipse non faciat.

Aversionem igitur voluntatis a malo, et conversionem ad bonum, et perseveranciam in bono, ipse facit. Nichilominus tamen hec eadem facit nostra voluntas libera, sicut granum germinat et vi intrinseca quadam germinativa, et solis calore cum terre humore. Si enim nos non averteremus nosmetipsos a malo et converteremus ad bonum, non inde laudabilis essemus, nec preciperetur nobis in scriptura hec facere. [cf. Ps. 36:27, etc.] Et si sine gracia hec faceremus, non pro hiis esset rogandus Deus, nec eius velle esset eius facere.

Modum ergo quo iustificatur impius talem esse puto: Deus eterno verbo suo dicit omnia que fiunt, sicque fiunt, quia nil eum latet. Sed mala culpe dicit sic, quod ei non placent, et ideo nec illorum est causa. Bona vero sic dicit, quod ei placent, et tale dicere est eius facere. Sit itaque quis nunc iustificandus. Eterno igitur verbo et eterna voluntate dixit et voluit hunc impium nunc averti a malo et eius voluntatem converti ad bonum, hoc faciente tam Dei voluntate bona, que est gracia, quam hominis voluntate libera, si tamen huius voluntas libera hanc Dei voluntatem bonam non repellat. Sic igitur est in homine ut remaneat malus si repellat gratiam, vel fiat bonus adiuvante gracia. Sic etiam salvatur quod Deus facit omnia que vult. Vult enim hunc impium nunc converti de malo ad bonum, salvo tamen iure liberi arbitrii quod in homine creavit. Cur autem iustificetur iste impius nunc magis quam prius, ratio est quia Deus eternaliter dixit illum nunc convertendum. Quare

vero eternaliter dixerit hunc convertendum nunc magis quam prius vel post, ratio est quia sic esse est ordinatissimum in rerum universitate. Omnia enim sic facit Deus sicut sunt in universitate /108va/ ordinatissima.

Bona autem voluntas qua homo est conformis voluntati divinae est gratia data a gratia que est voluntas divina. Et tunc dicitur gratia infundi, cum voluntas divina in nostram voluntatem incipit operari. Omne autem bonum quod in nobis operatur Dei bona voluntas, ut dictum est, dicitur gratia data. Sed sola conformitas voluntatis nostre voluntati divinae est gratia data que nos reddit gratos Deo, et bona voluntas Dei hanc conformitatem in nobis efficiens et conservans in ceteras Dei voluntates sola dicitur gratia gratificans. Voluntas autem Dei qua vult impium averti a malo gratia quidem est et magna, sed nondum gratificans. Et secundum quod gratia dicitur tunc primo esse vel infundi primo cum operari incipit, hec gratia simul est tempore cum peccatorum remissione, id est cum aversione voluntatis a malo, et prius est natura quam sit peccatorum remissio, utpote eius causa, simul etiam tempore cum hac est bona voluntas Dei, qua vult hominem converti ad bonum. Sed hec voluntas, que est gratia gratificans, posterior est natura quam sit proximo dicta et quam peccatorum remissio, prior tamen est natura quam sit voluntatis nostre ad bonum conversio.

Tercia subsequitur gratia que est secunda gratificans voluntas, voluntas scilicet conservandi in bono voluntatem conversam ad bonum, quamdiu homo hanc gratiam non repellit. Homo autem iustus est ab ordine recte voluntatis, que affectio est, non ab actu recte volendi, alioquin dormiens non esset iustus. Non tamen efficitur affectio recta in adulto nisi cum actu recte voluntatis, tamen absque alicuius actu proprie voluntatis iusticia in parvulo baptizato, sicut iniusticia est in parvulo nato absque actu proprie voluntatis. Nec tamen adultus umquam fiet de iusto iniustus sine actu proprie voluntatis. Nec habet hic locum quod dicitur, "unum non nisi ab uno," [cf.!? Avicenna, Liber de philosophia prima, 9, 4; ed. Van Riet p. 481] ut ostendatur iusticiam posse fieri in adulto sicut in parvulo sine actu proprie voluntatis. Forsitan enim verum est, si sane intelligatur, quod unum non nisi ab uno similiter in quantum unum. Et tamen primus homo non de virili semine, cum tamen nullus modo fiat nisi de virili semine, et calor tum gignitur ab alio calore, tum a radiorum solis multiplicatione, tum /108vb/ a corporum confricacione et motu forti. Sed in hiis omnibus forte potest reperiri una precisa calorum causa, que est inclinacio materie rarefactibilis in partes oppositas, occasionata tum per motum, tum per solis radios, tum per confricacionem.

Dictum 135

Sermo ad conventum monachorum de hoc verbo, "Despondi vos uni viro"

"Despondi vos uni viro virginem castem exhibere Christo." [2 Cor. 11:2]

Virgo hec casta, sancta est ecclesia, sponsa Iesu Christi, "gloriosa, sine macula et ruga," [Eph. 5:27] que, licet virgo sit et casta, tamen quia mater fecunda, ubera habet et lactis copiam, qua parvulorum suorum nutriat infanciam. Habet etiam cibum solidum quo amplius corroboret robur perfectorum. [cf. 1 Cor. 3:1-2; Hebr. 5:12] Hoc cibo solido vestre sanctitatis soliditas cotidie splendide reficitur. Nec a mea mendicitate quicquam eget huius cibi mendicare, sed splendide refectis ditissimorum ferculorum soliditate, ex quadam delicacione quandoque consuevit accidere potum sitire parvulorum. Hoc vobis puto accidisse, qui meam parvitatem vestre sanctitati sermonem facere compellit. Forte enim aliquid modicum lactis expressit mihi parvulo suo de uberibus suis hec virgo casta et mater fecunda unde, post epulas nobilium ferculorum et delicatarum, vestra sitis postulat sibi propinari. Et forte vestra sitis uberem potum efflagitat, et mea penuria non potest nisi parvum aliquid de modico lactis ab uberibus matris excepti stillare. Non potest prestare unde potetis, sed forte per vestras preces poterit minutatim distillare, unde suggatis. Igitur quia referti et refecti ditissimis ferculis cibi solidi ex quadam delicacione superhabundantis refectionis vestre lac parvuli petitis, ymmo potius extorquetis, rogate quatinus mater illa fecunda, eademque virgo casta,

de uberibus suis vino melioribus botro silibus parvulo suo lactis aliquid exprimat unde vestra delicata et laudabilis aviditas, non dico possit potare sed saltem modicum aliquid guttatim suggere. Nec vobis molestum sit de lacte isto virgineo per parvulum virginis ministrato suggere, licet non sitis parvuli, quia, ut dicunt medici, omne lac melius /109ra/ iuvat si suggatur, et amplius nutrit, et non facile corrumpitur, quod cum suggeris dolorem stomachi mitigat. Ut igitur virgo de lacte virgineo saltem quod suggere possitis per me parvulum suum vobis ministret agnum sponsum virginum, vestra caritas suppliciter deprecetur.

“Despondi vos,” etc. Hiis verbis commendantur tria: multitudinis unitas, continencie ab illicitis integritas, castitatis sinceritas. In eo enim quod prius dicit “vos,” ad multitudinem pluraliter sermonem dirigens, eandemque multitudinem continuo nominat “virginem,” singulariter, multitudinis collaudat unitatem, quasi “despondi vos,” omnes fideles. Multi estis, ymmo innumerabiles, persone per personarum proprietates et singulorum meritorum differencias, unitate tamen fidei et compage caritatis quibus in Christum creditis et Christo adheretis, qui est unum cum Patre. Effecti estis unum sicut Christus et Pater unum sunt. Hoc rogavit nobis Filius unicus Patris unum cum Patre ut unum simus in Patre et Filio, sicut Filius et Pater unum sunt. [cf. Ioan. 17:6-26] Hanc claritatem dedit nobis splendor Patris, sicut ipsemet testatur, dicens “Et ego claritatem quam tu dedisti michi dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum.” [Ioan. 17:22-23] “Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum.” [Ps. 132:1]

Hec ergo multitudinis unitas multitudinis est claritas, multitudinis iocunditas, multitudinis benignitas, multitudinis consummatio, multitudinis pulcritudo. Hec enim multitudinis unitas est participatio et communicatio unitatis supreme supersubstantialis, claritatis inaccessibilis, consummationis per se consummate cetera consummantis, bonitatis incorruptibilis, iocunditatis inexplicabilis, pulcritudinis illius apud quem manet agni pulcritudo. Igitur, qui exors est huius unitatis ambulat in tenebris et nescit quo vadit; [cf. 1 Ioan. 2:11] imperfectus velud maceria depulsa ruit, [cf. Ps. 61:4] impius velud rota circuit, sedet in tristitia, et “in squalorum feditate, et ipse oppressus amaritudine.” [Lam. 1:4]

Ecce quam sectanda est cunctis unitas et quam vitanda /109rb/ diversitas. Multo specialius igitur vobis est hec unitas appetenda quia et habitu et nomine specialius ceteris eam profiteamini. Hanc namque unitatem sonat hoc nomen “conventus,” hoc nomen “congregacio,” hoc nomen “frater,” hoc nomen “monachus.” Tolle hanc unitatem et iam non erit vestra multitudo conventus vel congregacio, sed turba. Quid enim est turba nisi multitudo turbata? Ut igitur vestra multitudo non sit multitudo turbata sed multitudo pacata, oportet ut omnes voluntates vestre proprietatibus personalibus diverse uni voluntati capitis vestri ablatis vestri sint voluntati eius subiecte, omnes cum illo unum scientes et unum sencientes, nichil per contencionem aut inanem gloriam. In eius voluntate omnes voluntates vestre sint una voluntas si cum eius voluntas sit una non in seipsa divisa, sed si conformis est eius voluntati, qui est unus cum Patre, cuius regnum se indivisum est, et non eius voluntati cuius regnum est in se divisum.

In capitis, inquam, vestri voluntate una conformi voluntati uni incommutabili sint vestre voluntates indivisibiliter unificate. Omni ammonicioni talis capitis voluntates vestre dulciter assentiant; omni imperio sine mora obtemperent. Hec sit uniuscuiusque vestri voluntas, ut non in sua, sed in capitis sui sit voluntate, ac per hoc facies quicquid preceperit, et nichil erit tibi onerosum, quia nichil invitum, sed totam quod precipitur tibi erit voluntarium.

Considerate quantus sit unitatis appetitus in creaturis singulis, ut ex earum comparacione mentes vestre ad unitatis appetitum amplius accendantur. Si secas digitum, unde dolet nisi quia divisa est unitas continuitatis quam appetit? Elementa mundi sibi contraria et repugnancia, unde indissolubili concordia mundum componunt nisi ex appetitu unitatis? Humores contrarii in corpore, unde servant temperamentum complexionis nisi ex amore unitatis? Apes gregatim volant et regem sibi preficiunt, et unde hoc nisi ex amore unitatis? Regem locusta non habet, et tamen incedit



universa unita per turmas, et unde hoc nisi ex amore unitatis? Aves eciam rapaces et fere bestie ab unitate societatis se non separant nisi amore unitatis; ut enim /109va/ predicta habeant indivisam societatis vitant unitatem. Omnia mundi elementa, sol et luna, et cetera celestia, et tota mundi machina in figuras spericas ex appetitu unitatis conglobantur. Figura namque sperica super omnes alias figuras maxima est unitiva, unde et gutta pluvie fluida in spericam figuram se colligit ex unitatis appetitu.

Si ergo omnes creature huius mundi sensibilis, tam sensibiles quam insensibiles, et in ipsis sensibilibus tam feroces quam mites, tanto tenentur unitatis appetitu ut sine eo nichil sint nichilque faciant, quanto magis vos, qui in habitu et omni nominacione vestra unitatem profitemini, unitatem appetere et servare debetis in vinculo pacis, maxime cum unitas quam cetera appetunt divisibilis sit et commutabilis, unitas autem in qua unificari debetis summa sit indivisibilis et incommutabilis, pulcherima, optima et iocundissima.

In hoc igitur uno, et in hoc unum, habitetis quia bonum et iocundum est. Claustralis namque, maxime si a radice huius unitatis dividatur habitu et corporali conversacione iam divisus a congregacione, fratrem est sicut ramus avulsus ab arbore, vel membrum abscisum a corpore, quorum tamen hic tenui cortice solum adhuc adheret trunco. Illud [sic] autem tenui pellicula corpori nec possunt aut ramus de trunco aut membrum de corpore per tenuis corticis aut pellicule medium succum nutrimenti attrahere, quia divisa sunt a principii sui unitate. Sic claustralis, si solo cortice aut sola pellicula habitus exterioris et conversacionis corporalis dependeat a corpore congregacionis, qui non manet in radice unitatis nec inde attrahit spiritualis nutrimenti vivacitatem, necesse est ut marcescat, putrescat, arescat, et in ignem mittatur.

Non hec dico quia suspicor aliquem in hac sancta congregacione ramo avulso aut membro absciso similem, sed volens siti vestre paululum lactis haustum tribuere, non quo alicuius vestri egritudo sanetur, sed quo cuiuslibet vestri sanitas potius conservetur. In unitate igitur manentes et in unitatem tendentes, quia hoc est unum quod porro est necessariam. Hec est unitas cubiti in que archa consummatur. [cf. Gen. 6; Ex. 37] Hec est unitas "una /109vb/ quam petitis a Domino, quem requiritis a Domino, ut inhabitetis in domo eius omnibus diebus vite vestre." [Ps. 26:4] In hac, inquam, unitate manentes, et in eandem tendentes, eritis illius unius virginis pars una, decora valde, que uni viro, Christo, nunc est desponsata, in fine plenius exhibenda. [cf. 2 Cor. 11:2, etc.]

Hec virgo, ut dixi, tota est ecclesia, tota virgo spiritu, licet non tota corpore. Hec virgo magna ex multis constat virginibus, singulis scilicet fidelibus. Omnis namque Christianus a quintipartita sensuum ab illicitis continencia virgo potest appellari. Cum ergo omnis anima que sensus ab illicitis continet operibus, propter hanc continenciam virgo appellatur, quanto specialius, quanto excellencius, quanto propinquius vobis competit nomen virginitalis, qui non solum ab illicitis, verum eciam a licitis quamplurimis, integritatis amore sensus omnes tam interiores quam exteriores continetis.

Hanc excellentem continenciam, que in vobis claustralibus est et esse debet, profitetur eciam pro vobis a parte claustris factura, in quo nulla est apertura exterius, et totum est apertura interius. Quid est clausio carens apertura exterius nisi cohibicio sensuum omnium ne evagentur ad exteriora videnda, ad exteriora amanda? Quid est multitudo apercionum interius nisi manifesta signacio quod debetis ad cor redire omnes sensus anime, in se recolligere aspectum mentis, ad illud quod intimo sui est reflectere in lectulo consciencie quem diligit anima vestra querere? Maria sedet intus et de conclavi non est egressa, ideo ad eam est angelus ingressus. [cf. Luc. 1:28] Si esset hec egressa, non esset ille ingressus. Dina namque virgo egressa est "ut videret mulieres regionis illius," et statim corrupta est a Sichem, filio Emor Evei. [Gen. 34:1-2] Exemplo huiusque egressa statim corrupta est quantum vobis timendus sit egressus. Considerate presertim cum vobismetipsis egressum sponte precluseritis. Hec sibi non interdixerat egressum et tamen egressa corrupta est. Unusquisque vestrum sibi precluserit egressum, quomodo igitur timens corrupcionem egredietur?

Forte aliquis tacitus dicet, "Si non licet nobis egredi, quomodo providebitur indemnitati et necessitati fratrum? Pro indemnitatem /110ra/ et necessitate fratrum bene licet corpore de claustro egredi, dummodo mente simplici cum Iacob habitet domi. [cf. Gen. 34] Qui enim potiori sui parte, hoc est animo, in claustro habitat, licet corpore sit extra, nonne propter partem sui potius dicitur in claustro esse quam extra? Et econtrario, qui animo est in mundo, licet corpore sit in claustro, nonne potius est extra claustum quam intra? Claustralis igitur qui pro necessitate fratrum corpore claustum egreditur, animo et voluntate in claustro degens, eterna meditans cum Maria et transitoria exterius ministrans cum Martha, [cf. Ioan. 11:20] talis est in ierarchia humana qualis sunt angeli per contemplationem assistentes, et similis per officia sibi deputata nobis ministrantes in ierarchia angelica. [cf. Ps. Dionysius, De hier. caelest.]

Qui vero ambitione dignitatis, aut libidine curiositatis, aut delectatione voluptatis, sub pretextu necessitate administrationis egreditur, nichil aliud est quam cadaver mortuum, pannis funebribus involutum, de sepulcro egressum, a diabolo inter homines motum et exagitatum. Cum enim quis suscipit religionis habitum et relinquit mundum, nonne mundo moritur? habitu sue quasi pannis funebribus involvitur? in claustro sepelitur? Cum vero ambiciose ad mundalia regreditur, utrum a Deo vel a diabolo exagitur. Si verum est, immo quia verum est, quod a diabolo, patet claustralem talem nichil aliud esse quam cadaver mortuum, pannis funebribus involutum, de sepulcro egressum, a diabolo inter homines exagitatum. Et quid tali re monstruosius, quid terribilius, quid horribilius, quid detractabilius! Absit! Ymmo per Dei gratiam longe abest, ab hac sancta congregatione omne monstrum tam detestabile.

Virgo namque est hec venerabilis congregatio. Continens est. Precluit sibi viam ab omni egressu illicito. Magna pars est decora, pars est casta, pars est in corpore illius virginis uni viro sponsate, que "tota pulchra est, et macula non est in ea." [Cant. 4:7] Non enim est virgo solummodo, sed etiam casta. Si enim esset virgo et non casta, non esset tota pulchra, non /110rb/ esset sine macula. Nunc autem tota pulchra est, sine macula est, quia non solum virgo, sed etiam casta est. Et que est virgo non casta? Virgo fatua. "Quinque enim ex eis erant fatue, et quinque prudentes." [Mt. 25:2] Igitur virgo casta, virgo prudensque aptat lampadem suam ut introeat ad nuptias. Tota hec virgo intrat ut sponsa, in singulis suis partibus intrat velud adolescentule sponsam sequentes. Non igitur sufficit per continenciam ab illicitis esse virginem, sed oportet simul esse castam, oportet esse prudentem. Et quid est castitas nisi amor integritatis, incorruptionis, immaculationis, incoquinacionis? Et que est vera integritas, vera incorruptio, vera immaculatio, vera incoquinacio, nisi eterna sapientia perfecta et incorrupta, que "candor est lucis eterne," [Sap. 7:26] et "ubique attingit" propter mundiciam suam, [Sap. 7:24] et "nichil inquinatum in illam incurrit," [Sap. 7:25] et cuius participacione est anima integra, incorrupta, immaculata, incoquinata.

Amor igitur supreme sapientie castitas est. Sed amor sapientie, quid aliud est quam prudentia? Igitur esse virginem castam est esse virginem prudentem, et hoc est esse ab illicitis continentem, non amore vanitatis sicut virgo fatua, sed amore integritatis incorruptionis, immaculationis, incoquinacionis, sicut prudentissima. Hanc prudentiam et castitatem tribuat nobis sapientia Patris, Filius Virginis, ut prudenter et caste ab illicitis continentes virginem virgini desponsemur, et in virtute eius in vinculo pacis permaneamus per infinita seculorum secula. Amen.

Dictum 136

De orando

Orare est exprimere alicui mentis desiderium quo desideratur aliquid ab eo fieri cui exprimitur, cum confidentia quod faciet desideratum motus desiderio et confidentia rogantis. Non desideratur autem nisi bonum verum vel apparens. Apparens autem bonum et fallax est omne

delectabile cuius delectatio transit, nec ducit ad delectationem semper permanentem. Tale bonum non est desiderandum, quia istud desiderare est querere quietem in mobili, fixationem pedis in lubrico, et super inanitatem inniti. Verum bonum est beatitudo, hoc est gaudium de veritate et cognitio ineffabilis pulcritudinis, cognoscere scilicet “te /110va/ Deum verum, et quem misisti, Iesum Christum.” [Ioan. 17:3] Et hec est vita eterna, et semper manens bonum. Sed ad istam non pervenitur nisi per viam morum. Mores non inseruntur nisi prius extirpentur vicia; deinde virtutes inserantur, inserte crescunt, crescendo nos sublevant ad cogitationem et fruicionem creatorum semper manentem.

Extirpacio igitur viciorum, et insertio, et crementia virtutum bona sunt transitoria, quia licet et ipse virtutes secundum substantiam semper manebunt, secundum tamen usus quos habent in via transibunt. Verumtamen hec bona transitoria ducunt homines ad bonum quod semper manet. Ideoque, licet transeant, fallacia et falsa bona non sunt, sed vera. Qua propter hec sola bona desideranda sunt que semper stant, vel ducunt ad bona semper stantia. Hec autem bona dare non potest, nisi gracia Dei, per Iesum Christum dominum nostrum, [cf. Rom. 7:25] quare a Deo solo hec sunt desideranda, nec diffidendum est quin dabit hec “qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit.” [Rom. 8:32]

Desiderare igitur predicta bona vera a Deo cum spe certa quod prestabit illa desiderantibus, motus eorum desiderio et spe, vere orare est oracione interiori. Hoc desiderium et confidentiam verbis exterioribus exprimere proprie vero orare dicitur. Bona vero transeuntia sunt sicut via ducens ad patriam que pertransitur ingressa patria, et sicut navis que relinquitur ingresso portu salutis. Sed cum “Deus sit scrutans corda et renes,” [Ps. 7:10] et “omnia occulta nuda sunt et aperta oculis eius,” [Hebr. 4:13] quod opus est interiorum oracionem verbis exterioribus exprimere.

Non homo fit ut doceatur Deus, sed ut digne veneretur, et confundatur diabolus. Vehemens namque affectio interior naturaliter prorumpit in sonum exteriorum. Vehementer namque affectionis magnitudo non sinit eam inter angustias claudi. Exerit itaque se per sonum quasi extra allatum per suum naturale vehiculum. Huius signum est gemitus dolentium, risus gaudentium, subita exclamatio admirantium et eorum qui vehementer terrentur. Affectus etiam brutorum animalium extra per sonos se depromunt. Quia igitur eternorum bonorum vehementissima debet esse desiderantis affectio, quomodo /110vb/ possit intra silentii angustias claudi et non per verba prorumpere? Nonne affectio quodammodo maior est et laciore extra per vocem expansa quam intra per silentium clausa? Sine voce namque solum interiorum est, per vocem expressa non minor est intra, et tamen est extra egressa. Tanto igitur maior est cum voce quam sine voce, quanta est eius per vocem egressio. Cum ergo maximum bonum maximo desiderio sit petendum, maius autem est desiderium in voce expressum quam per silentium suppressum, non solum interiorum desiderio, sed etiam desiderio per vocem expresso oranda sunt bona non fallacia et beatitudo vera. Preterea, quia diabolus non novit cogitationes bonas et voluntates hominum, cum intus solum oramus hoc latet diabolus. Cum vero exteriori sermone exprimimus, diabolus hoc sciens torquetur fassisus invidia. Maxime namque se vellet adorari, et minime Deum.

Cum ergo orando exteriorum sermonem iungimus affectioni interiori, amplius veneratur Deus et torquetur diabolus. Verba vero sine affectione et intencione sunt sicut circulus sine vino, equus in prelio sine militante, folia sine fructu, et sicut vas plenitudine vacuum et vacuitate plenum. Homo etiam qui labiis honorat Deum orando, [honorando MS] et cor eius longe est ab eo, de vanis et iniquis cogitando, est sicut homo qui duas linguas haberet, alteram sonoram et ydiomaticam nobilissimam, reliquam raucam et ydiomaticam vilissimam, et regi magno porrigeret preces pro capite suo lingua rauca et vili ydiomate, et interim scurrilia vel regis voluntati et sue salutis contraria lingua sonora et ydiomate nobilissimo loqueretur. Verba namque interiora lingua et ydiomate nobis et angelis communibus resonamus. Exteriora vero verba lingua et ydiomate carnis que respectu interiorum in auribus Dei rauca est et vile resonat ydioma.

In oracione igitur semper lingue exteriori iungatur interior. Laici vero, qui non intelligunt que dicunt per Oracionem dominicam, dum verba proferunt /111ra/ ore exteriori, lingua interiori debent clamare ad Deum Patrem ut tribuat illis et aliis pro quibus orant. Bona veraque verbis exterioribus, que illi non intelligunt, sunt petita. Sic psallere, scilicet coniunctis duabus linguis, est psallere sapienter et cantare gloriose. [cf. Sap. 3:15; Eph. 5:19]

Aliquando vero sola interiori lingua orandum, lingua exteriori occupata aliis, utpote cum comedimus aut cum sermocinamus cum aliis, aut aliud quidpiam facimus quo minus lingua libera est ad loquendum, aut cum extra locum oracionis in societate hominum sumus. Sed in hiis omnibus debet interior lingua desiderio celestium pro celistibus clamare. Sine intermissione enim, saltem lingua interiori, orandum est. [cf. 1 Thess. 5:17] Si enim aliquando cogitatione disponamus temporalia, eorum dispositionem convertentes ad bona eterna, in hac ordinatione temporalium ad finem eternorum exprimimus Deo desiderium nostrum quo celestia ab ipso percipere desideramus et speramus a Deo celestia percipere, et in huius desiderii et spei expressione oramus.

Similiter in omni opere quod facimus, dum convertimus illud opus ad finem celestium, in ipsa conversione operis ad celestia exprimimus desiderium nostrum quo desideramus et speramus a Deo celestia percipere, et sic oramus. Hoc intelligens Apostolus, quod omne opus ad Deum conversum oratio est, cum in uno loco diceret, "Sive comeditis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia ad honorem Dei facite." [1 Cor. 10:3] Alibi dicit, sine intermissione orandum esse. [1 Thess. 5:17] Et quia vanitas, aut iniquitas, aut fragilitas continuitatem oracionis plerumque interrumpit, quo magis aliquando interrumpitur, eo solidius et fervencius alias est continuanda, ut ipsa prioris temporis discontinuatio sit ei in futuro firmioris continuitatis occasio.

Bona igitur vera sine intermissione sunt a Deo petenda. Sed primo et principaliter nobismetipsis, consequenter aliis, et ita uniucuique secundum ordinem quo ampliori caritate diligendus est. Ultimo inimicis et infidelibus petenda sunt a malis conversio, virtutum insercio et incrementum, /111rb/ ut per hec perveniant ad superne pulcritudinis perpetuam visionem.

Bonum enim quod sui distribucione non diminuitur, quanto a pluribus, tanto delectabilius participatur. Et sicut plura ponderosa in unum fasciculum colligata velocius descendunt, et plura levia alligata velocius ascendunt, quia unuscuiusque colligatorum inclinatio quodlibet colligatorum impellit, ita plures colligati vinculo caritatis et oracionis facilius et velocius moventur sursum virtute oracionis cuiuslibet, quemlibet impellente. Et sicut corpora pollita, iuxta se posita, a sole illuminata, quanto plura sunt tanto plus splendent propter multitudinem reflexionis luminis, sic quanto plures sunt anime a radiis solis iusticie illuminate, tanto plus splendent propter reflexionem caritatis mutue.

Orandum eciam est in ieiuniis, et sacco, et cinere, sicut dicit Daniel, "Posui faciem meam ad Dominum meum rogare et deprecari in ieiuniis, sacco et cinere." [Dan. 9:3] Celum namque amisimus per gulam, et quomodo exaudiemur repetentes illud cum gula? In paradiso datum erat preceptum ieiunii. Dictum est enim primis parentibus, "De ligno sciencie boni et mali non comedetis." [Gen. 2:17] Per transgressionem huius precepti, quod constitutum erat in ieiunio, cecidimus. Quomodo igitur celum repetemus nisi in observacione ieiunii, quod transgrediendo, a celo cecidimus? Ymmo vero, ut celum repetendo exaudiamur, tanto strictius est observandum illud preceptum ieiunii quanto laxati in delectacionem gule preceptum ieiunii transgressi sumus. Si gula potuit hominem a celo deicere, quomodo deiectum sinet resurgere? In sacco et cinere, hoc est in aliqua carnis voluntaria afflictione et proprie fragilitatis recordacione, decet [? docet MS] nos reditum in patriam repetere. Pro transgressionem enim nostra in saccum penalitatis et cinerem mortalitatis huius vite iuste detrusi sumus, et quomodo poterimus veniam impetrare nisi iustam penam sponte sustinentes?

Si enim rex, propter novum tuum delictum, te detrusisset in cathenas, numquid /111va/ tu per te cathenas abiciens auderes comparere coram eo ut veniam impetrares? Quin potius ut misericordiam consequeris ipsis cathenis constrictus sponte miserabilis compareres? Et si aliquando ipso sciente vincula abiecisses ut iram meritam ista abiectioe mitigares, sponte in arciora

vincula iterato te reponeres, et in illis ut ad misericordiam illum flecteres, veniam rogans compareres. Pro prevaricatione prima induti sumus sacco penalitatis et cinere mortalitatis, dicente Domino, “Maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi.” [Gen. 3:17-18] Et iterum, “Pulvis es, et in pulverem reverteris.” [Gen. 3:19] Hunc saccum et cinerem, quantum in nobis est, abiecimus quociens carnem in illicitas voluptates laxamus, et miserie et mortalitatis nostre obliti sumus. Ut igitur regem nostrum ad misericordiam flectemus, oportet ut saccum et cinerem, in quos nos detrusit iuste, coram eo sponte feramus, et quia hos quandoque abiecimus, ut abiectioe meritam iram mitigemus, sacco et cineri quos abiecimus saccum alium et cinerem adiungamus.

Dictum 137

Sermo ad sacerdotes in synodo de hoc verbo, “Posuit stellas in firmamento celi”

“Posuit stellas in firmamento celi.” [Gen. 1:17]

Vos minores prelati stelle firmamenti nuncupamini. Ut igitur hoc vocabulum non false vobis appetatur, oportet ut in vobis exhibeatis spiritualiter quod stelle exhibent corporaliter. Considerate, igitur, primum corporales proprietates stellarum, ut consimilibus spiritualiter adornati lucere possitis in firmamento sursum et terram illuminare deorsum.

Est itaque stella corpus sphericum, lucens, uniformi motu mobile circulariter, ideoque nec grave nec leve, fixationem ordinis sui immutabiliter retinens. Res vero spherica non habet angulum prominentem cuius asperitate ledat contactum, nec depressam concavitatem qua recipiat collectionem sordium. Oportet similiter ut et vos sitis rotundi, habentes spiritum lenitatis, ne prorumpat de affectu vestro ira exasperans, nec de ore litigium furorem suscitans, nec de manu facinus proximum ledens, sicut precipit Apostolus ut sacerdos non sit iracundus, non litigiosus, non percussor. [cf. 1 Tim. 3:3; Tit. 3:2] Hinc etiam preceptum est Noe ut /111vb/ faceret archam de lignis levigatis. [cf. Gen. 6:14] Archa est ecclesia. Vos estis ligna de quibus archa construitur. Si tamen levigati estis, ut non promineat in vobis ira, vel litigii, vel facinorum pungens acumen. Quid enim indecencius est quam ut ferveat ira qui debet iratos mitigare, aut perstrepat litibus qui debet lites sedare, aut ut ledendo percuciat qui debet percussores compescere? Unde unum contrariorum non facit reliquum, sicut calidum non efficit frigidum, nec dulce amarum, nisi forte per accidens, sic et vos, si sitis iracundi, litigiosi, percussores, quomodo efficietis subditos vestros mites, verbo ac opere neminem ledentes? Absit ergo a vobis iste triplex angulus prominens, ne rotunditatem spiritus lenitatis in vobis perturbet.

Absit etiam depressa concavitas, sordium receptaculum, quam puto duplicem esse. Una est cupiditas, qua homo fit fossa fluentibus aquis diviciarum nunquam repleta; altera est gula, que absorbet in concavitatis sue profunditate cibariorum et potuum suerflua. Harum priorem concavitatem volens Apostolus ad equalitatem sublevare, precipit presbyteros turpis lucri cupidos non esse. [cf. Tit. 1:8] Et iterum a fossa cupiditatis vos extrahere volens, ait, “Nichil intulimus in hunc mundum haud [aut MS] dubium quia nec auferre quid possumus; habentes autem alimenta et quibus tegamur, hiis contenti simus; nam qui volunt divites fieri incidunt in temptationem et in laqueum diaboli, et desideria multa et inutilia et nociva que mergunt homines in interitum et perdicionem; radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidem appetentes erraverunt, immerserunt se doloribus multis.” [1 Tim. 6:7-10] Huius comminacionis [convivacionis MS] stimulus satis efficax deberet esse ad suscitandum vos a fossa cupiditatis, nisi forte aliqui in aquis cupiditatis, quod absit, indurati, in lapides sensum penitus amiserunt. Surgamus igitur a fossa cupiditatis, recolentes quod Christus Iesus, cum dives esset, pro nobis pauper factus est. [2 Cor. 8:9] Amemus igitur pro nobis factum pauperem. Ipse fit pars et hereditas nostra. Ut quid cupimus ea que ipsius sunt, et ipsum Dominum amittimus? Immo ipsum solum cupiamus /112ra/ et omnia ipsius nostra erunt.

Altera, ut dixi, concavitas gula est, quam volens iterum Paulus ad equalitatem in sacerdotibus maxime reducere, precipit ut sacerdotes sint non vinolenti, sed sobrii. [1 Tim. 3:2] Et iterum generaliter ad omnes ait, “Non in commessacionibus et ebrietatibus.” [Rom. 13:13] Viciium gule in omnibus est detestabile, sed in sacerdotibus maxime. Qui enim edit carnem Iesu Christi, Filii Dei, carnem redemptoris sui, que est vere cibus, dans vitam eternam digne edentibus, [Ioan. 6:55; cf. 1 Cor. 11:27] quomodo audet immoderata et superflua edendi aviditate carnes bestiarum devorare in sui perniciem? Qui potatur sanguine Iesu Christi pro sua redempcione effusi, vino scilicet salubriter inebriante et letificante cor hominis, quomodo non erubescit perniciose et confusibiliter ingurgitare se vino, in quo est luxuria, contra preceptum Apostolicum dicens, “Nolite inebriari vino,” etc. [Eph. 5:18] Quociens igitur ad refectionem corporis discumbitis, pro Iesu Christo, cuius carnem prius comedistis et sanguinem bibistis, reducite ad memoriam quam male conveniat saciatum pane angelorum in aviditate gule comedere panem filiorum hominum; [cf. Sap. 16:20] saciatum carnibus agni in sepulcro concupiscencie desiderare carnes Egiptorum; [cf. Ex. 16:3] potatum de aqua dulci que fluxit de petra, et sanguine uve meracissimo, sitire vinum in quo est luxuria, quod convertitur in “fel draconum et venenum aspidum insanabile.” [Deut. 32:33]

Absint itaque a vobis, qui stelle firmamenti esse debetis, omnis asperitas ledens et concavitas sordes colligens, ut primo rotundati, consequenter sitis lucentes. Debetis namque sicut stelle intus et extra lucere, intus lumine fidei catholice, quod est lumen vultus Domini super vos signatum splendore caritatis, luce sapientie. Extra debet in vobis fulgere splendor bonorum operum a fide per dilectionem discrete et sapienter operantem proveniencium, ut sitis facientes bona non solum coram Deo, sed eciam coram omnibus hominibus. In huius rei typum erant tabule tabernaculi intus et extra deaurate, [Ex. 26:29] ut sic ostenderetur quod vos, qui estis tabule ex quibus construitur tabernaculum /112rb/ spirituale, quod est ecclesia, debetis interius nitere in consciencia, et extra radiare per bona opera.

Tercia proprietas quam dixi stellis convenire est motus uniformitas. Inuniformis motus est qui in aliqua hora est velocior in aliqua tardior. Inuniformitas igitur motus est operis inconstancia. Sunt autem quidam ita inconstantes et inuniformes quod nimia impetuositatem moveantur ad corripiendum et increpandum subditos, alias autem nimia torpeant negligencia, quorum neutrum oportet esse in sacerdote. Audite namque quid contra nimis veloces et asperos ad corripiendum dicitur in Exodo, “Si quis percusserit oculum servi sui aut ancille et luscus eos fecerit, dimittet eos liberos.” [Ex. 21:26] Percussio est ipsa correpcio; percussione fit oculus luscus quando ipsa correpcione nimis aspera animi intencio a rectitudine avertitur. Prelatus sic percuciens subditos debet dimittere eos liberos, tanquam indignus regere quos lesit.

Torquentes prelatos et nimis tardos ad corripiendum debet stimulare exemplum Heli sacerdotis, qui quia filios suos negligenter corripuit, retro cadens, fractis cervicibus obiit. [cf. 1 Sam. 4:18] Sit igitur motus vester uniformis, nimiam velocitatem refrenet discrecio, nimiam tarditatem stimulet timoris aculeus. Sit vobis regula uniformiter movendi supernus amor, et doctrina Apostoli dicentis, “Seniorem te ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, iuvenes ut fratres, anus ut matres, iuenculas ut sorores, in omni castitate.” [1 Tim. 5:1-2]

Debet eciam motus vester, qui stelle estis, circularis esse, scilicet ut ab eodem in idem redeat, ut incipiat ab illo qui est alpha et principium, et terminetur in eodem qui est omega et finis omnium. Hinc precipitur nobis in Exodo, ut “primicias et decimas non tardemus offerre,” [Ex. 22:29] hoc est inicia et fines operum Deo tribuere. Sed hunc modum circulacionis oportet esse communem omnibus, vobis autem spiritualiter, ut imitemini girum stellarum, ut scilicet de ortu ascendentes elevamini per meridiem, inde vergentes ad occidentem, atque illinc sub terra transeuntes iterum ad ortum. Hoc erit si inicia operum vestrorum illustrentur /112va/ memoria Iesu Christi, veri solis, in carne nascentis; profectus memoria eiusdem exaltati in cruce quasi solis elevati in meridie; opera vergentia ad finem illustrentur memoria eiusdem morientis quasi solis occidentis, vel ipse finis operis quo opus desinens quasi occultatur, sit in memoria Iesu Christi sepulti quasi solis sub terra occulti;

deinde fiat reditus ad initium boni operis quasi ad ortum denuo cum memoria resurrectionis Iesu Christi de sepulcro.

Sic igitur, recolentes motum veri solis, debetis post illum currere, et ad motum ipsius motus vestros circulares regulare, sicut fit in celo visibili quod secundum motum solis regulantur motus ceteri celestis. Sic igitur circulantes nec leves eritis, nec graves. Que enim naturaliter moventur motu circulari nec levitate nec gravitate possunt participare. Natura namque levis est ascendere sursum, et gravis deorsum. Non eritis itaque leves, ascendentes super vos per superbiam, nec graves, descendentes sub vobismetipsis per carnis concupiscenciam. Amor pondus est anime et ordinat animam, et ubi est amatum ibidem collocat pondus amoris amantem. Si amas celestia, in celo conversaris, secundum quod ait Apostolus, "Nostra conversacio in celis est," [Phil. 3:20] et "statuisti pedes tuos supra firmam petram." [Ps. 39:3] Si amas propriam excellenciam, in te stas, ac per hoc non stas, quia non supra soliditatem petre sed supra vacuitatem vanitatis statuisti pedes tuos. Vacuitas autem substantiam non habet, nec te potest sustinere, et ideo necesse est ut ruas. Si amas concupiscencias carnales, infixus es in limo profundi ubi iterum non est substantia.

Ne igitur levitate feraris supra te superbiendo et ideo gravis ruas, te, qui stella firmamenti diceris, deterreat exemplum illius lucidissimi sideris, cuius ornamentum erat omnis lapis preciosus, Luciferi scilicet, qui propria virtute volens usurpare suprema, iusto iudicio lapsus est ad infima. Si ipsum superbientem non tuebatur a lapsu ornatus eius preciosus, quomodo te superbientem tuebitur a casu, ymmo quomodo non potius festinabit casum tuum gravis sarcina tunice pellicie, qua ornatus non es sed deformatus /112vb/ in primo parente superbiente? Noli igitur superbire si cum Lucifero non vis cadere, sed recale quod dicit Apostolus, quia oportet episcopum, id est prelatum ecclesie quemlibet, non esse superbum. [Tit. 1:7]

Hec igitur moderentur conatum superbie, pondere carnalis concupiscencie, ut dixi, ruit homo ad ad yma, et maxime illius concupiscencie que sita est in infimo appetitu et sensu anime, que concupiscencia vocatur lubricum carnis. In illa namque tam miserime absorbetur tota anima, ut nichil sui contemplacioni veritatis possit accomodare, sed totam eam contegunt et circumquaque involvunt tenebre. Hec igitur tenebrosissima concupiscencia, hoc est incontinenca, maxime vobis vitanda est, qui debetis in celo sicut stelle lucere. Terreat vos qui lucere debetis pena huius peccati, scilicet incontinenca et maxime adulterii, a quo quantum distat incontinenca sacerdotum, qui castitatem voverunt, qui singulas sponsas singulas habent ecclesias, unusquisque apud se consideret. Pena inquam huius peccati fuerunt in Egipto tenebre palpabilis et horribiles, ita quod "nemo vidit fratrem suum, nemo movit se de loco in quo erat." [Ex. 10:23] O quam gravis est pena pro levi voluptate! Et quam iusta est hec pena, que pro tenebrositate concupita affligit tenebrositate horrenda!

Insuper specialis est ratio que debet vos sacerdotes compescere ab incontinenca, contrectacio scilicet veri corporis et veri sanguinis Filii Dei. Nonne dicit Paulus generaliter ad omnes qui adherent fornicacioni, "Tollens ergo membra Christi, facies membra meretricis?" [1 Cor. 6:15] Et ego dico tibi, si corpus Iesu Christi digne percipis, Iesu Christo uniris. Divides ergo te ab unione cum Christo, et adherebis meretrici, ut unum corpus efficiaris cum illa? Amplexaris cotidie Iesum Christum in altari, numquid eisdem brachiis luxuriose amplexeraberis meretricem? Manibus tuis contrectas creatorem et redemptorem tuum in altari, numquid eisdem manibus impudice contrectabis meretricem? Labiis et ore contingis corpus Christi salvatoris tui, numquid eisdem labiis et eodem ore osculaberis meretricem? Absit tanta irreverencia, tanta impudencia, ymmo tam impudens demencia, a vestris mentibus. Qui sic irreverenter et impudenter contrectant hic Christum in humilitate, qua fronte /113ra/ audebunt atollere oculos ad eundem tremendum iudicem cum venerit in magestate magna et potestate? Sit igitur procul a vobis hec gravis ponderositas atque predicta superbie levitas, et sic fixationem ordinis vestri retinebitis.

Hec est ultima proprietas quam posui in descriptioe stellarum. Hac proprietate se privant et ita demerentur celum, qui positi in aliquo gradu dignitatis ecclesie per ambicionem aspirant ad

superiorem, immemores scripture testantis quod Deus posuit stellas in firmamento celi, non stella seipsam. Ipsi vero non contenti sunt gradu in quo posuit illos Deus, sed quasi stella seipsam vellet in celo alibi quam fixa est a Deo collocare, sic ipsi nititur ambitione propria gradus alciores ascendere, ac per hoc iusto Dei iudicio, tam a gradu quo non sunt contenti, quam a gradu quem ambiciose appetunt, debent in profundum deici. Absit a vobis, qui stelle estis, talis ambicio, sed unusquisque maneat fixus in suo ordine. Si enim fixus in suo ordine non fuerit, cauda draconis tractus, qui traxit terciam partem stellarum, in terram cadit, [Apoc. 12:4] et erit de stellis obtenebratis caligine noctis illus cui Iob imprecatus est. [cf. Iob 3:9]

Qui autem stellarum predictas proprietates in se spiritualiter habuerit, erit "lucens in firmamento celi et illuminans terram," [Gen. 1:15] id est corda terrena et tenebrosa subditorum claritate sane doctrine et exemplo bonorum operum a tenebris errorum et viciorum purgabit, et "preerit diei et nocti," [Gen. 1:16] hoc est hiis in quorum cordibus lucet sol iusticie, eos regens ne lumen receptum amittant, et hiis in quibus nondum ortus est sol iusticie, eos a tenebris purgans ut ortum veri solis recipiant. "Dividet quoque lucem a tenebris," [Gen. 1:18] hoc est discernet bonum a malo, ne incurrat maledictionem prophete dicentis, "Ve hiis qui dicunt bonum malum et malum bonum, ponentes lucem tenebras et tenebras lucem." [Is. 5:20]

Hec namque discrecio vobis est necessaria, qui debetis discernere lepram a lepra, [cf. Deut. 17:8] mundum ab inmundo, introducendos in regnum ab excludendis. Non solum enim estis stelle celi, sed ianitores celi cum Petro, quibus tradite sunt claves /113rb/ regni celorum, [Mt. 15:19] ut eos quos illuminatis in via per doctrinam sanam et conversacionem sanctam, quasi ianitores introducatis in curiam regis celorum, cui est honor et gloria in seculo seculorum.

Dictum 138

Sermo in celebracione ordinum de hoc verbo, "Sint lumbi vestri precincti"

"Sint lumbi vestri precincti, et lucerne ardentes in manibus vestris." [Luc. 12:35]

Officium enim nostrum qui ad sacros ordines promovemur bipartitum est. Primum namque est ut celsitudine contemplacionis et fervore dilectionis celos penetremus, ibique in secreto quasi de tabernaculo cum Moyse, Domino respondente, et quid in nobis loquatur audiamus. [cf. Ex. 33, etc.] Secundum est ut que in secreto contemplacionis intus a Domino audierimus dilectio in proximi ad proximorum edificacionem foras pandamus.

Utrique iam dicto officio competit lumborum precinctio. Beato namque Iob, Domino respondente de turbine audituro, ab ipso Domino dictum est, "Accinge sicut vir lumbos tuos." [Iob 38:3] Et iterum Ieremie, mittendo ad predicandum populo, dictum est, "Tu igitur accinge lumbos tuos, et surge, et loquere ad eos omnia que ego precipio." [Ier. 1:17] Bene igitur nobis, quibus congruit utrumque officium divinum, scilicet in secreto contemplacionis intus audire et audita proximis foras predicare, dictum est, "Sint lumbi vestri precincti." [Luc. 12:35]

In lumbis multum viget carnalis concupiscencia. Propterea frequenter in scriptura lumborum nomine signatur spiritualiter luxuria. Multociens vero generaliter per lumbos signatur concupiscencia, que secundum Iohannem Apostolum in tria dividitur, "In concupiscenciam carnis, in concupiscenciam oculorum, et superbiam vite," [1 Ioan. 2:16] que tria exponens Augustinus, "Concupiscenciam carnis appellat libidinem sciendi, concupiscenciam oculorum libidinem cognoscendi vel curiositatem, superbiam vite libidinem principandi." [Augustinus, ??? cf. Conf. 3:8; chk. glossa ord. ad loc.]

Est autem libido sciendi immoderatus appetitus voluptatis que sentitur in operibus quinque sensuum, utpote libido gustandi est immoderatus appetitus voluptatis que sentitur in comedendo et bibendo, libido tangendi est immoderatus appetitus voluptatis que sentitur in contactu mollium, et sic de ceteris sensibus. Libido vero cognoscendi, que curiositas dicitur, est



immoderatus appetitus voluptatis que habetur /113va/ in cognitione scienciarum, maxime illarum que non sciencie pietatis. Libido autem principandi est immoderatus appetitus voluptatis quem habet homo ex eo quod dominatur et preest hominibus ceteris. Hanc tamen nominavit Iohanne superbiam vite, quasi specialiter denotans huius maliciam continuo subiunxit, “que non est ex Patre.” [1 Ioan. 2:16]

Iste igitur tres libidines sive concupiscencie lumbi sunt quas precipimur precingere. Lumbos namque precingere nichil aliud est quam libidinem sciendi, libidinem cognoscendi, libidinem principandi, ne immoderacius exuberent, cohibere. Cingulo vero quo lumbi isti sunt constringendi ex quattuor quasi filis et coloribus contextitur, videlicet ex timore pene peccati, ex horrore feditatis peccati, ex verecundia et rubore peccandi, ex amore pulcritudinis virtutis opposite peccato. Hoc est cingulum quod precepit Dominus fieri Aaron sacerdoti ex quattuor coloribus preciosis, [Ex. 39:28] quorum primus, ut dixi, est timor pene peccati. Quis enim habet cor tam induratum qui timore pene non cohibeat concupiscencias suas si intime meditetur penas eminencium(?) post concupiscencias suas? Quis enim non refrenet concupiscencias suas si meditetur ardentis stagnum sulphuris, cuius ignis tenebrosissimus, fetidissimus, urentissimus, et inextinguibilis, quia nec extinguetur, sicut dicit Crisostomus, nec extinguet, sed “quos semel recipiet eos non extinguens inextinctus eternaliter exuret.” [Chrysostomus, ??? all of following three paragraphs from Chrysostom? cf. Dictum 106]

Si meditetur ab hinc subitum transitum ad aquas nivium frigidum, ubi stridor horribilis dencium, meditare insuper lectum in quo reponens post illud balneum, quem describit Isaias, dicens 14 capitulo, “Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum vermis.” [Is. 14:11] Ecce qualis lectus culcitra tua serica erit tinea coopertorium de preciosis et variis pellibus, erit “vermis qui non morietur.” [Is. 66:24] Oculos hic vagos ad concupiscendum, ibi tenebunt tenebre palpabilis que cogent miserabili voce clamare, “Ve! Ve! Ve! [cf. Apoc. 8:13] Quante sunt tenebre, sicut scriptum est in Iob 18, “Lux impii extinguetur, nec splendet flamma ignis eius; lux obtenebrescet in tabernaculo illius, et lucerna que super eum est extinguetur; /113vb/ artabuntur gressus virtutis eius, precipitabit eum consilium suum.” [Iob 18:5-7] Nec aspectu occurret nisi undique dire facies crudelium tortoris. [cf. Mt. 18:34] “Undique enim terrebunt eum formidines.” [Iob. 18:11] Auris que non avertitur hic ab auditu iniquitatis, ibi replebitur diro ululatu et gemitu quam horrende sonabunt lingue que hic iniquitatem in excelso sunt loquute. Hunc gemitum et ululatum describit Philosophus in Libro sapiencie, loquens hec verba de dampnatis, ‘Videntes turbabuntur timore horribili, [gementes pre angustia spiritus,] dicentes intra se penitentiam agentes, et pre angustia spiritus gementes, hii sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii; nos insensati vitam eorum estimabamus insanium’,” usque, “<ecce quomodo computati sunt inter filios Dei,> inter sanctos sors illorum est; ergo erravimus a via veritatis, et iusticie lumen non luxit nobis, et sol intelligencie non ortus est nobis; lassati sumus in via iniquitatis et perdicionis, et ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus; quid nobis profuit superbia? aut quid diviciarum iactancia nobis contulit? transierunt omnia illa tanquam umbra. Sic et continuo nos nati desivimus [deservimus MS] esse, et virtutis quidem nullum signum volumus ostendere; in malignitate autem nostra consumpti sumus; talia dixerunt in inferno qui peccaverunt, quoniam impii spes tanquam lanugo est, que a vento tollitur, et tanquam spuma gracilis que a procella dispergitur, et tanquam fumus qui a vento diffusus est, tanquam memoria hospites unius diei pretereuntis.” [Sap. 5:2-9, 13-15]

Ecce miserabilis gemitus de linguis dampnatorum percurrens in aures eorundem. Huius miserabilis planctus septem cause in hiis verbis possunt denominari. Plangunt mala que hic fecerunt, quod insinuatur in hac particula, “Hii sunt,” etc. Plangunt mala que hic sustinuerunt dicentes, “lassati sumus,” etc. Plangunt velocem transitum bonorum falsorum que hic amaverunt dicentes, “omnia transierunt,” etc. Plangunt tenebras ignorancie quibus impediens hec non previderunt, adnectentes “iusticie lumen,” etc. Plangunt gloriam ad quam sancti transferentur subiungentes, “quomodo computati sunt,” etc. Plangunt nuditatem autem(?) virtute qua tunc

confundentur adicientes, “nullam virtutis,” etc. Plangunt penalitatem qua tunc consumentur demum addentes, “in malignitate,” etc.

Hoc est ve quod vidit Prophetam, scriptum in libro cum lamentatione et carmine. [Ez. 2:9] Adde adhuc /114ra/ istis esse illic “pro suavi odore fetor, et pro zona funiculus, et pro crispante crine calvicium, et pro fascia pectorali cilicium.” [Is. 3:24] Ibi “exardescet contra impium sitis, attenuabitur fame robur eius, et inedia invadet costas eius; devorabit pulcritudines cutis eius, consumet brachia illius primogenita mors.” [Iob 28: 9, 12-13]

Hiis penis horribilibus, ut dicit Chrisostomus, adhuc magis cruciabit impios quod videbunt se pro parvo et exiguo deliciarum tempore perdidisse bona eterna, mala vero quesisse perpetua. [Chrisostomus, ???; cf. Dictum 106] Omnes enim iehenne superat cruciatus removeri et abici ab illa gloria sanctorum, arceri a conspectibus Christi, carere bonis quibus habueras in potestate tua perfrui. Istud unicum filium de cingulo quo lumbos debemus precingere quod contortum et nectum est de igne et frigore, verme, tenebris et fetore diro ululatu siti et fame et inedia consumente, et angustia spiritus ex eo quod se videt tanta bona perdidisse et pro brevibus deliciis tanta mala incurrisse.

Istud inquam unicum filium satis deberet sufficere ad cohibendum perfecte lumbos concupiscencie. Sed si alicui nimium indurato non sufficit hoc solum, contexerat ei secundum filum, horrorem scilicet feditatis peccati. Considerat diligenter quam fedum est peccatum, quod est diaboli proles, mortis parens nature corruptio, boni privatio, anime captivatio. Hoc enim supremam faciem anime in qua deberet gerere reformatam ymaginem summe et ineffabilis pulcritudinis a conformitate summe pulcritudini avertit in conformitatem, immo ut ita dicam in condeformitatem summe turpitudini. Homo enim interior, qui debet portare reformatam ymaginem Trinitatis, per peccatum deformatur in similitudinem bruti animalis. Dicit namque Ieronimus super illum locum Ezechieli, “Homo, homo de domo Israel,” [Ez. 14:4] quod bis dicit propheta “homo,” ad denotandum quod quilibet debet esse geminus homo, homo scilicet exterior et homo interior. [Hieronymus, ???, cf. D. 106] Qui vero per concupiscencias bestiales hominem interiorem deformavit iam non est homo homo, ed homo bestia. Et quid fetidius potest excogitari quam quod homo homo per conformitatem summe pulcritudini fiat homo bestia per deformitatem peccati? Quidnam /114rb/ fedius quam homo porcus per gule voracitatem, aut homo hircus per luxurie fetorem, aut homo canis per iracundie ardorem, aut homo lupus per avidam rapacitatem, aut homo leo per subditorum tyrannicam oppressionem?

Infidelis philosophus bene istam feditatem perspexit cum dixit, “Etsi scirem omnes homines ignoraturos et deos ignoscituros, non peccarem.” [Socrates ???] Et quid moveret eum in hec verba nisi horror feditatis peccati? Infidelis et inmundus licet philosophus tantum abhorruit feditatem peccati, et tu, qui fidelis es, qui sacramento purissimi sanguinis Iesu Christi dealbatus es, non solum non abhorres, ymmo delectaris, in feditate peccati. Absit istud, ymo potius vehementer abhorreas tantam feditatem, et hoc filum secundum indissolubiliter intexas cum primo, ut hiis coniunctis lumbos tuos forcius precingas.

Quod si hec due fila lumbos tuos non sufficienter cohibent, ad hec innecte [? MS] terciam, verecundiam scilicet et ruborem peccandi. Quis vestrum non vehementer erubesceret perpetrare peccatum aliquod si crederet illud non posse fieri nisi coram oculis centum vel mille virorum senum, sapientum, et venerandorum? Et quomodo non magis erubescis peccare in conspectu creatoris et redemptoris [redemptorum MS] tui, et in conspectu multitudinis celestium civium? Numquid magis revereris facies hominum quam faciem Dei? Certissime magis qui in conspectu dei peccare erubescis. Ymaginare, si potes, tempus illud de quo loquitur Daniel dicens, “Iudicium sedit, et libri aperti sunt, et cum eo milia milium angelorum ministrantium et decies milies centena milia angelorum assistentium.” [Dan. 7:10] Ymaginare adhuc cum hiis apostolorum chorum, prophetarum numerum, mart<yr>orum exercitum, et ut ad unum dicam omnium sanctorum ab inicio huius mundi usque ad finem adunatum collegium. Si non fueris de hiis quorum remisse sunt iniquitates et

quorum tecta sunt peccata oculis tocius predicte multitudinis erit liber consciencie tue apertissimus et peccata tua omnia coram omnibus explicata, temetipsum palam accusancia et testimonio consciencie tue te condempnancia, /114va/ quantus putas rubor tunc tenebit te? Ymo quanta confusio ignominiosa tunc te confundet. Nonne tunc, si possibile esset tibi tunc, velles ingredi in speluncas petrarum et in voragine terre, a facie formidinis Domini et a gloria maiestatis eius?

Istud filum ruboris et verecundie, si convenienter intexas cum duobus predictis, non parum habebit fortitudinis in cohercendo lumbos tuos. Quod si textura de illis tribus tantum terrore, scilicet et horrore rubore tibi videatur multum aspera ad ad lenigandam asperitatem, admisce filum quartum mollissimum et suavissimum, amorem scilicet pulcritudinis virtutis. Huius filii molliciem et suavitatem nemo novit nisi qui accipit, non enim adiscitur narrando sed sciendo. Preterea ego, qui de eius suavitate nichil, aut parum sensi, quid de laudibus eius dignum dicere potero, nisi forte in hoc digne laudetur ista suavitas supra humani laudem esse differentia. Quis enim eam digne laudet que Spiritus Sancti est proles, vite parens, natura redintegratio, boni reparatio, anime de captivitate liberatio, a difformitate bestiali reducens, animam conformitatem summe pulcritudini?

Hec igitur sunt quattuor fila, tria aspera et quartum mollissimum, de quibus debemus nobis texere lumbare et lumbos concupiscencie, ne immoderacius effluent, artissime precingere. Quod si fecerimus, lucerna ardetes in manibus digne portabimus. Legimus in Exodo quod candelabrum ex auro purissimo erectum erat in tabernaculo ad australem plagam, super quod erant lucerne septem similiter ex auro purissimo, in quibus de oleo purissimo olivorum mittebatur lumen. [cf. Ex. 25:31-37] Clerus in ecclesia candelabrum est in tabernaculo. Cleri namque est lumine doctrine alios illuminare. Aureum est hoc candelabrum, quia in clero debet splendere mundicia bonorum operum, et quia aurum, inter omnia metalla a terrenis sordibus penitus est purgatum. Satis vobis innuiter in auri puritate quod opera vestra a terrenis negociis debent esse penitus sublimata. "Nemo enim militans Deo implicat se secularibus negociis," sicut /114vb/ ait. [2 Tim. 2:14]

Ad austrum, ex qua plaga sol splendidius lucet, et calidus fervet, et alcius extollitur, collocatur candelabrum ut innuatur ex eius situ clerum amplius lucere ceteris sciencia fervore, caritatis affectu, et extolli debere per vite sancte celsitudinem. Lucerne in supremo collocate sunt animarum nostrarum facies superiores, que auree sunt, cum per amorem celestium a terrenis sordibus purgantur. Septem vero sunt, quia ipsa superior pars anime septima est in hominis compositione, qui quo ad corpus constat ex elementis quatuor, quoad animam vero ex irascibili, ex concupiscibili, et rationali. Oleum olive in hiis lucernis pinguedo est caritatis, que de Spiritu Sancto quasi de arbore pacis emanat.

Septem lumina in hiis lucernis septem sunt dona Spiritus Sancti septiformis, que per eius gratiam in receptione septenorum ordinum hodie recipiemus. Et licet septem dona omnia donentur in receptione singulorum septem ordinum, puto tamen singulis ordinibus secundum ordinem singula dona ordinatim appropriari. Timor namque hostiarius est, arcens vicia et introducens virtutes in tabernaculum mentis. Pietas vero, que consistit in amore relevandi miserias alienas, ipsius relevacionis future semper est presaga pietatis, igitur est presagire futurum bonum, et hoc est proprium lectorum, quorum est annunciare prophetias. Sciencia vero, spiritus scilicet, proprie expellit hastucias diaboli, qui sciens interpretatur, et exorcistis competit. Fortitudo vero per paciam cerofera est, supportans et sustinens lumina ceterarum virtutum ne cadant. Subdiaconis ex nominis ethimologia et officio competit subesse, quod quia maxime repugnat amori proprie potestatis, et plurima reperit amfractuosa obstacula ad transeundem per vias subiectionis, in hoc maxime egemus consilio. Levitis vero, quibus post subesse convenit coesse, spiritus intellectus bene competit, quia intellectus consistit in coniunctione parcium. Sacerdotibus vero convenit preesse, quibus congruit spiritus sapiencie, qua cognoscant Deum rectorem omnium, ut in regula /115ra/ regiminis in Deo cognita sciatn, et ipsi regere inferiores.

Has lucernas in manibus portamus cum illud quod interius lucet in sciencia et fervet in affectione extra panditur in bonorum operum executione ad laudem et gloriam Domini nostri Iesu Christi, cui est honor et gloria in seculorum secula, Amen.

#### Dictum 139

Quomodo per lapsum novum redeunt peccata antiqua

Possibile est, ymmo forte necesse est, cum aliquis post caritatem relabatur in peccatum mortale, ut redeant peccata antiqua. Peccatum enim in voluntate consistit. Intelligamus autem aliquam operationem illicitam, utpote vi rapere aliena. Istam operationem potest quis velle antequam operetur eam, et potest eam velle in ipsa operatione, et potest etiam post operationem velle eandem fuisse. Una ititur voluntas cadens super eandem operationem, primo futuram, deinde presentem, consequenter preteritam, est unum peccatum manens, transeunte tamen actione. Et loquar de voluntate habitu, non de voluntate actione et mocione animi actuali.

Cum autem penitus homo odit operationem quam voluntate habituali prius continue amaverat, cum autem iterum cadit a caritate, eadem operatio que quondam [? quoddam MS] placuit potest nunc iterum placere. Et sicut post operationem peractam placuit ei eam fuisse, sic post lapsum potest placere ei eandem fuisse. Nec differt hec voluntas qua nunc placet ei illam operationem fuisse a voluntate qua nunc placeret ei eandem operationem fuisse. Si continuata esset eius voluntas mala usque modo ubi in eo quod interrupta est, hec voluntas tunc autem fuisset continuata, et forte hec interruptio non facit numeralem diversitatem omnimodam. Sed hec voluntas renata, plus est accedens ad ydemptitatem cum voluntate antiqua quam sint duo non habencia convenienciam nisi in spem, et forte merentur dici eiusdem tocius partes, aut forte merentur dici idem numero peccatum propter unitatem rei illicite amate, sicut idem est corpus hominis quod tamen secundum materiam iam fluit, et locus unus cum fluat per superficiem, quia salvatur situs unus.

Sed sive redeat placencia eiusdem facti quod prius male placuerat sive non, verisimilem est quod reus sit semper male voluntatis quondam habite, ei enim debebatur de iusticia eterna pena puniens. /115rb/ Sed cum penitet eum cum constancia, quod amplius nolit peccare commutatur in penam transitoriam, purgantem et satisfacientem. Si ergo redeat iterum ad peccatum, nonne de iusticia debet redire pena affligens, que cum condicione non redicionis in transitoriam purgantem fuit commutata?

#### Dictum 140

De cupiditate

Cupiditas est amor immoderatus adipiscende et retinende pecunie, scilicet cum pro pecunia adipiscenda vel retinenda preceptorum Dei vult facere transgressionem. Hic semper habet manum porrectam ad accipiendum, collectam ad dandum. Oculum habet insaciabilem, sicut dicit Scriptura, quia "insaciabilis est oculus cupidi." [Ecclus. 14:9] Quicquid enim videt, cupit. Et dicit penes se, "Utinam hoc esset meum," cum dicat Dominus econtra, "Non concupisces rem proximi tui." [Ex. 20:17, etc.]

Per affectum enim iusticie concupiscendum est de omni re ut eius sit cuius esse debet. Sunt autem quidam qui in rebus alienis desiderant se iustam habere possessionem, et fingit sibi iniquitas se nichil velle iniuste habere, cum vellet in omni re habere ius possidendi illam, non considerans quod iniuste appetit ius in re aliena, et ita per consequens iniuste appetit se iuste possidere rem alienam. Iniuste enim et male ius et iusticiam talem appetit. Non enim debet quis appetere ius in re

aliena nisi cum condicione quod eius ius vel possessio in re illa in nullius vertatur iniuriam vel dispendium. Achab cupivit ius empionis in vinea Nabot, sed non curavit utrum voluntarie an invitus et coactus vendidisset eam Nabot. [3 Reg. 21:17-28] Non est autem iusta possessio titulo empionis et vendicionis cum emens timore, vel aliqua coactione, vel fraude, compellit vendentem ad rei sue vendicionem.

Neque igitur res aliena, neque ius in re aliena debet iniuste appeti, sed ut predictum est de omni re concupiscendum est ut illius sit cuius esse debet. Cum econtra cupidus omnem rem suam esse cupiat, et quanto plura possiderit, tanto plura sitit, ad modum ydropici, qui quanto plus bibit, tanto plus siti cruciatur. Natura enim anime est ut /115va/ nullo saciari possit citra summum bonum. Nec citra summum bonum invenit quietem aut delectacionem sine tristitia. Appetit autem in re amata invenire quietem et sine omni tristitia delectacionem. In nullo igitur citra summum bonum adepto invenit quod appetit, sed invento ibi defectu eius quod appetit amplius irritatur ad appetendum, et movetur ad querendum et inveniendum quod appetit. Sed quia rem quam appetit semper querit ubi non est, scilicet quietem sine tristitia in rebus creatis mutabilibus adeptis, numquam reperit quod querit.

Quod queris ergo, o cupide, querendum est, sed non ubi queris ibi querendum est. In summo et incommutabili bono quod queris querendum est, non in mutabili et transitorio bono. Non mireris itaque si animam tuam non saciant ista transitoria, quia naturaliter vult saciari veritate stabili. Hec autem transitoria sunt; vanitas mutabilis. Cibus anime in sui similitudinem alterat animam que cibum recipit. Cum igitur pro cibo recipit inania, quanto plus hec recipit, tanto plus ipsamet inanitur, et magis inanita plus esurit.

Amor eciam habendi excogitat omnes calliditates et omnes dolos quibus poterit pecunia adquiri et retineri, et pro illa adipiscenda et retinenda, nullum genus iniuriarum aut facinorum abhorret. Plerumque cupit et eciam machinatur mortem patris sui, quorumlibet proximorum, ut ad hereditatem festinet. Unde, "Avaro nichil scelestius; nichil iniquius est quam amare pecuniam." [Ecclus. 10:9-10]

Ipsa quoque laudacio largitatis et detestacio tenacitatis plerumque solet esse signum cupiditatis. Dum enim nichil aut parum possidet, cupiditas largientem, vel potius prodigalitatem quasi largitatem, laudat ut ex eius effusione aliquid cupide capiat, et succentetur largitati quasi tenacitati, eo quod minus quam vellet ab ea recipit. Cum autem postea plura possiderit cupiditas iam non potest esse sicut consuevit aperta laudatrix largitatis vel prodigalitatis quasi largitatis, quia sic aperte redargueret se vicio tenacitatis aperte, sed iam parcitatem largitatem vocat, et veram largitatem senset effusionem. Signum itaque cupiditatis vix fallibile est in paupere rebus largitatis copiosa laudacio et tenacitatis /115vb/ exuberans detestacio. Quid autem avaro miserabilius, qui servus est pecunie cum naturaliter deberet dominari mundo? qui tantum laborat ut tirranum se violenter opprimentem confortet? Quid amencie similis quam laborare ad hoc ut inimicus viresumat?

Item, ad quid opes congregas ex quibus congregatis semper es egencior, sicut dicit Philosophus, "Multis egent qui multa habent, et ex magna copia nascitur magna indigencia." [cf. Boethius, Philosophiae consolatio, 2, pr.5 ???; RG super Ps. 100] Idcirco, quia multa exiguntur ad multa tuenda, minus habendum est ut minus desit.

Item, ad quid affligit se cupidus in acquirendis hiis ex quibus fructum non capiet? "Qui amat divicias," sicut scribitur, "fructum non capit ab eis." [Eccl. 5:9] Et in Iob, "Si portaverit quasi terram argentum, et sicut lutum preparavit vestimenta, paravit quidem, sed iustus vestietur illis, et argentum innocens dividet." [Iob. 27:16-17] Immo non solum non capit ab eis fructum, sed malum, Ecclesiastici secundo, "Divicie servate in malum domini sui, pereunt in afflictione pessima," etc. [Eccl. 5:12-13] Ecclesiastici 31o, "Qui aurum diligit non iustificabitur, et qui insequitur consumptionem replebitur ex ea; multi sunt in auro casus, et facta est in specie illius perditio illorum." [Eccus. 31:5-6]

Dictum 141  
De humilitate

Humilitas est amor persistendi in ordine sibi congruo secundum omnes condiciones suas, sicut superbia est amor persistendi in superiori quam sibi congruit. Iste autem amor potest esse in homine antequam cognoscat que congruant sibi secundum singulas et diversas condiciones. Cum autem huic amori additur cognitio ordinum congruentium condicionum singularum, distrahitur quasi in specialiore naturam humilitatis.

Ut autem quod nunc dico sit evidencius, pono exemplum tale: Lux solis in sole vel in ethere sola lux est, nichil habens in se nisi naturam lucis, et quantum est de natura sua, talis posset in seipsa existere et numquam incorporari in hiis inferioribus naturis. Cum tamen lux solis adiungitur colori existenti in perspicuo per quod transit, utpote colori vitri, incorporat se necessario illi colori, et trahit secum colorem illum, et fit ille color in natura luminis et lumen in natura coloris, et est radius vel croceus, vel viridis, vel rubeus, secundum quod est color per quem transit. Nec potest illi radius /116ra/ non esse radius coloratus, licet in ethere et in sole sit divisus ab omni colore.

Sic amor qui est humilitas, cum cadit super hoc universale, ordo sibi congruus est, quasi lux adhuc in se separata [in se separata: inseparata MS] ab omni coloracione, et potest hoc amore in universali ordinem sibi congruum, nescire tamen quid alicui suarum condicionum congruat. Cum autem iam cognoscit singula congruentia singulis suis condicionibus, amor qui transibat in ordinem sibi congruum in universali iam necessario transit in ordinem specialem sibi cognitum, et est quasi lux que iam recipit coloracionem, verbi gracia prius amat in universali persistere in ordine sibi congruo, nondum tamen cognoscit quis status sibi congruat secundum condicionem humane dignitatis, neque quis sibi congruat secundum quod ipse est peccator, neque secundum quod paciens vel iustus. Cum iam autem cognoscit quod status debitus humane condicione est subesse soli Deo, parificari angelis et animabus sanctis, preesse omnibus aliis creaturis, incipit amare hunc statum quem statum prius non amavit nisi in universali. Similiter, cum incipit cognoscere quod status debitus peccatorum est status penitencie, iam incipit amare esse in penitencia, quod prius non amavit nisi in universali. Et ita quot fiunt sibi cogniti status debiti suis condicionibus, tot fiunt in eo particulares et speciales humilitates, sicut lux fit diverse luces per diversas coloraciones. Sic igitur multiplicatur humilitas in homine, sicut multiplicantur ordines vel status debiti multitudini condicionum suarum cum illi status sunt cogniti.

Cum autem unicuique virtuti, que est habitus mentis, congruat ut sit in operatione et ministracione ad quam deputatur, operacio autem non procedat ex virtute aliqua nisi adiungatur illi virtuti amor persistendi in eo quod sibi congruit secundum cognicionem illius virtutis, patet quod cuiuslibet virtutis operacio non solum procedit ab illa virtute, sed etiam ab humilitate sibi coniuncta. Et cum ipsa operacio competens alicuius virtutis sit ipsius virtutis custodia, ipsa autem operacio ab humilitate servatur, patet quod humilitas est ceterarum virtutum custodia, ipsa etiam virtutum est prima, sicut superbia est primum viciorum.

Item, in quanto quis est maior, hoc facit eum esse minorem. Magnitudo namque est multitudo et intencio virtutum in anima. Sed quanto /116rb/ plus peditus est virtutibus, tanto congruit plus ei opera virtutum exercere, et illis virtutibus ministrare, ipsum autem ministerium ex amore predicto, qui est humilitas, exercere. Omnis namque ministrans, in quantum ministrans, minor est eo cui ministrat. Cum igitur humilitas faciat quemlibet quanto maior est tanto plus ministrare, facit eum per consequens quanto maior est tanto subiectum et minorem esse. Et iterum, quanto plus sit tendens in ymum in ministrando, tanto plus extendit in altum ramos premiorum. Bene igitur dicitur, "Quanto maior es, humilia te in omnibus," [Eccus. 3:20] id est per ministerium operacionum virtutum subde te illis quibus ministras. Humilitas namque non solum dicitur amor predictus consistendi in ordine sibi debito, sed cum ordo in tribus consistat, in subesse, coesse,

preesse, dicitur quandoque humilitas amor essendi subditus, et ipsa subiectio et operatio procedens ex hoc amore.

Item, cum ad humilitatem pertinet velle sistere in ordine sibi congruo, congruit autem omni cognoscibili in quantum huiusmodi ut sit uniuscuiusque cognicione, ad vere humilem pertinet ut velit se talem cognosci ab omnibus qualis in veritate ipse existit. Congruit eciam misero ut sit in miserentis et compacientis affectu. Sed hoc non potest esse nisi eius miseria sit cognita. Ad miserum igitur, si vere humilis est, pertinet ut velit esse in cuiuslibet cognicione, ut sit per consequens in eius compassione. Sed non congruit misero ut sit in superbiorum despectione aut derisorum delusione, aut sit in exemplum volentibus male agere. Ideo etsi debeat vere humilis velle ut talis qualis est sit in cuiuslibet cognicione, non tamen debet miser velle ut eius miseria sit aut in superba cognicione aut derisoria, aut maliciosa. Similiter, bono congruit esse in cognicione ipsum auctorem bonitatis laudante et glorificante, et non esse in cognicione laudem debitam auctori homini referente. Universaliter igitur verum est, quod vere humilis vellet esse talis qualis est in cuiuslibet cognicione ex parte ea qua cognicio est, non tamen vellet esse in qualibet cognicione cum quacumque cognicionis condicione.

Patet ex hiis quod ad vere humilem pertinet confiteri miseras suas volenti miseri et compati /116va/ etiam [esset MS] si non esset in precepto confessio. Gregorius super 4m Regum 26: "Sunt qui de se humilia sentiunt, qui in honoribus positi nichil se nisi pulverem favillamque perpendunt, sed coram hominibus viles apparere refugiunt, et contra hoc quod de se interius cogitant, quasi rigida exterius venustate palliantur. Et sunt qui viles videri ab hominibus appetunt, et omne quod sunt deiectos se exhibendo contempnunt, sed apud se quasi ex ipso merito ostense vilitatis intumescunt, et tanto magis in corde elati sunt, quanto amplius in specie elacionem premunt. Que utraque elacionis bella David magna circumspectione deprehendit, mira virtute superavit. Quod enim de se intus humilia sentiens honorem exterius non querit insinuat, dicens, ludam, et vilior fiam. Et quia per hoc quod vilem se exterius prebuit, interius non intumescit, adiungit, eroque humilis in oculis meis, quasi dicat, qualem me exterius exhibeo, talem me interius attendo." [Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 27, 46]

Ad condescendum per humilitatem miseris moveant nos exempla nostri salvatoris, qui de sinu omnipotentis Patris descendit in sinum paupercule virginis; quem non claudit amplitudo poli, claudit artus thalamus virginalis uteri. Nascitur in domo publica, cui per potenciam omnia sunt propria. Amictum lumine inaccessibili involvunt obscuri vilesque panniculi. Ei qui celum terramque replet ampla satis est preseps angustia. Lac suggit uberum matronorum, qui solidus est cibus angelorum. Qui celum rapido turbine versat, nutricis manu versatur in cuius. Fugit Herodem, occisorem tantum corporis, qui potestatem habet tam corpus quam animam mittere in iehennam ignis. Magistros interrogat et audit, qui unus est magister et docens omnem veritatem. Fabro subditur, qui fabricavit auroram et solem. Silet, sistitur ad obprobria, qui verbo virtutis sue supportat omnia.

Dictum 142

Item, de humilitate

Humilitas est qua homo sua verissime cognicione ipse sibi vilescit. Quis /116vb/ enim sibi non vilescit si consideret de quam vili conceptus sit semine; qualiter coagulatus et nutritus ex menstruoso sanguine in matris ventre; in qualibus natus angustiis; quam brevi vivens tempore; quam multis repletus miseriis; quam amarus et penalis sit mortis exitus; quam post mortem cadaver horrendum, futurum origo et cibus vermium? Multoque amplius sibi vilescet si consideret miseras spiritus, "quomodo iniquitates eius supergressae sunt caput eius, et sicut onus grave gravate sunt super eum." [Ps. 37:5] Et hee non pauce, sed "super numerum arene maris multiplicatae." [Oratio

Manasse, (app. to Vulgate)!) Si eciam consideret quam in ymum detrusus est harum gravedine et multitudine, quam longe factus est a salute, et quam vilis factus est viarum suarum iteratione, ut eciam nullius elementi dignus sit in habitacione, qui omnium elementorum dominium, peccati sui vilitate, de corporis sui et animi expulit habitacione.

Qui sic igitur vilis est propriam consequenter contempnit excellenciam. Unde et beatus Bernardus alibi sic diffinit humilitatem, ut dicat, “eam excellencie proprie contemptum, sed cum non quiescat anima ab excellencie desiderio, cum iam contempnit propriam, oportet quod desideret non in se sed in alio suam excellenciam. In alia autem creatura, si sapit, excellenciam non appetit, quia in alia non potest seipsa fieri excellencior. Cum alie creature aut sint ipsa inferiores, aut ipsi non natura superiores sed naturaliter pares, in quibus si appeteret exaltari, perinde esset ac si quis crederet descendendo ad inferius vel transeundo ad equaliter sibi et non amplius elevatum, se celsitudinem adquisisse. Anima itaque que prudenter sapit, nec in se nec in alia creatura querit exaltari, sed in solo Deo, qui supra seipsam est, in quo solo vere potest supra se ascendere et elevari, cum ipse solus sit anime natura sublimior, nec potest quis in sublimius quam erat ascendere nisi invitens sublimiori. Vera itaque humilitas est qua agnoscit homo se, et vult se ex se vel ex alia creatura nichil esse, sed in solo Deo vult /117ra/ exaltari et grandescere.

Amans itaque cognicio quod ex se nichil est, humilitatis est radix; in Deo exaltari, rami ipsius sunt. Et palam est quod quanto amplius profundatur hec radix, tanto in sublimius eriguntur et rami, quia quanto plus novit et vult se nichil ex se vel ex alia creatura esse posse, cum appetat tamen magnum esse, tanto plus se proicit in Deum, ut in illo solo et ex illo solo crescat, grandescat, et sublimetur. Sicut igitur edificium, tanto securius et sine timore ruine in celsum culmen consurgit, quanto profundius iacitur eius fundamentum; et arbores, tanto sublimius ramos extendunt, quanto profundius radices mittunt. Sic humilitas, quanto plus sui contemptu tendit in profundum, tanto innitendo super Deum crescit in altum. De isto in altum ascensu per sui contemptum, et innixum super Deum, sub admiracione dicitur in Canticis, “Que est ista que ascendit de deserto, deliciis affluens, et innixa super dilectum suum?” [Cant. 8:5]

Cum autem humilitas ex contemptu sui se totam proiciat in Deum, non sentit de se aliquid maius quam sit, nec hoc quod est sibi sed Deo ascribit, agnoscens se totum ex gracia recipisse. Ipsa quoque graute collata, meritis suis non putat esse debita, sicut putavit ille superbus Phariseus, qui illa pro quibus velud ex gracia collatis gracias agebat, suis bonis meritis debita imputavit, dicens, “Gracias tibi ago, Deus meus, quia non sum sicut ceteri hominum,” usque, “ieiuno bis in sabbato,” etc. [Luc. 18:11-12] Meritis enim ieiuniorum et operum ascribebat gratiam quam gloriabatur se habere virtutum. Vera itaque humilitas et gratiam agnoscit et illam suis meritis non attribuit. Alioquin gratiam non est gracia; si enim ex prevenientibus meritis ex debito est et non collatum gratis.

Insuper, quod gratis se novit accepisse non invidet aliis, quia non potest gaudere de singularitate, que se totam proicit in omnium bonum commune. Vult itaque suum bonum commune in quod /117rb/ se proicit ab aliis communicari et modis quibus potest aliis ministrare. Unde bene radicata et profundata humilitas eciam minoribus ministrando se subicit, ut suo ministerio in bono quo participat communionem inducere possit. Unde et tres humilitatis gradus distinguere sacrorum expositorum diligencia consuevit. Est enim humilitas sufficiens, qua patimur subici maioribus et conferri equalibus. Est et humilitas habundans, qua subici patimur equalibus et conferri vel equari minoribus. Superhabundans vero est qua eciam minoribus propter Deum subicimur. Huius humilitatis potissimum et manifestissimum exemplum est Christus, qui a minori baptizari voluit. Unde et Iohanni dixit, “Sine modo sic decet nos implere omnem iusticiam.” [Mt. 3:15] Qui paupercule mulieri, cum esset Deus ac Dominus, matri videlicet Marie, et Ioseph, viro Marie, homini fabro, subdi non recusavit. Sic enim scriptum est, “Et descendit cum illis, et venit Nazaret, et erat subditus illis.” [Luc. 2:51] “Haud dubium quin Marie et Ioseph,” sicut dicit Bernardus, et invehitur consequenter in superbos, dicens, “Erubescite superbe cinis! Deus se humiliat, et tu te exaltas. Deus



se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus tuo te preponis auctori.” [Bernardus, Homilia 1, 8; ed. vol. 4 p. 19]

Cum itaque Deus se subdat homini, qua fronte homo non se subdit homini, et quantumvis minori? Et cum bonitas sit dare se in omnium utilitatem, tanto quis melior est quanto plus in omnium se prebet utilitatem, ac per hoc in operationem et ministerium quo illis acquiritur utilitas, et sic per consequens in subiectionem qua humili ministerio omnibus subicitur, quia secundum vocem veritatis, “maior est qui recumbit quam qui ministrat.” [Luc. 22:27] Quanto igitur quis maior est, tanto humili ministerio quo aliis hominibus prodesse satagit, non solum maioribus et equalibus, sed etiam inferioribus subiectior est.

Sunt autem humilitatis signa congrua: Si correptus a minori non dedignetur. Si non insolescat honoribus. Si non eleveltur vel delectetur suis laudibus. Si non reddit malum pro malo, nec /117va/ maledictum pro maledicto, sed econtrario benedicat. Si inter coequales est primus in opere et ultimus in ordine; primus in labore, ultimus in requie; primus in ministrando, ultimus in recumbendo. Si gracias agit benevolentie. Si tam libenter obedit quam precipit. Si etiam in potestate constitutus prius se noscit subiectum quam superpositum, sicut et ille centurio qui dixit, “Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus; nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites.” [Mt. 8:8-9] De quo beatus Bernardus sic dicit, “Quam pulcre loquutus est ille beatus centurio, cuius fidei nulla par inventa est in Israel. ‘Et ego,’ inquit, ‘homo sum sub potestate, habens sub me milites.’ Non iactabat potestatem quam nec solam protulit nec priorem. Dicturus quippe, ‘habens sub me milites,’ premisit, ‘homo sum sub potestate.’ Prius se cognovit hominem quam potentem. Iam quicquid subinferas, suspectam non habemus iactanciam. Premissa siquidem est humilitas, ne altitudo precipitet; nec enim locum invenit sibi arrogancia, ubi tam clarum insigne humilitatis precesserit. Agnoscis infirmitatem, confiteris subiectionem, iam et te sub te habere milites profiteri securus; revera, quia non confusus est de subiectione, iure ex prelacione meruit honorari. Non erubuit super se potestatem, et ideo dignus qui haberet et sub se milites.” [Bernardus, Epist. 42, 32; ed. vol. 7 p. 126]

Insuper, vere humilis non vult existimari alius vel alterius modi vel maior quam sit, ne forte ametur, non ipse sed alius pro ipso, ipse videlicet quem alii eum existimant. Huius rei exemplum habemus Iohannem Baptistam, qui cum tantius esset ut etiam a pluribus possit existimari Christus, “Confessus est et non negavit,” quia neque erat Helias, neque Prophetam, neque Christus. [Ioan. 1:20-21] Confessus est se non esse quod non erat, et tamen interrogatus, non negavit quod erat. Unde et vera humilitas non abnegat sed prudenter confitetur quod est, cum ipsa cognicio rei quam confitetur, habere utilitatem aliquam apud agnoscentem non temere creditur.

Mira autem res est celsitudo humilitatis, /117vb/ que tanto minus attingitur, quanto quis se ad eam attingendum alcius extollit. Unde beatus Augustinus de vero humili Iesu Christo loquens sic ait, “Qui te exaudit non est preter te. Non longe vadas, nec te extollas, ut quasi attingas eum manibus. Magis si te extuleris, cades; si te humiliaveris, ipse tibi appropinquabit.” [Augustinus, In Iohannis evangelium tractatus, 10, 1] Et idem alibi, “Deus omnium, cum sit excelsissimus, non elacione sed humiliacione attingitur.” [Augustinus, Sermo 351; PL 39:1536] Ipsa quoque humilitatis excellencia in hoc declaratur quod nemo nascitur ex spiritu nisi sit humilis. Unde Augustinus, “Nemo ex spiritu nascitur nisi fuerit humilis, quia ipsa humilitas facit nos nasci de spiritu, quia ipse est Dominus contritis corde.” [Augustinus, In Iohannis evangelium tractatus, 12, 6] Unde et Dominus volens Nichodemum nasci de spiritu, prius deponit ei superbiam qua erat inflatus, quia doctor erat Iudeorum, ut factus humilis posset nasci de spiritu. [cf. Ioan. 3:1-10]

Huius quoque excellenciam commendat quod ipsa summa sapiencia huius se facit magistrum dicens, “Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.” [Mt. 11:29] Hoc quoque et humilitatem commendat quod beata Virgo, non ex virginitate sed humilitate, Dei verbum carne concepit. Unde et Bernardus ait, “Si Maria humilis non esset, Spiritus Sanctus super eam non requievisset. Si super eam non requievisset, nec impregnasset. Patet igitur ut de Spiritu Sancto

conciperet, sicut ipsa perhibet, 'respexit Deus humilitatem ancille sue' potius quam virginitatem. Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit." [Bernardus, Homilia 1, 5; ed. vol. 4 p. 18]

#### Dictum 143

Quod paupertas est gloriosa quia vite paradisi et celesti simili<m>a

Cum Dives dicatur qui multa possidet propria, ille merito pauper dicitur qui nichil habet proprium. Secundum hanc itaque rationem paupertatis apparet paupertas gloriosa, quia vite paradisi et vite celesti similima. In felicitate namque paradisi, ante hominis lapsum, nichil fuit proprium. Similiter in celesti patria nulla erunt propria, sed omnibus omnia communia, unde bene promittitur paupertati premium regni celorum. [cf. Mt. 5:3; Luc. 6:20]

#### Dictum 144

De oracione

Virtuti et potestati oracionis nulla poterit potestas creata coequari. Pure namque oracionis forma et consummatio mundum est spiritus rationalis desiderium. Desiderio /118vb/ autem et amore, que idem sunt essentialiter, nulla est virtus creata nobilior, excellencior, seu potencior, ymmo nec ad ipsius equalitatem valet ulla pertingere. Forma vero rei principium est propriarum actionum ipsius. Operative itaque virtus oracionis omnium est fortissima et efficacissima. Adhuc in oracione munda est operativa eciam virtus summa, increata, omnipotentissima. Propter hoc non inmerito veritatis voce dictum est, "Omnia quecumque pecieritis in oracione credentes, accipietis." [Mt. 21:22]

#### Dictum 145

Excitacio parva ad sui consideracionem

Quis edificans domum non diligenter considerat et, quantum potest, certis et racionabilibus mensuris et proporcionibus metitur, et agit ut omnis pars edificii toti suo congruat? Alioquin non edificat nisi ruinam. In hac vita transitoria edificanda est nobis vita sempiterna ex operibus bonis. Omni igitur diligencia considerandum est ne quid sit in operibus nostris vite eternum dissonum, sed totum conproporcionale et congruum.

Et sicut architector per regulas et instrumenta architectoria partes edificii metitur, et distorta rectificat, superflua abscindit, diminuta replet, sic nos per regulas vite agende, id est per regulas morales sacre scripture, oportet opera nostra diiudicare, et distorta rectificare, superflua rescindere, diminuta suplere.

O quanta est hominum desipencia, qui domos luteas et cito perituras nolunt aliquo modo irregulariter edificare, et tamen contempnunt regulariter vivere; domum suam, ymmo stabulum equorum aut porcorum suorum, non vult esse irregularis, sed omni diligencia satagit ut regulariter construatur; et vitam suam vult esse irregularem. Nonne preciosius est illi stabulum porcorum quam vita sua? et quam ipsemet sibi, qui ad hoc conditus est ut sit eternum templum Dei? [cf. 1 Cor. 3:16] Non sinit homo domum suam luteam subingredi, vel quod domum corrumpat, vel unde sordeat, vel aliquid in ea permittit esse inutile, et tamen in mentem suam et templum Spiritus Sancti permittit ingredi corruptentes, sordidantes, et ociosas cogitaciones et voluntates, et in corpus suum admittit consimiles operationes. /118rb/

## Dictum 146

## De ieiunio

Plerique homines huius temporis dicunt se ieiunare, et tamen eisdem diebus quibus se dicunt ieiunare comedunt ad saturitatem, et multociens plusquam ad saturitatem, quia, quantum expetit voluptas voluptati satisfaciunt, appetitum nature et necessitatis excedunt, "corda sua gravant in crapula et ebrietate," [Luc. 21:34] et seipsos corrumpunt, vellem mihi responderent. Qualiter simul ieiunant et saturi sunt? Nonne hec sunt opposita, ieiunare et saturum esse? An forte ante prandium ieiunant, et post prandium non ieiunant. Aut dicunt se ieiunare totam quadragesimam et tota sextas ferias. Propterea, si ideo ieiunant quia usque ad horam diei terciam vel sextam non comedunt, hac ratione forte gulosissimus cotidie ieiunat. Adhuc numquid crapulati hesternam die esuriunt hodie ante prandium, ymmo potius adhuc gravantur hesternam crapula et cibum sumere fastidiunt.

Quomodo itaque ieiunat cum et ante prandium, et in prandio, et post prandium satur est? Ieiunat quadraginta dies, et nulla hora in hiis esurit, sed in omni hora in illis satur aut plus quam satur est. Legitur de Christo, "Cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esurit." [Mt. 4:2]

Ad hoc ieiunium est opus penitencie. Sed omne opus penitencie punit, et penam facit; dicitur autem penitencia quasi punitencia a puniendo. [cf. Isidorus, Etymol., 6, 19, 71] Si ergo non punit, opus penitencie non est, et ita nec ieiunium est. Ergo si est verum ieiunium, punit et affligit edendi libidinem per esuriem et abstinenciam a voluptuosis que expetit illa edendi libido. Unde Daniel dicit, "In diebus illis, ego Daniel lugebam trium ebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, carnes et vinum non introierunt in os meum." [Dan. 10:2-3]

Hoc est igitur verum ieiunium, a desiderabilibus abstinere, et nec de vilibus ad saturitatem sumere. Ad hoc ieiunium sexte ferie est quoddam memoriale Christianis passionis Christi. Sed quomodo congruit tam amare passioni memoriale suave et delicosum? tam despecte morti memoriale fatuosum? [fastuosum MS] tantis doloribus memoriale gaudiosum. Non est huiusmodi memoriale diligentis sed subsannantis. Habent et irrisores memorialia sua que reducunt eorum memoriam ad hostilem irrisorem non ad distinctionis intencionem. /118va/

## Dictum 147

## De aqua simpliciter et quibusdam aquis specialiter

Ut ait Ysidorus, "Aqua dicta quod superficies eius equalis sit. Duo validissima humane vite elementa, ignis et aqua, unde graviter dampnantur quibus ignis et aqua interduntur. Aquarum enim elementum ceteris omnibus imperat. Aque enim celum temperant, terram fecundant, aierem exalacionibus suis incorporant, scandunt in sublime, et celum sibi vendicant. Quid enim mirabilius aquis in celo stantibus? Parum sit in tantam pervenisse altitudinem, rapiunt et se cum piscium exanima, effuse omnium in terra nascencium causa fiunt. Fruges gignunt, arbores, frutices herbasque producunt, sordes detergunt, peccata abluunt, potum cunctis animantibus tribuunt." [Isidorus, Etymol., 13, 12, 1]

Validissimum spiritualis vite subsidium est Spiritus Sanctus, ignis scilicet Dominus, non comburens sed illuminans, et caritate corda accendens, de quo Ysaias ait, "Quis ex vobis habitabit cum igne devorante?" [Is. 33:14] Et iterum Dominus in Evangelio de eodem igne ait, "Ignem veni mittere in terram." [Luc. 12:49] Ipse idem est aqua viciorum incentiva refrigerans et extinguens, "de qua aqua cum biberit non siciet in eternum." [Ioan. 4:13] Ipse omnibus imperat, unde in Sapiencia de Spiritu Sancto scriptum est, "Omnem habens virtutem." [Sap. 7:23] Celestia per concordiam temperat, unde ibidem, "Unicus Spiritus, multiplex, stabiles." [Sap. 7:22] Et firmos prole virtutum

fecundat, unde Apostolus, “Fructus autem spiritus caritas, gaudium, pax, paciencia.” [Gal. 5:22] Inani subtilitate distentos et evanescentes sua inspiracione ad soliditatem veritatis reducit, unde dicitur, “Disertus, stabilis, certus, securus, omnia prospiciens.” [Sap. 7:22-23] Ipse Spiritus Sanctus in nobis, vel nos in ipso et per ipsum, in sublime scandimus, celum vendicamus, et stabiliter in celo conversamur. Scandentes in sublime bonorum piscium seminaria nobiscum rapimus, quia in hoc ascensu Spiritus Sanctus docet nos omnia utiliter predicanda, sicut scribitur quod “unctio docet nos de omnibus,” [1 Ioan. 2:27] et quod “spiritus docet omnem veritatem.” [Ioan. 16:13]

Ipse quoque refusus in terram per ora predicatorum, “qui non sunt qui loquuntur, sed spiritus Patris est, qui loquitur in eis,” [Mt. 10:20] omnium spiritualiter nascencium causa fit, fructum /118vb/ et robur, humiditatem et viriditatem virtutum producit. Ipse in sacramento baptismi et penitencie sordes detergit et peccata abluit. Ipse est aqua quam, “si quis biberet, non siciet iterum.” [Ioan. 4:13] Hec aqua facit nutrimentum sciencie penetrare in vegetacionem anime. Hec est omnium unitiva, penetrativa, et repletiva. Hec aqua in anima resultare facit reformatam ymaginem Trinitatis tocusque pulcritudinis, tam create quam increate. Ad huius aque salubrem potum invitat Dominus in Iohanne ita dicens, “Si quis siciat, veniat ad me et bibat. Qui credit in me,” etc. [Ioan. 7:37] Et Isaias ait, “Omnes sicientes venite ad aquas.” [Is. 55:1] Istius autem aque usus est communissimus, sicut scribitur, “communis usus aquarum.” [??? cf. Gratianus, Decretum, C. 12 q. 1 c. 2]

Aqua que de petra manat lenior et limpidior est, et procurat purgacionem ventris; que vero de paludibus argillosis emanat, gravior est. Aqua cocta salutem corpori operatur et medetur. Et quia omnibus infirmitatibus aqua necessaria est, inter omnes aquas pluvialis aqua optima est, et lenis, et dulcis, et facile digeritur, cito calefit et cito infrigidatur. De fontanis erigitur illa aqua que ad solis ortum tendit vel ad meridiem, et de montibus alcius exit. Hec enim propinquat pluvialibus. Que vero contra occidentem currunt, vel septentrionem, pessime sunt, petram enim in vesica et renibus creant, et mulierem sterilem faciunt, corpori torporem, et rigore nimio menstrua stringunt, inhibent egrotudine sudorem prorumpere.

Quid est autem aqua manans de petra nisi sciencia vel doctrina que manat de Christo? Petra enim erat Christus, qua percussa, fluxerunt aque et inundaverunt. Hec aqua ceteris est lenior quia tota Christi doctrina caritatem edificat, que ceteris omnibus supereminet, sicut dicit Apostolus, “Adhuc eminentiorem viam vobis demonstro.” [1 Cor. 12:31] Et alibi, “Supereminentem sciencie claritatem.” [Eph. 3:19] Hec eciam aqua est ceteris limpidior, unde Ezechieli, “Cum ipsi limpidissimam aquam biberitis,” etc. [Ez. 34:18] Doctrina namque Christi omnibus aliis est aperior et a falsitatis et temeritatis labe purgacior, /119ra/ ut enim ait Crisostomus super Mattheum, Doctrina philosophorum tante sunt obscuritatis ut, si quid habent utile, tamen ipso tante obscuritatis titulo valde vite hominum sunt incomode, at non eciam, ut ipse ait, Christi doctrina talis sed iustum, honestum, et comodum, omnemque omnium virtutem in paucis sillabis et brevibus verbis atque manifestis nos Christus edocuit dicendo quoniam in duobus mandatis tota lex pendet et prophete. [Mt. 22:40] Si autem obiciatur illud, quam “tenebrosa aqua in nubibus aieris,” [Ps. 17:12] respondebitur quoniam nichil dicitur in Scriptura Sacra obscure quod adhuc alibi in eadem non dicatur aperte. [Chrysostomus ???] Hec aqua purgacionem procurat, quia doctrina Christi hausta purgacionem peccatorum facit, quia “non herba, non malagma sanavit eos, sed sermo tuus, Domine, qui sanat omnia. [Sap. 16:12]

Aqua manans de paludibus argillosis doctrina est philosophorum, qui palustres erant, propter fluiditatem et cenum fluctivage, et cenose concupiscencie, et velud arundinetum per nitorem exteriorem eloquencie, sed intus pleni vacuitate, in quibus mollitus quiescit, de quo dicitur quod “dormit in secreto calami, in locis humentibus.” [Iob 40:16] Hec aqua plus habet gravitatis, quia parum edificat caritatis. Moraliter quoque doctorum qui in Christo petra firmantur doctrina lenior est, in edificacione caritatis limpidior, et ad purgacionem pravorum morum valencior quam sit eorum qui palustres sunt vite moribus fluidi et cenosi, quia ut ait Gregorius, “Cuius vita despicitur, restat ut eius predicacio contempnatur.” [Gregorius, Homiliarum Ix in evangelia libri duo, 1, 12, 1]

Aqua autem coctione fit salutifera, quia nulla saluti anime confert sciencia nisi calore caritatis decoquatur. "Sciencia enim inflat, caritas edificat." [1 Cor. 8:1] Nec est aliqua sciencia noxia si hoc igne coquatur, sicut aquarum vicia coctione tolluntur. Omnibus autem anime morbis curandis est aqua doctrine necessaria. Optima tamen est pluvialis illa que de nubibus, hoc est de predicatoribus, pluit. Doctrina namque philosophorum morales morbos quidem curare nititur, sed non curat ut aqua predicatorum pluvialis, quia non "desursum est, primum autem pudica, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consiciens, plena misericordia et fructibus bonis, iudicans /119rb/ sine simulacione." [Iac. 3:17] Aqua autem pluvialis, id est predicatoris doctrina, que desursum est in quantum pudica eo quod pudica celum petit, lenis in quantum pacifica, dulcis in quantum modesta, suadibilis, bonis consiciens facile digeritur et in nutrimentum assumitur, in quantum sine simulacione iudicans cito calefit et cito infrigidatur, quia qui sine simulacione iudicat non est presumpte falsitatis cum patuerit veritas pertinax defensor, sed cito quod prius temere concesserat esse verum concedens esse falsum et e contrario, patente veritate, quasi in qualitates oppositas facile mutantur. Tales namque per Phison signantur, qui interpretatur oris mutacio. [Hebr. Names???

Fontes sunt doctorum mentes. In hiis autem sunt fontes salubres in quorum mentibus fit Spiritus Sanctus "fons aque salientis in vitam eternam." [Ioan. 4:14] Hii fontes non currunt nisi ad ortum vel usque ad meridiem, quia horum doctrina non tendit nisi ad illuminandum mentes fide vel accendendas caritate, non tendit nisi ad Christum, cui nomen est oriens, et ad eius amorem qui fervet velud meridies. [cf. Augustinus, Confessionum libri, 12, 15]

Illi autem sunt fontes currentes ad occasum et aquilonem quorum doctrina finitur in hiis caducis que in quantum occidunt sunt ad occasum, in quantum in occasu suo mentem tristiam velud frigore constringunt sunt ad aquilonem. Hee autem aque pessime sunt quia duriciam inflexibilitatis a malo in renibus concupiscencie gignunt. Priores fontes, quia salubres, voluit Holofernes, qui tipum gerit diaboli, obstrui. Unde in Iudith scribitur, "Porro Holofernes, dum circuriret per girum, reperit quod fons qui influebat, aqueductum illorum a parte australi extra civitatem dirigeret." Nec mirum si hos voluit hostis obstrui, de quibus hauriuntur aque salutis in gaudio, sicut dicit Isaias, "Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris." [Is. 12:3] Posteriores vero fontes mulierem faciunt sterilem, quia animam bonis operibus virtutum prole non sinunt [sinut MS] fecundari, sed torporem bene agendi ingerunt, inmundiciamque peccati ne per confessionem effluat constringunt, nec egritudinem /119va/ mentis per sudorem laboris penitencialis purgari sinunt.

"In Tessalia duo sunt flumina; ex unius aqua bibentes oves nigras fieri, ex altero albas, ex utraque varias." [Isidorus, Etymol. 13, 13, 5] Ovis est humana anima propter naturalem mansuetudinem, quia homo est animal mansuetum natura, licet quandoque propter peccati feditatem degueret in naturam edorum, qui statuentur a sinistris. [cf. Mt. 25:31-46] Flumen igitur de quo potata anima albescit idem est de quo dicitur, "Torrenti voluptatis tue potabis eos, quoniam apud te est fons vite." [Ps. 35:9] Que enim vel parum pregustaverit hic illius torrentis dulcedinem spiritu timoris casti humiliata aspergit se lacrimis pro desiderio celestis patrie, quibus abluta, super nivem dealbatur, "Asperges me enim ysopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor." [Ps. 50:9] Hii sunt contemplativi, de quibus dicitur, "Dentes tui sicut greges tonsarum." [Cant. 4:2] Hii sunt oves per simplicitatem, quia "de domino sciunt in bonitate, et simplicitate cordis querunt illum." [Sap. 1:1] Albi enim sunt quia albedo est lux multum clara in perspicuo puro. Hii autem puram habent perspicuitatem per depurationem a terrenis fecibus. Perspicui enim sunt in amore nichil terrenum amantes, quia ipse amor sicut aqua vel oleum est in quo relucens lux color est. Color itaque anime lux veritatis est in amore. Multa igitur et clara lux veritatis in amore depurato est albedo. Hac albedine "candidati sunt Nazareii," id est contemplativi, "candidiores nive, nitidiores lacte." [Lam. 4:7] Nigredo itaque lux pauca obscura est in perspicuo impuro, et hec est lux pauca et obscura veritatis in amore impuro terrena, scilicet illicite amante. De hac nigredine dicitur in Trenis Ieremias, "Denigrata est super carbones facies eorum." [Lam. 4:8] Innascitur autem hec nigredo de

potu fluvii carnalis voluptatis. Hic autem est fluvius de quo in Apocalypse scriptum est, "Veni, ostendam tibi dampnationem meretricis magne, que sedet super aquas multas." [Apoc. 17:1] Qui autem de utroque fluvio potant quasi varii sunt. Hii sunt mundanarum rerum dispositores, qui et timorem Dei habent, et /119vb/ amorem seculi non deposuerunt, in quibus si prevalet amor seculi, plus habent de nigredo quam de albo, si vero amor et timor Dei, plus habent de albo, purgabiturque eorum nigrum igne purgatorii. Hee sunt differentie ovium de quibus in Genesi scriptum est, "Erant autem alba et nigra queque Laban, cetera vero," id est varia, "Iacob." [Gen. 30:40]

"Ex quodam lacu Ytalie qui biberint vini tedium habent." [Isidorus, Etymol. 13, 13, 2] Huius signatio potest in bona et in malo accipi, secundum quod vinum diversimode accipitur. Vinum enim quandoque assumitur pro austeritate legis, ut in Canticis, "Meliora sunt ubera tua vino," [Cant. 1:1] sive philosophicam sapienciam ut in eodem exemplo secundum aliam expositionem. [chk. Glossa ord, etc.] Pro legis austeritate etiam sumitur vinum, in eodem, ubi dicitur, "Pulciores sunt oculi eius vino." [Cant. 4:10] Sumitur etiam vinum pro inebriacione a voluptatibus mundi, a quo vino prohibiti sunt sacerdotes cum ingrediuntur ad ministrandum in tabernaculo, [Lev. 10:9] et a quo abstinerunt Rachabite. [cf. Ier. 35] Sumitur quoque vinum pro dulcedine et sapore vegetacio spiritualis intelligencie scripture, in quod vinum convertit Dominus aquam in nupciis. [Ioan. 2:1-10, etc.]

Lacus itaque de quo bibentes vini tedium habent, potest esse doctrina evangelica, de qua qui bibunt, fastidiunt legis austeritatem et philosophice sapiencie obscuritatem. Qui etiam de fonte sapiencie dulcedinem bibunt contemplacionis, hii cum Rachabitis fastidiunt inebriantem potum mundane voluptatis, potati a torrente voluptatis Dei. Vel lacus Ytalie accipitur bene legum doctrina secularium, que de Ytalia manant, de qua potantes frequenter vinum Scripture odiunt. Suntque de illis de quibus dicitur, "quod exosam habuerunt disciplinam, et timorem Domini non susceperunt." [Prov. 1:29] Propterea, "egestas et ignominia erat in eis quia deserunt disciplinam." [Prov. 13:18]

Et forte is est fons in Chio [in Chio: nichro MS] insula, de quo bibentes hebetes fiunt. [Isidorus, Etymol. 13, 13, 3] Et fons iste signat voluptates mundanas, de quibus bibentes hebetantur ad spiritualem intelligenciam. Animalis enim homo non percipit ea que sunt spiritus, nec potest intelligere /120ra/ ea que spiritualiter examinantur.

"In Boecia [Boemia MS] sunt duo fontes, alter oblivionem alter memoriam affert." [Isidorus, Etymol. 13, 13, 3] Primus fons est habundancia diviciarum et saturitas panis et vini. Secundus vero est habundancia tribulacionum. Quod autem primus fons faciat oblivionem Dei habetur Deuteronomio, ubi dicit Moyses populo, "Observa, et cave ne quando obliviscaris Domini Dei tui et negligas mandata eius, ne postquam comederis et satiatus fueris, pulcras domus edificaveris, et habitaveris in eis, habuerisque armenta et ovium greges, argenti et auri, cunctamque rerum copiam, elevetur cor tuum et non reminiscaris Domini Dei tui." [Deut. 8:11-14] In Exodoque scriptum est, "Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere," [Ex. 32:6] id est ydolatrare. Econtra, tribulacio Dei facit memoriam. Unde in Osee, "In tribulacione sua mane consurget ad me," etc. [Hos. 6:1] Et in Psalmis, "Ad Dominum cum tribularer clamavi." [Ps. 119:1] Et Iob, "Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus vidit te." [Iob 42:5]

"Cici [Dici MS] fons amorem veneris tollit. In Boecia lacus furialis est, de quo bibens ardore libidinis exardescit." [Isidorus, Etymol. 13, 13, 4] Fons tollens amorem veneris abstinencia est, sic econtra lacus accendens ardorem libidinis gula est et ebrietas. Unde Ieronimus, "Venter vino estuans de facili spumat in libidinem." [Hieronymus, Epistolae, 69, 9; CSEL 54, 696] Et bene dicitur lacus furialis, quia quid est ebrietas nisi insania quedam. Item, in Osee, "Fornicacio, vinum, et ebrietas auferunt cor." [Os. 4:11] Dum etiam abstinencia libidinis ardorem extinguit, quia hunc ardorem primam penam in mortalibus menbris manifesta gula cognovit. Item, amor veneris tollat consideracionem mundicie et pulcritudinis castitatis, ardorem excitat turpis [cogitatio del.(?) MS] ymaginacio voluptatis. Ab hoc fonte prohibunt Poeta [Propheta MS] cum dixit, "Aut tu, dum corpore non es passa nephas animo," [Ovid, Metamorphoses 10, 351-2] nec corpore, quia et hec ymaginacio

turpitudinis ardorem excitat frequenter et inspectores poeticarum fabularum, ubi describuntur luxuria voluptates illicebrose in ardore libidinis excitantur. /120rb/

“In Campanie sunt aque que sterilitatem feminarum et virorum insaniam abolere [obolere MS] dicuntur.” [Isidorus, Etymol. 13, 13, 4] Femine steriles anime sunt, que verbi semen non concipiunt ut inde pareant filios bonorum operum. Unde autem non concipiunt, nisi quia verbum in mansuetudine non suscipiunt? Vis itaque concepturi mansuetudo ad audiendum verbum Dei, unde Iacobus, “In mansuetudine suscipite incitum verbum quod potest salvare animas vestras.” [Iac. 1:21] Virtus autem mansuetudinis de spiritu pietatis hauritur. Aqua itaque dicta spiritus est pietatis, qua hausta, mansuescit anima. In mansuetudine verbum suscipit, unde filios bonorum operum parit. Hec eadem aqua manifeste virorum insaniam tollit. Que est insania nisi iracundia? Ira enim furor brevis, unde Isidorus, “Iracundus dictus quia accenso sanguine in furorem compellitur, ubi enim flamma dicitur, et ira inflammat” [Isidorus, Etymol. 10, 129]. Et in Ecclesiaste dicitur, “Ira in sinu stulti requiescit.” [Ecces. 7:10] Hanc insaniam ire tollit mansuetudo hausta a spiritu pietatis.

“In Ydumea fons <lob> quater in anno mutare colorem dicitur, id est in pulverilentum, sanguinem, viridem, et limpidum, ternis mensibus tenens in hiis unum colorem.” [Isidorus, Etymol. 13, 13, 8] lob interpretatur dolens, [Isidorus, Etymol., 7, 6, 42] Ydumea [Ydumea MS] terrena. [Hieronymus, Liber interpretationis Hebr. nom., 63] Sanctus itaque iste fons doloris est in hac vita terrena. Dolor est autem salubris aut ex consideratione propriorum delictorum aut ex peccatis et malis alienis, et huius radix est amor Christi, aut est nascens ex desiderio celestis patrie. Fons itaque doloris pulverilentus est proprie fragilitatis. Hec enim dicit, “quia homo pulvis est et in pulverem revertetur.” [Gen. 3:19] Hec dicit, cum Abraham, “Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.” [Gen. 18:27] Sanguineus autem est in recordacione delicti proprii. Peccatum enim sanguine signatur, unde in Osee, “Sanguis sanguinem tetigit,” [Os. 4:2] quod quasi exponens Ysaïas dicit, “Ve, fili desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium et non ex me, et ordiremini telam et non per spiritum meum, ut adderetis peccatum peccato.” [Is. 30:1] Viridis namque [viridis] in dilectione proximi, qua dolet de alieno peccato. In dilectione namque proximi quasi pululat viror virtutum. Limpidus autem et clarus in desiderio celestis patrie. /120va/ Cum autem de hiis quatuor rebus nascitur dolor et fluant lacrimarum rivi in me, merito fons lob [Iacob MS] quatuor vicibus in anno, hoc est in huius vite periodo, mutare colores dicitur.

“In Trigeditis lacus est qui ter in die [anno MS] fit amarus, et deinde tociens dulcis.” [Isidorus, Etymol., 13, 13, 9] Aqua huius lacus tribulacio potest esse. Potest etiam esse voluptas. Utraque enim dulcis est et amara. Tribulacionem autem amaram esse non latet. Unde in Trenis, “Vere implevit me amaritudinibus, inebriavit me absintheo.” [Lam. 3:15] Et in eodem, “Recordaris paupertatis et transgressionis mee absinthii et fellis.” [Lam. 3:19] Et in Ruth, “Ne vocetis me Noemi, id est pulcram, sed vocate me Maram, id est amaram, quia valde amaritudine replevit me omnipotens.” [Ruth 1:20] Hec amaritudo in dulcedinem versa est illi qui dixit, “Non solum autem, sed gloriamur in tribulacionibus.” [Rom. 5:3] Et iterum, “Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.” [2 Cor. 12:9] Dulcescit autem tribulacio cum consideratur profluere ex dulcedine amoris Patris castigantis et coronantis.

Est autem dulcedo terna in affectu triplici, quia tribulacio aut purgat preterita mala, aut preservat a futuris, aut est exercitacio et probacio ad coronam. David a peccato purgavit, Paulum stimulus carnis preservavit, lob probatum coronavit. Amara autem est tribulacio in quantum procedit ex ira Dei ipsum flagellante. Terrena quoque est hec amaritudo contra tres dictos dulcores, quia impacienter flagellum sustinens eo plus sordescit in preteritis, plus ruit in futuras culpas, amplius quoque remurmurans condempnatur. De sic amari satis [? amaritatis MS] dicit Ysaïas, “Corruet et esuriet, et cum esurierit irascetur, et maledicet regi suo et Deo suo, et suscipiet sursum, et terram intuebitur, et ecce tenebre et dissolucio et angustia et caligo persequens, et non poterit avolare de angustia sua.” [Is. 8:21-22] In his etiam verbis notatur triplex amaritudo qua inficitur aqua tribulacionis impium flagellantis, scilicet ira, blasphemia, desiderium leticie et evasionis cum non

patet via evadendi. Augustinus, in 10o /120vb/ Confessionum, ternam huius aque amaritudinem sic aperit dicens, “Ve adversitatibus seculi semel, et iterum, et tercio <a desiderio> prosperitatis, et quia ipsa adversitas dure est, et ne frangat tolleranciam.” [Augustinus, Confessiones, 10, 28]

“In Asfaltite [Affastide MS] lacu nichil mergi potest quicquid animam habet.” [Isidorus, Etymol. 13, 13, 6] Lacus iste mundi fluxitas est sive etiam inferni profunditas. De quo lacu in Zacharia [Iacobi MS] scriptum est, “Tu quoque in sanguine testamenti tu emisisti vinctum [vomitus MS] de lacu de quo non erat aqua.” [Zach. 9:11] Is etiam est lacus leonum in quem missus est Daniel, [Dan. 6:1-17] et de quo Ysaïas ait, “Igitur ad infernum detraheris, in profundum lacu.” [Is. 14:15] In hunc lacum missus est, de quo Ieremias ait, Trenis 3o. [Lam. 3:53-55] Hic est lacus magnus ire Dei, de quo in Apocalypsi dicitur, “Et misit angelus falcem suam in terram, et vindemiavit vineam terre, et misit in lacum ire Dei magnum.” [Apoc. 14:19]

Et bene per lacum Asfalti signatur lacus ire Dei. In hunc, id est lacum, frequenter cadunt fulmina propter bituminem in eo existens habens vim attractivam ignitam, propter quam ignis et fulmina frequenter in illum cadunt. Quid autem sunt fulmina nisi penarum acumina ab ira Dei iaculata, quorum vim attractivam habet glutinosum bitumen, hoc est viscus [insuis MS] amore mundalium, hoc est viscus quasi invitum Deum trahit ad puniendum. Unde ex persona ipsius quasi invite et coacte penitentis [punientis? rect.?] dicit Isaias, primo capitulo, “Heu, consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis.”

In aquam huius lacu que [non? rect.?] submergitur “quicquid animam habet,” hoc est vitam eternam et sapienciam habet. Sic enim solemus dicere hominem sine anima qui sine sapiencia est et intellectu. Quis autem sapiens mundi fluxibilia non contempnit et calcatur cum videatur cum labore adquiri, cum timore possideri, cum dolore amitti, visoque in hiis esse nisi vanitatem et afflictionem spiritus? [cf. Eccle. 2:17] Quis sapiens in mobili quietem querit, in fluxibili et lubrico firmum statum, in angusto latitudinem, in parvo magnitudinem, in momentaneo diuturnitatem? Animam itaque, hoc est intellectum huius sapiencie, in huius lacu aqua non mergitur.

“In Ytalia fons Citheronis oculorum vulnera sanat.” [Isidorus, Etymol., 13, 13, 2] Fons /121ra/ Citheronis quid congruencius intelligitur quam fons eloquencie, cum ipse Cithero eloquentissimus fuit et eloquencie artem tradiderit? Fons autem eloquencie sapiencia, ut enim ait Augustinus, “Eloquencia pediseca est sapiencie.” [cf. Augustinus, De doctrina Christiana, 4, 7] Nec de fonte sapiencie manat aliquid quod non sit eloquenter dictum. Sic etiam qui dicit (?) non avertat, nec potest esse eloquencia pura que de fonte sapiencie non manat. Ipsa autem sapiencia oculi interiorum est. Qui enim sunt interiores oculi vulnera et morbi nisi ignorancie? Cum naturaliter appetat anima scire et sapere, huius appetitus privatio non erit sine animi langore. De sapiencia autem dicitur, “Et si multitudines sciencie quis desiderat, scit preterita et de futuris estimat, scit versucias sermonum et solucionem argumentacionum, signa et monstra scit antequam fiant, eventus temporum et seculorum.” [Sap. 8:8] Appetitum itaque sciendi sanans sapiencia interioris oculi langorem sanat.

“In Ethiopia lacus est quo perfusa corpora velud oleo [oculo MS] nitescunt.” [Isidorus, Etymol., 13, 13, 2] Ethiopia, in qua solis fervore nigrescunt homines sanguine attracto ab interioribus ad cutis superficiem, quid melius significet quam terram carnis humane fervore tribulacionis adustam et obfuscata, qui fervore sepe sanguine peccati in cutis superficiem facit apparere, dum ipsa tribulacio a delectacione mundi convertit ad gemitum peccati et interiores culpas in exteriori afflictione propolat? De sic obfuscatis in Canticis, “Nolite considerare quod fusca sim; decoloravit enim me sol.” [Cant. 1:5] Lacus enim memoria, receptaculum scilicet scienciarum, velud aquarum influencium. Lacus autem proprie penitentis habens in se velud aquam preteritorum peccatorum recordacionem. Cum autem de hac recordacione profluunt lacrimae, quid aliud quam de lacu profluens aqua corpus profundit et lavat. Ex hac itaque locione mundantur et nitescunt abluti. Dicit Ysaïas, “Lavamini, et mundi estote.” [Is. 1:16] Et paulo post, “Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, velud lana alba erunt.” [Is. 1:18] Bene



/121rb/ autem dicuntur ex hoc lacu perfusa corpora nitescere velud perfusa oleo, quia animus penitentis perfusus lacrimis ex dolore et lacrimis hillaescit et spirituali iocunditate letatur, que iocunditas oleo signata eciam plerumque in corpore se exprimit. In penitente itaque penitencie habitu obfuscato, de lacu memorie recordantis peccata fluit aqua lacrimarum, qua perfusi nitescunt per mundiciam et velud oleo [oculo MS] forti spirituali iocunditate exhillarante de dolore. De hoc lacu penitencium fluit aqua largicionis elemosinarum, de qua dicitur, "Ignem ardentem extinguit aqua, et elemosina resistit peccatis." [Eccus. 3:33] Sed nomen hoc in quo perfusi velud oleo nitescunt, cum qui recipiunt elemosinas, velud foci oleo exhillarescunt. Hec enim aqua oleum sepe in Scriptura dicitur.

"In Affrica fons voces facit canoras." [sonoras MS] [Isidorus, Etymol., 13, 13, 2] Et quis est fons nisi agnicio misericordie et iusticie Dei? De quo qui biberit, dicit cum Psalmista, "Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine," [Ps. 100:1] et iterum, "Misericordias Domini in eternum cantabo." [Ps. 88:2] Et vere vox canora que cantans eternaliter non rauescit. Raucedo provenit ex nimia humoris infusione, aut ex nimia siccitate, qua vocale instrumentum asperatur. Humorim nimia infusio est cum in prosperis defluit anima per voluptatis. Hunc fluxum temperat agnicio iusticie Dei et hanc causam racudedinis tollit. Asperitas ex nimia siccitate, et cum in adversum mens per impacienciam exasperatur. Hanc autem asperitatem lenit agnicio misericordie Dei. Raucem itaque animam in Dei laudibus eo quod defluit per voluptates aut exasperantur in paciencia per adversitates sanat et canoram reddit haustus aque cognicionis iusticie et misericordie.

[Colophon]

In hoc libello sunt capitula 147 quorum quedam sunt brevia verba que dum in scolis morabar scripsi breviter et incomposito sermone ad memoriam, nec sunt de una materia, nec ad invicem continuata, quorum titulos posui ut facilius quod vellet lector possit inveniri. Spondentque plerumque plus aliquo tituli quam solvant capitula /121va/ lectori. Quedam vero sunt sermones quos eodem tempore ad clerum vel ad populum feci.

Expliciunt dicta Lincolniensis.

Incipit tabula eorundem dictorum.

[title of each dictum, 1-147 = included with dicta above] /121vb/ ... 122ra-b ... /122va/ ...  
 Explicit tabula brevis.